LIBER APOLOGETICUS PRO IMMACULATA DEIPARAE VIRGINIS MARIAE...

Juan Bautista : de Lezana

Digitized by Google

VITT. EMANUELE

X.II.N°9

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER

APOLOGETICVS

PRO IMMACVLATA DEIparæ Virginis Mariæ Conceptione.

Vbi non modò caruisse peccato originali, sed neque in Adamo peccasse, nec debitum proximum originalis habuisse defenditur.

Ad Illustrissimum Noui Orbis Patriarcham.

Authore P. Fr. Ioanne Baptista de Lezana Ordinis Carmelitarum, & sacræ Theologiæ apud Complutenses Lectore.

Anno 1616.

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI, Apud viduam Alphonsi Martin.

Digitized by Google

Digitized by Google

FOl.9.pag.2.de hoc,le.de hac.fol.11.p.1.exponit?le. expo-nunt?fol.16.p.1.vocet,lege vocat. fol.37.p.1.fœtorie,lege fœtore.fol. 40. p.1.inimantur lege imitantur.fol.41.p.2. pæ-cipiendum, lege accipiendam.fol.44.p.1.Regionum,lege Re ligionum,fol.65.p.2.placui,lege placuit. fol.75. p.1. oblatum, lege ablatum.fol.107.p.2.Quintus, lege Sextus.fol.124 quod per errorem est 113.p.2.qui,lege quod.

Liber hic conformis est cum suo originali dēptis his mendis. Dat.Matriti die 20. Augusti 1616.

Licenciatus Murcia
de la Llana.

YO Iuan de Xerez escriuano del Rey nuestro Señor, de los que residen en su Consejo, doy fee, que auiendose presentado ante los Señores del dicho Consejo vn libro intitulado (Apologeticus liber, pro immaculata Mariæ Conceptione) compuesto por fray Iuan Baptista de Lezana Letor de Teologia, del Conuento de nuestra Señora del Carmen de la villa de Alcala de Henares, que con licencia de los dichos Señores fue impresso de su pedimiento, le tassaron a quatro marauedis el pliego en papel, y a este precio, y no a mas, mandaron se venda, y que esta fee de tassa se pōga al principio de cada libro de los que ansi fueren impressos, en virtud de la dicha licencia, y para que dello conste, di esta fee en la villa de Madrid a veynte y tres dias del mes de Agosto de 1616.años.

Iuan de Xerez.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene priuilegio el padre fray Iuan Baptista de Lezana para imprimir este libro por diez años, despachado ante Iuan de Xerez escriuano de Camara, su fecha a 25. de Iunio de 1616.años.

¶ 2

Digitized by Google

Facultas Reuerendi Patris Prouincialis.

FRater Ildefonſus Loarte in ſacra Theologia Magiſter, atque huius Prouinciæ Caſtellæ nouæ, Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, humilis, & indignus Prior Prouincialis, facultatem cõcedo patri fratri Ioanni Baptiſtæ de Lezana eiuſdem Ordinis, ac Prouinciæ in noſtro Collegio Complutenſi Lectori Theologiæ, vt poſſit in lucem emittere librum Apologeticum pro immaculata Virginis Mariæ Conceptione: eo quòd ſit iudicio Doctorum hominum noſtræ familiæ examinatus, & approbatus: dum tamen primò deferatur ad Supremum ſenatum Catholici noſtri Regis Hiſpaniarum. Matriti in noſtro Carmelo, die vigeſima octaua Maij, anno Domini 1616.

Frater Ildefonſus
Loarte. Prouincialis.

Approbatio pro Ordine.

EGo Frater Ambroſius Vallejo, ſacræ Theologiæ Magiſter, ſanctæ Inquiſitionis ſenatus à Qualificationibus Conſultor, necnon Ordinis Carmelitarum in Philippica Curia Generalis Procurator, librum hunc Apologeticum pro Immaculata Deiparæ Conceptione, per Fratrem Ioannem Baptiſtam de Lezana noſtri Collegij Complutenſis Theologiæ Lectorem, compoſitum, ex commiſsione Reuerendi Patris noſtri Prouincialis huius almæ Prouinciæ Caſtellæ Nouæ, qua potui diligentia perſpexi. In eo verò nihil diſſonum, contrariumue fidei Catholicæ, ſanæ doctrinæ, aut rectæ rationi reperi: Quin potiùs conſona cuncta, eruditione plena, omnigenaquè varietate referta vidi. Ideoquè dignum putaui, librum hunc prælo, typiſquè mandari. In cuius fidem hæc propria manu ſubſcripſi. Matriti die 28. Maij anno 1616.

Fr. Ambroſius
Vallejo.

Digitized by Google

Censura, & Approbatio grauissimi Doctoris D. Ioannis de Vargas, & Mendoça, Metropolitanæ Ecclesiæ ciuitatis Regum Thesaurarij, & eiusdem Academiæ quondam Theologiæ vespertini professoris.

Librum hunc apologeticum, pro immaculatæ Virginis Mariæ Conceptione, à patre Fr. Ioanne Baptista de Lezana, ordinis Carmelitarum, & sacræ Theologiæ apud Complutenses Lectore compositum, supremi Cæsareæ Maiestatis Senatus iussu, meo examini, & censuræ commissum, vidi accuratè: & qua potui diligentia per dies aliquot perlegi: & in eo nullus est inuentus error, neq; aliquid fidei contrarium, aut sacræ Scripturæ vero & legitimo sensui, neque etiam decretis Pontificum & Conciliorum: verùm etiam sanam doctrinã, Christi laudem, & virginis honorem extollentem, ex antiquitate patrum tam Græcæ, quàm Latinæ Ecclesiæ exactissimo iudicio & peculiari electione de prõptam con-

continet, denique de immaculato Deiparæ conceptu ſententiam elegantiſsimis congruentijs & rationibus pulchrè probat. In ea etiam parte qua Virginem nõ modò caruiſſe peccato originali, ſed neque in Adamo peccaſſe, nec debitum proximũ habuiſſe aſſeuerat, ita modeſtè & attentè eam defendit, vt non ſolùm talis ſententia non poſsit cenſura notari, ſed probabili veritate gaudeat, ea enim eruditione & ſtudio author procedit, vt nõ modò ſacræ Scripturæ loquutiones mirificè ſaluet, verùm etiam in materia ſcholæ & in poſitiuis diligentiſsimus indagator veritatis & ſententiæ Patrum oſtẽdatur. Quare exiſtimo quod omnibus ſcholaſticis & concionatoribus, magni pretij hoc opus haberi debet. Poterunt inſuper ab authore plura alia & maiora in poſterum expectari pro ſui ingenij acumine & fælicitate, atque adeò cum magno fidelium fructu & ædificatione poterit prælo mandari, vtpotè dignum, vt imprimatur. Matriti, die octauo menſis Iunij, anno Domini 1616.

Doctor D. Ioannes
de Vargas, & Mendoça.

Digitized by Google

PROLOGVS
Ad Lectorem.

APHRAATEM vnum ex Therapentis, cùm communis quædam Eccleſiæ tempeſtas accideret, à Valente interrogatum, cur è ſolitudine ſeſe Antiochiam contuliſſet? reſpondiſſe ferunt: *Nemini è domeſticis, aut vicinis pigritandum eſſe, ſi quod fulgur paternam inuaſiſſet domum, ſed ſumma omnes diligentia, aquam haurire, & proſerpentem ignem ſuffocare debere.* Accidit id quoque mihi, cùm enim cellulæ ſolitudinem incolerem, Theologiæ ſtudijs totus deditus, rixarum ſtrepitus, contentionumquè tumultus, ab aliquibus contra Immaculatam Mariæ Conceptionem excitatos audiui; adeoquè inualuiſſe perſpexi, vt (quod de pijs hominibus vereor dicere) ferè iam cauſa manibus, & pugnis ageretur, ita vt, quæ Ennius quondam, vſurpari poſſent:

Tollitur è medio ſapientia, vigeritur res,
Non ex iure manu conſertum, ſed magè ferro
Rem repetunt.

Quis verò hæc proſpiciens pigritandum eſſe cenſeret? Quis Deiparæ honorem, quoad hanc cauſam per multos abhinc annos, quaſi ius poſſeſſionis habentem (ita vt niſi inter priuatos parietes, contra illum mutiret nullus) labefactatum cernens, pro ipſius defenſione in campum diſputationis non inſiliat? Huc igitur, Candide lector, aduenio, & ſumma diligentia à paterna domo (hoc eſt ab Eccleſia Chriſti) huius contentionis *proſerpentem ignem* (vt ille dixit) auocare volens, calamum ſcriptoris aſſumo.

Hic

AD LECTOREM.

Hic scopus apologetici mei libri, in quo hoc vnum mihi præfixi, vt non modò (aut leuiter quidē) alicui iniuriosus essem, sed neque austera, immoderata, aut supercilios a verba contra oppositæ sententiæ fautores assumam: cùm sciam Sapientis dictum Prouerb. 30. *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem, & illud* Alexandri, *Odisse se olitorem, qui olera ab ima stirpe resecidit.* Illa ergo solùm argumentando, meamquè de immaculato Mariano Conceptu sententiam tuendo, verba proponam, quæ vtilia, conducentiaue fore iudicaui: reliqua omnia prorsus respuo, penitus abijcio, &, si fortè argumētationis calore irrepsere, omnino detestor. Nec enim aliud, quàm Christi laudem, virginis honorem, fidelium ædificationem, & scandali, si alicubi est, vel fuit, omnimodam extinctionem perquiro.

Duo autem (vtinam fæliciter) probare contendā. Primum quidem vulgare satis, & à cunctis fidelibus receptum, videlicet, originalis peccati participem non fuisse Mariam: secundum autem, etsi pluribus Theologis arrideat, nequaquam tamen, ita applausibiliter admittitur, videlicet ipsam Deiparam Mariā in Adamo non peccasse, nec debitum proximū peccati originalis habuisse. Vtrumque ergo in hoc apologetico opere defendendum suscepi, nec inutiliter certè, si tibi, lector pijssime, gratū fuerit opus, ex quo me in posterum ad maiora prouocabis. Bene vale.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, & Reuerēdissimo D.D. Didaco de Guzman, Noui Orbis Patriarchæ, supremo Catholici Regis Eleemosynario, & Capellano, sanctissimæ Inquisitionis supremi Consilij Senatori, Gallię Reginę, & Principū Magistro, Abbati de Santander, Ecclesiæ Toletanæ Canonico, &c.

F. Ioan. Baptista de Lezana Carmelita Theologus.

COGVNT multa, Patriarcha Illustrissimè, librorum Scriptores, vt sibi magnos tutelares, egregiosquè Mæcenates exquirant; quorum sub alis innauigabile vulgi æquor, fælici vento, fausta sorte, inconcussaquè fama transigendo percurrant. Instat ad id primò miserrima filiorum Adæ conditio, qua, si nihil cuique proprium displicet, alienum nihil plenè arridet. Hinc Athenæus in Platonem morsus iacit, eiusquè Rempublicam ridet. Quintilianus (Politiano teste) in Senecam inuchi-

Athe. li. 2. Dymnosoph. c. 22

Politit. in præf. insti. Quin.

¶¶

inuehitur, eiusquè dicta, Arenam sine calce *compellat. Caligula Imperator (affirmante Suetonio) Titi Liuij pellucida opera, caliginosa nebula obscurare fuit aggressus. Aristoteles non omnibus placuit, Demosthenes Tullio displicuit, & in Salustium insurgere Seruus Grammaticus non timuit. Denique quantas detractorum linguæ, Ecclesiæ tubari (Hieronymum dico) molestias tulerint, testis est ipse ad Asellam. Hinc prophani scriptores hominibus illusoribus, & dicacibus, qui naso cæteros adunco suspendunt, nasum rhinocerotis tribuunt: scite Martialis:*

Hiero. in Epist. ad Asellam.

Mart. li. 1

Maiores nusquam ronchi, iuuenesquè, senesquè,
Et pueri nasum rhinocerotis habent.

Vt ergo ab his mordacibus, maligniſquè susurronibus, librorum scriptores sint immunes, Patronum quendam, cuius patrocinium ipsorum ora obtundat, diligentissimè quærunt. Ad id quoque secundò cogit immedicabile impiorum vulnus (inuidiam dico:) ea enim, quæ in alijs lucida conspiciunt, aut ab ipsis abstrahere conantur, aut sibimet arrogare cupiunt: cumquè aliquis in vita superstes fuerit, si tamen excellentius quid possideat, horum maledicorum hominum contumelias euadere nequibit. Post mortem id

Hor. lib. 2. epist. 1.

fæliciter impetrabit, quod belle Horatius:

Nisi

Nisi quæ terris semota, suisquè
Temporibus defuncta videt, fastidit, & odit.

Cuius aliam causam ignoro, nisi quia, vt ille dixit:

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.

Sed non hæc, Illustrissime Domine, animum compulere meum, vt te opusculi mei Patronum inuestigarem. Cùm enim religiosæ vitæ (etsi indignus) famulatum præstem, sæculariquè auræ, famæ, & opinioni vale dixerim, á mundanisquè honoribus animum abstraxerim; detractorum, aut maledicorum loquacitatem non exhorreo. Cùm etiam nihil in me boni, aut excellentiæ agnoscam, vt quid inuidos affectus, qui non nisi ad optima quæque aliorum feruntur, pertimescam? Tu igitur, & tua (inter tot Hispanos Principes) cor rapuistis meum, vt sub tui patrocinij vmbra arbuscula hæc ingenioli mei, seu noua germina è terra pullulentia visceribus requiescerent. Quem enim ingenua tua Guzmanorum prosapia toto orbe celeberrima, & spectatissima, ad sui maximam reuerentiam non alliciet? Quot verò Regibus, Principibus, Ducibus, & Magnatibus exornetur, narrent alij, scio namque Hieronymianum dictū: Sola apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus. *Quanta verò virtute præcellas, insignia ea munera, quibus decoratus viges,* Hiero. ad Cellanti.

plenis buccis proclamant. Princeps Patrum (hoc enim sonat nomen Patriarcha) *noui Orbis compellaris, vt te omnibus illius amplissimi mundi Patribus, & Prælatis excelsiorem æstimemus Antistitem. Hincquè iam illum non tam copia auri & argenti, nundinarum, gemmarum, lapillorumquè abundantia, innumerisquè, quibus pollet, diuitijs illustrem & præclarum dicam, sed te Antistite, faustum, felicem, & beatum concinnè prædicabo. Serenissimorum Principum magistrum, pædagogum, & indiuiduum comitem te in pluribus conspicio, quo (vt iudico) Monarcha noster Philippus aptius quàm Macedo ille (Philippus etiam) de suo Aristotele, proclamare poterit. Immortali Deo se gratias exhibere, quòd te superstite liberos ipsi concessisset, vt tuæ tibi traderentur disciplinæ. Supremi etiam sanctissimæ Inquisitionis Senatus iudex assistis, vt inde quisque æquitatis tuæ iudicium ferre possit: æquissimi namque tribunalis, quis nisi æquissimus esse debet iudex? In alijs hoc tribunalibus (proh dolor!) cernitur, vt quando que, non æqua causæ appendantur statera: at de hoc, quæ Bernardus quondam, t surpare licet.* Numquam dicit: Satis est, sed semper esurit, sititquè iustitiam: non enim ad annum, vel ad tempus, instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui. *Quo mihi luce clarius, qua tu æternitate, qui illius eximium membrum es, polleas*

Bernard. in epist. ad Garinum Abbatem.

leas, in propæculo ponitur. Hinc què te, Illustrissime Antistes, maxima laudis gloria dignum censeat quitatis. Si enim antiquitus, dum quis ad scalas, seu patibulum damnabatur, maximis iudex, qui illum condemnarat, afficiebatur encomijs, quòd iniqui hominis face Rempublicam expurgaret: de quo Iuuenalis iudicem quendam alloquens: Iuuenal. sat. 2.

Fingantur virides scalarum gloria palmæ.

Quibus te laudibus, encomijs, honorificisque epithetis prosequentur omnes, cùm vineam Domini Sabaoth purgare nimis contendis, ne aper de sylua, leo, vrsus, aut mala bestia, hoc est hæretici, illã deuastare, aut leuiter attingere queant? Mirè autem in hac causa Religiosissimum nostrum Monarcham Philippum, religiosissimi quoque populi Dei Regis Iosaphat æmulatorem aspicio. Hic namque, vt dicitur 2. Paralipom. 19. In Hieruſalem con- 2. Par 19
stituit leuitas, & sacerdotes, & Principes familiarum, vt iudicium, & causam Domini iudicarent: *hos verò Græca versio* Patriarchas *vocat. Sic etiam noster Hispanus Iosaphat, te alterius orbis* Patriarcham *in hoc sanctissimo tribunali Inquisitionis constituit,* vt iudicium, & causam Domini iudicares. *Maximè tamen eximiæ tuæ virtutis odoriferæ signa suprem*i Eleemosynarij *Regij munus & dignitas præostentat, quo, te verum instrumentum charitatis, & beneficentiæ esse, clarè*

præ-

prænoscitur: ad charitatis namque, & eleemosynæ munia obeunda non impius, sed misericors; non raptor, sed donator aptus esse potest. De Othone quondam apud Cornelium Tacitum Piso dicebat: Corn. Tacit. lib. 1. *Perdere iste sciet, donare nesciet: de te è contra Regiæ charitatis ministro fari possumus; Donare scies, perdere nescies. Verè quidem ditissimus es, dum egenis opem tribuis; pauperibus namque opem tribuere, veras opes appello, quæ danti, & recipienti opem tribuunt. Hinc os aureum Chrysostomi dixit:* Chrysost hom. 48. in Gene. In thesauro indeprædabili reponimus, quæcumque per manus pauperum præmittimus. *Dum te autem eleemosynæ operibus, insudantem video, Tobiam alterum, alterumque Iobum considero, cuius illa est vox:* Iob. 31. Si negaui, quod volebant, pauperibus; & oculos viduæ expectare feci. si comedi buccellam meam solus, & nõ comedit pupillus ex ea. *Quot autem miseris adiutorium tribuisti, quot viduis solatium, quot virginibus remedium, quot pupillis fauorem, narret ille, qui numerat multitudinem stellarum. Ego namque tuis in laudibus amplius immorari nolim. Vnum tamen silentio non supprimam, eximiæ tuæ virtutis, nobilitatis, ingenuæque modestiæ micantia signa prætendere, quod inter tot Principes, & Prælatos ad tot munera habenda à nostro religiosissimo Monarcha Philippo sis electus. Religiosissimus namque, & pïs-*

piſſimus Rex, cuius niſi Religioſiſſimi, & piſſimi miniſtri conſortium quæret? Si enim (Seneca teſte:) Seneca.
Diſsimilitudo morum, diſtantia vitæ, & ingenia contraria amicitiam diſſoluunt, *quid ni morum ſimilitudo, vitæ coniunctio, & paria ingenia, amicitiam conciliabunt?*

Hæc iam, Patriarcha Illuſtriſsime, & alia quæ præterco, me ad te, nec inuitum venire cogerunt. His attractus meum apologeticum pro immaculata Mariæ Conceptione librum ad pedes tuæ dignitatis conſtituo, vt tua ſub vmbra inimicorum tela (ſi illi fortè aliqua aduerſentur) retundere facilè queam. Cauſæ pietate, quam defendo, ſupplex id expoſco: immunitatem namque Chriſtiferæ Mariæ ab originali piaculo tueor, quin eam in Adamo non peccaſſe pro viribus confirmo, quorum primum ferè tota recipit Eccleſia, ſecundum verò pluribus Theologis arridet, & (quod magis eſt) à ſupremo ſanctiſsimæ Inquiſitionis Senatu, cui integerrimus iudex adſtas, approbatum, & receptum extat. Carmina iam Ouidij ſolita benignitate exaudias:

Cultor, & Antiſtes Doctorum ſancte virorũ,
Carmina ſunt ſtirps hæc, progenieſq; mea.
Hanc tibi commendo, quæ quo magis orba parente eſt,
Hoc tibi tutori ſarcina maior erit.

Inte-

Interim vive, vale, sane, & foue. Nestoreosque superes annos, vtramque felicitatem in Domino adeptus. Ex Carmelo Matritensi.

FINIS.



QVIDDITAS ORIGINALIS peccati præscribitur. Caput I.

NEcessum est, dum Sanctissimam Deiparam primordiali, & originali labe penitus caruisse demonstro, ipsius maculæ perniciosissimam naturã perquirere: incongruè enim Augustissimam Virginem ab eo defendere nitar, quod prorsus ignorare deprehendar. Ab hoc autem labyrintho facilè se Pelagius expedijt, originale nãque peccatum iunctis pedibus denegabat: vnde (vt verbis August. lib. de Hæres. Hæres. 88. vtar) *proprius error Pelagianorum est, negare peccatum originis.* Iam verò commune malum dixerim, cùm nostri temporis hæretici, qui scarabęi more stercora, in vnum copulata globum, amplexati sunt, hũc etiam erroré recepere. Hi sunt Anabaptistæ, vt Philippus Melãthonius retulit, Zuinglius in lib. contra Vrbanũ Regium, vt in suo Elencho Prateolus scripsit, Ioannes de Vuesalia Moguntinus, vt Bunderius in suo compendio, tit. 1. art. 1. enarrauit. Sed quis propter istos veritatem fidei, hoc est, sententiam affirmantem peccatum originale dari, derelinquet? Illam tradit sacra pagina, definiunt Concilia, recipit Ecclesia, approbant Patres, varijsque rationibus, & argumentis confirmant sacri

August. lib. de Hæresibus, Hæres. 88.
Philippus Melanc. Zuinglius lib. cõtra Vrbanũ. Prateolus in l. Elec. Ioannes Vuesalia. Bũderius in suo cõpend. tit. 1. arti. 1.

Theologi. Nos ergo, qui cũ Catholicis litẽ gerimus, abiectis hæreticis, Adæ posteros originalis maculæ contagio tabefactos esse supponamus, & eius quidditatem, vt proposito nostro vtilem, enucleemus.

Mathias Princeps Cẽturiat.

In quo etiam hallucinantur hæretici, nec Catholici concordes reperiuntur, Mathias ergo Illyricus Cẽturiatorum Princeps, primus in lucem prodeat, qui adeò ineptè, stultè, & oscitanter, de peccati originalis natura sensit, vt eam diceret esse, nõ accidens, non qualitatem, non priuationem; sed (ò terrificum portentum!) ipsam substantiam naturæ humanæ. Atque, vt hominem bestijs deteriorem faciat, nõ veretur nouus iste Manichæus, illũ post Adę lapsum imaginem gestare Satanæ, contendere. Eò etiam Illyrica na progreditur impietas, vt diabolum animarũ creatorem inducat. In huius erroris barathrum inductus fertur Hieremias Hombergius, etsi postea resipuerit, cuius hoc carmen extat:

Hierem. Höberg.

Prah dolor! hinc Satanæ simulacrum nascitur; omnis
Quem patris, & matris copula gignit homo.

Et rursus:

Ipse ego peccatum sum, propriequę vocor.

Petrum Canisium de B. Virg. lib. 1. c. 8. consulat lector. Interim sectariorum somnia (potiùs dicam vigilantium deliria) audiat lector. Illi ergo, licet Illyricam sententiam nobiscum condemnent, crassè tamen nimis de peccato originali loquuntur. concordi namque animo (vt vulpes Sansonis caudis alligatæ, vt Ecclesię segetes comburant) dicunt peccatum istud esse concupiscentiam, & fomitem, qui nos ad malum inclinat, id est, prauitatem, & corruptionem naturæ, secundùm quam integræ iustitiæ, qualem habuit in initio Adamus, defectum habemus.

Petr. Canis. de B. Virg. lib. 1 c. 8.

Digitized by Google

mus, Ita colligo ex confessione Augustana, art. 2. & ex Apologia eiusdem, & ex locis communibus Philippi Melanthonis, qui Apologiam, & cõfessionem, vt bonus sutor, consuit: & ex Martino Kemnitio in examine sessionis 6. Tridentinæ, & ex Caluino, libr. 2. instit. cap. 1. & alijs. *Aug. con fes. art. 2. & in Apol. Phili. Melanth. Mart. Kẽnitius in exam ses. 6 Tride. Calui. li. 2. instit. c. 1.*

Si de horum fanaticis opinionibus rectè iudicemus, comperiemus certè, illos veritatis scopum, toto cælo, toto mundo, totaque cogitatione perdidisse. Nec mirum, quia *in malevolam animam non introibit sapientia*, neque habitabit in corde Lutherano. Primò ergo Illyricum illum manifestè falsitatis redarguam, & quia indignum puto illius errorem, dum animarũ creatorem cacodœmonem inducit, retũdere, (hoc enim quasi idololatriæ pestem fugiẽdum esse, etiam cęci vident) ipsum Illyricum sic interrogabo: Aut tuãmet substantiã, Illyrice, in qua peccatum originale asseris consistere, ex diabolo formatam esse concedis, aut negas? si primum asseris, diabolicum, dæmoniacum, & satanicum hominem te appellabo, & vt sic signo crucis, vt filium diaboli te abijciens, nec verbis tecum disputare volo. Si tamen illud neges, cur alijs id maledictũ imponis? cur hominis substantiam è diabolo productam concedis? cur ita iniuriosus hominibus vis videri?

Insuper præcipuam partem huius erroris, qua talem sustãtiam peccatum esse originale debacchatur iste, sic euellam. Primò, ex hæreticorum malleo Augustino, qui lib. 6. cont. Iul. c. 1. a it: *Malum non esse aliquam naturam, quæ sit nostræ naturæ admixta*: quin ex ipsius Augustini sententia, quãm nobilior Theologorum cohors sequitur, ratio mali, non est nisi carentia boni, quod egregiè exponit lib. 2. cõtra Secund. Ma- *Aug. lib. 6. cõt. Iul. cap. 1.*

Idem lib. 2. cont Secund. Manich. c. 12. 13. & 14. & li. cõr. epist. fundam. c. 33. & 35. & in Enchirid. c. 11. Ad Rom. 14. 1. ad Tim. 4. Eccles. 3. Gene. 1. Ioann. 1.

nich cap. 12. 13. & 14. & lib. cont. epist. fundamẽti c. 33. & 35. & in Enchirid. à cap. 11. vt bellè notarunt Theologi: cùm ergo istius error, peccatum originale positiuam substantiam hominis constituat, contrarius est Augustino. Hanc præterea insaniam plurima sacræ paginæ testimonia improbant, ad Rom. 14. *Omnia sunt munda.* 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Ecclesiast. 3. *Cuncta fecit bona in tempore suo.* Genes. 1 *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Cùm ergo cogi possit affirmare hanc substantiam, quam ipse peccatum originis appellat, esse ex Deo, quia Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, eius error in propatulo ponitur. Quin etiam tertiò illum sic confundam: nam nullus dubitat, hãc hominis substantiã, post Baptismum manere, cælum intrare, si in gratia decedat: fide, spe, charitate, & alijs virtutibus in hac vita ornari: nullus tamen, etsi insanus sit, hæc de peccato originali fatebitur: igitur peccatum originale non est dicta substantia.

Iam verò sectariorum somnia, meras imaginationes esse, eisdem ferè argumentis, quibus Illyricum cõfutauimus, comprobare possumus. Peccatum enim non est ens, aut natura (vt vocant Theologi) positiua: non ergo est concupiscentia. Vlterius peccatum per Pœnitentiam deletur, per Baptismum abluitur, & per Christi gratiam tollitur: concupiscẽtia autem, dum viuimus, inseparabiliter, ad meritum, & agonem, nobiscum permanet; nimis ergo crassè, & infipidè eam esse originalem maculam garriunt isti. Si verò huius syllogismi maiorem propositionem non concedant, manifestis scripturæ testimonijs redarguentur, ad Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus, in Christo Iesu baptizati sumus, consepulti enim sumus, &c.* &

Ad Rom. 6.

cap.

cap. 8. *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu.* Ad Titum. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, vt mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* 1. Ioann. 1. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Sexcenta alia omitto, quia nugis, & nænijs, eorum efficacitatem illudent hæretici, neque cũ illis contendens modò, tempus insumere placet. Vnum tamen silentio non supprimam, tota facie mẽtiri istos, dum sui erroris Augustinũ fautorem autumant. Oppositam enim veritatem docuisse hæc testimonia inter alia ostendunt: primum ex libr. de nuptijs, cap. 23. *Concupiscentia in renatis iam non est peccatum, si ei ad illicita opera non consentitur.* Secundum ex 6. contra Iulian. cap. 5. *Regeneratus omni peccato caret, non omni malo.* Quid planius? Nihil.

Ad Rom. 8. Ad Ti. 2 1. Ioã. 1. Aug. lib. de nupt. cap. 23. Idem 6. cont. Iul. cap 5.

Catholicorum iam fallas explodamus thefes. Occurrit primus Albert. Pighius controu. 1. in comit. Ratisp. qui nihil in paruulis inueniens quod sibi videretur peccatum originale iure appellari posse; peccatum ipsum primi parentis, peccatum originale esse, totis neruis contendit. Eius assecla video Catharinum opusc. de peccato originali, cap. 8. nec leuiter ipsis annuit Caietanus in illud ad Roma. 5. *Per vnum hominem*, &c. Et si illos apertè non sequatur, quin clarè oppositum defendat, 1. 2. quæst. 82. arti. 3. Sed (quod bona venia istius sententię dixerim) de horum Theologorum placito verificatur illud:

Alb. Pigh contro. 1. in comit. Ratisp. Catharin. opusc. de pec. orig. c. 8. Caiet. in illud ad Rom. 5. Idem 1. 2 q. 82. ar. 3.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charibdim.

Dum enim errorem Lutheri vitare contendit, nescio an in Pelagij barathrum miserè detrudatur. Nam si tantùm pueri dicuntur peccatores, quia in communi parente Adamo in cibi comestione peccauerunt: non hoc negaret Pelagius: negabat tamen aliquid

in

in nobis esse, quod veram rationem originalis culpæ induceret, quod etiam videtur negare isti. Deinde si nihil in paruulis est, quod peccati cõmunis rationem sortiatur, vt quid Baptismus prædicatur necessarius? vt quid circumcisio in recutitorum lege præcepta? vt quid remediũ contra originalem maculam prouisor vniuersalis Deus semper instituit? neque enim actus ille peccaminosus Adæ per talia remedia deletur, neque ab ipso potest paruulus peccator denominari. Obstare etiam videtur huic sententiæ Sacra Tridentina Synodus sess. 5. can. 3. dum dicit, quòd peccatum originale *omnibus inest, vnicuique proprium*: si tamen peccatum istud esset actualis Adami præuaricatio, non nobis inesset in propria persona.

Cõci. Trid. sess. 5. can. 3.

Horum igitur relinquẽdo placitum, aliorum Theologorum existimationem audiamus. Quidam enim rationem originalis labis in morbida quadam qualitate, quam sibi confinxere, collocarunt. Sunt hi Theologi Gregor. in 2. d. 30. q. 2. art. 1. Gabr. q. 2. art. 1. Holcot. q. de imputabilitate peccati ad 1. Gandauens. quodlib. 2. q. 11. & alij. Est autem istorum explodenda sententia, primò, difficilem namque (ne dicam impossibilem) prouinciam capiunt, dum qualis sit hæc qualitas explicare conantur. Secundò, quia cùm hęc qualitas, positiua entitas sit, necesse est Deum authorem habere: *Sine quo factum est nihil.* Ioan. 1. Tertiò, nã hæc qualitas si esset, medio semine communicaretur animæ à Deo creatæ: semen autem, cùm corporeum sit, corporeę solùm qualitatis productiuum erit. Si verò hæc qualitas corporea dicitur, quomodo animã, quę spiritualis est, afficere poterit? Meritò ergo Theologorum calculus huic sententiæ valedicit.

Grego. in 2. dist. 30. q. 2. ar. 1. Gabr. q. 2 ar. 1. Holcot. q de imputab. pec. ad 1. Gandau. quod li. 2 q 11. Ioann. 1.

Quid-

Quidnam nobis sentiendum est? Certè nulla de peccato originali verior sententia apparet, quã quæ adstruit esse priuationem iustitiæ originalis debitæ paruulis ineſſe. Hanc Theologorum coriphæus amplexus est sanct. Thom. 1.2.q.82.artic.2.&3.& omnis eius expositorum veneranda cohors. Quibus iunge Scotum in 2.d.32.antiquiorem Bonau.dist.30.art.2. q.1.& innumeros alios, quos bellè Bellomontanus Vazquez, huius temporis celeberrimus Theologus in comment.ad.1.2.disp.132.c.8.illucidat, sequitur, & citat. Igitur ratione huius priuationis iustitiæ, pueri nascuntur filij iræ,& in odio Dei, & debitores pœnæ,ad modum (inquit Christopolitanus episcopus Psalm.45.) quo de Iunone,& Troianis,inquit Virgilius AEneid.primo:

S. Thom. 1.2.q.82 ar.2.& 3 Scot.in 2. dist. 32. Bonau.d. 30.art.1. q.1. Vazquez in 1.2.dis 132.c.8. Christop. Psal. 45. Virg.Aeneid.1.

——— Manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores, &c.

Neque est animus eam ad longum probare,sed quãtum ad nostri instituti ratiionem pertinet, breuiter supponere. Verumtamen hac efficacissima ratione illã amplector. Nam ratio originalis peccati in illius rectitudinis defectu, quæ nobis,si Adamus non peccaret,eueniret,constituenda est. Sed rectitudo nobis in tali casu, fælicì forte euenturæ, esset iustitia originalis; defectus ergo illius peccatum originale erit. Sed hic defectus non potest esse mera negatio, cùm subiectum, nimirum spiritualis anima, iustitiæ originalis capax sit,ergo est priuatio. Illa ergo rationem originalis maculæ sortitur. Si placet, secundò sic probes. Id est peccatum originale,quod per Baptismum deletur, quod hominem filium iræ, & Dei inimicum constituit,hoc autem solum potest priuatio-

tioni iuſtitiæ originalis competere, vt patebit ſigillatim per ſingula diſcurrenti: ergo, &c.

Annuam libenter, ſententiam hanc aliquibus difficultatibus ſubijci, quas tamen facilè Theologus ſoluet. Ego verò eam potiùs, vt veriorem ſupponens, quàm defendens, ad præfixum mihi ſcopum (vtinam fæliciter) de Deiparæ Immaculata Conceptione probanda, iam attingo.

Sententia adſtruës Deiparæ immunem à peccato Conceptionem proponitur, vt innumeris Theologis arridens, Carmelitis præſertim. Caput II.

FEce, candide lector, quem mihi terminum huius operis lubenti animo præfixi: ecce Lydium, ſeu Heraclium lapidem, non ignobilium acuminum probatorem, cuius attritu aurum cuiuſque deuotionis, erga Dei genitricem proditur, & reuelatur. Noſtro iam pio erga ipſam amori occaſio offertur, vt eam omnigena, omnibuſque numeris abſoluta nobilitate animæ prę fulgentē (*Hidalga de quatro coſtados* Hiſpanè dicitur) exponamus. Totis igitur præcordijs defendendum ſuſcipio, *Sanctiſſimam, & Beatiſſimā Dei genitricem Mariam, omni labe originalis, & communis peccati, ſeu maculæ, liberam, & nudam, etiam pro minimo durationis extitiſſe.* Veritatem iſtam gratiſsimam Deo, eius Matri honorificam, Sanctis omnibus iucundam, & toti populo Chriſtiano celeberrimam, primò ex ſacra pagina depromptis teſtimonijs; deinde Eccleſiæ authoritatibus; inſuper Diuinis ſuper hoc reuelationibus, & miraculis à Deo factis; vlterius Patrū vtriuſque

vtriusque Ecclesiæ, & grauissimis aliorum testimonijs, ac etiam inimicorum fidei confessionibus; item efficacissimis ex ratione argumentis; ac demum ex facili eorum, quæ contra illam obijciuntur, enodatione: munire, obfirmare, & stabilire, contendo. Neque inde, aut latum vnguem (vt aiunt) ab Ecclesiæ determinatione discedam.

Propriùs tamen in hoc capite, ex innumeris huius veritatis tutoribus, aliquot, qui eam illustrarunt, afferre placuit. Equidem etsi illa (vt ex dicendis inferius apparebit) in incunabulis prodeuntis Ecclesiæ, non leuiter, nec digito, à sanctis Patribus illius sæculi mecænatibus, indicata appareat: quin, vt verius dicam, à mundi prima conditione, à Diuino numine, verbis, factis, & figuris, adumbrata fuerit. Qui eam tamen scholastico modò insigniùs affirmare cœpit, subtilissimus fuit Ioannes Duns Scotus, hoc solo titulo, & si alij de essent, conspicabilis, & clarissimus Doctor. Docuit illam in clarissimo sententiarũ opere, in 3.d 3.q.1.& dist.18.q vnica Dum tamẽ huius sententiæ hunc clarissimum Doctorem, anteignanum, & vexilliferum dico, non sic accipiat lector, quasi illam primus asseruerit. Constat namque temporibus Angelici Doctoris, & Alexandri. Alens. qui aliquot annis Scotum præcessere, celebrem hãc cõtrouersiam extitisse. Quin Seraphicum Bonauenturam dicentem video, suo tempore ab aliquibus defendi. Et quod maioris antiquitatis indicium præstat, tempore quoque melliflui Bernardi, qui, iuxta Trithem. de script. Eccleſiast. ann. 1140. floruit, iam adeò hæc vigebat opinio, vt festum Immaculatæ Cõceptionis apud aliquas Ecclesias celebrari cœperit, vt ex eius epist. 174. & ex dicendis inferius manifestum erit.

Scotus in 3.d. 3.q. 1.& dist. 18.q.vn.

S. Thom. Alensis. Bonauen.

Bernard. Trithe. de script Ecclesiast.

Gabriel. Alma. 3. dist. 3. Ioã. Bach in 3. d. 30 q 1. ar. 1. & in 4. d. 2. q. 4. art. 1. Dion. Carth. in 3. d. 3. Marsil. in 2. q. 20. Card. Cusanus. Abul. Lyncon. Gerson. Roffensis Clitou. Pighius. Agricol. Viues. Driedo. EKius. Budæus. Lypoma. Cath. Ioã. Bac. Frã. Mar Trithem. Michael Bonon.

Apertis (vt aiunt) brachijs, eam postmodum amplexati sunt Theologi celeberrimi: & inter eos Gabriel, & Almainus in 3. d. 3. vbi refertur Ioannes Bachonius nostræ Carmeliticæ familiæ egregius alumnus, quem potiùs in oppositam incidisse sententiam video in 3. d. 30. q. 1. art. 1. licet postea in 4. dist. 2. q. 4. art. 1. cum quadam limitatione (re limatius perspecta) doceat, *B. Virginem vt futuram matrem Christi, originalem labem non contraxisse.* Clarius eam prosecutus est Carthusianus Dionysius in 3. dist. 3. Marsilius in 2. q. 20. Illustrissimus Cardinalis Cusanus, Abulensis, Robertus Lynconiensis, Cancellarius Gerson, Roffensis, Clitouæus, Albertus Pighius, Rudolphus Agricola, Ludouicus Viues, Ioannes Driedo, Ioannes EKius, Budęus, Lypomãnus, & alij, quos, & Catherinus in opusculo de hac re, & alij recensuere.

Et quia in infinitũ progredi esset innumeros huius opinionis asseclas ex omnibus Ecclesiæ Religionibus referre, ex aliquibus tantum aliquot authores afferam. Et à nostra Carmelitica familia incipientes, præter Ioannem Bacconem, quem retuli, occurrit primus Franciscus Martini Carmelicola, & insignis apud Cathalanos Theologus, qui ab hinc 270. annis pręclarum, & multa diligentia conscriptum volumẽ de sancta, & purissima Mariana Conceptione, edidit, vt testatur Trithem. de script. Ecclesiast. & author lib. septem ętatum. Huic adiungam nostri etiam Ordinis Priorem Generalem Michaelem Aiguanũ Bononiensem, quem olim incognitum, nunc verò cognitum, celebres in Psalmos commentarij effecere: in Psalm. namque 29. circa illud: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, nostrę sententię adstipulator existit. Vnde opus insigne de Conceptione

tione Virginis, quod ab hoc Patre editum, narrat Trithemius, hanc veritatem latius continere non dubito, illud tamen desidero, iniuria forte temporũ ad meas nondum peruenit manus. Accedat tertius noſtrę etiam familię Generalis Prior, in toto mundo celeberrimus, Chriſtianus Poeta, ſeu Virgilius Chriſtianus nuncupatus, Baptiſtam Mantuanum dico: huius autẽ carmina ne deſideret lector, dulcia certe & lepore plena, ecce poſui. In illis autem priùs quæſtionem proponens ſic fatur: *Baptiſta Mantua.*

Ante tener ſacra fœtus quam vineret aluo,
Conceptus ne prima nouos exordia pullis
Induerent maculis: mens ne ſincera, nitenſque
Communem imbiberet labem, ne pigra liquore
Pectora Lethæo fierent: quæ lactea magno
Pabula, & amplexa fuerant latura Tonanti?

Poſteà tamen propoſito dubio ſatisfaciens ſic cecinit:

Semine confuſas ſordes, & virus inuſtum
Diſſecuit: fœlici anima mox imbuit artus. *Idem.*

Clarius paucis interiectis (oppoſitâ relata ſententia) quam amplectatur ipſe his verſibus prodit.

Sed prior (vt nobis æquum ſentire videtur) *Idem.*
Dignior eſt, & grata magis, nato atque parenti:
Nam legi aſſurgens Mariæ decus addit: opuſque
Materna dignum attribuit pietate Tonanti.

Perſpicuè quoque in ſequentibus, interpoſitis quibuſdam, ſui placiti primordialem rationem ſic adhibuit.

Quod ſi fiderei tanto ſplendoris honore *Idem.*
Fulget, vt æterno qui temperat ordine mundum
Geſtauit grẽmio, lactauerit vbere dulci,
Strinxerit amplexu, ſummoque vocarit Olympo:

Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi infestare luto, mortalibus æquas,
Cui pater æthereus mentem subiecit, & astra.

Idem Eglog. 8. Nec fui oblitus repetijt idem Eglog.8. dum de die Conceptionis sic concinit concinnè.

Illa dies etenim sanctæ primordia Nymphæ
Fecit, & in nostras vetuit descendere sordes.

Nec mirum sanè hos, & alios insignes Carmelitas, quos posteà referam huic sententiæ adhæsisse; nã vt omittam iure hoc à proprijs filijs Deiparam sanctissimam exigere potuisse, quod ab extraneis multis impetrauit. Præter hoc etiã multæ suppetũt rationes, quare in hanc conspirare deberẽt opinionẽ. Est prima, quòd veritas Immaculatæ Conceptionis, huius Religionis Protoparenti Eliæ, in visione illa nubeculæ paruæ de mari ascendentis 3.Reg.18. fuit ostẽsa, vt testatur Ioãnes Patriarcha Ieroſolymitanus 44. nostri Ordinis Pater insignis in lib. de institut. Monacho. cap. 32. in 8 tom. Bibliothecæ Patrum, vt eleganter etiam approbat doctissimus Theologus Petrus Ojeda è societate Iesu, in eruditissimo tractatu Conceptionis, c. 1. Secunda etiam ad id est ratio, nã eiusdem Illibatæ Conceptionis veritas per Carmelitas omnes, filioſquè Prophetarum, eorumquè successores, ab eorum Patre Elia, quasi de manu in manum, deriuata fuit, vt docet ibi idem Patriarcha Ioãnes per hæc verba: *Quid autem Sacramenti visio illa* (scilicet paruæ nubeculæ) *rerum futurarum contineret, & quod iugis mysterij, Deus Eliæ per eam protenderet, dignatus fuit Elias aperire, non palàm hominibus, sed secretiùs consortibus, à quibus traditum tenemus.* Narrat verò posteà eam visionem Dei Mariæ conceptum denotare. Vnde meritò, & sine inuidia perdoctus Pater Ojeda, huius

3.Reg.18 Ioã. Patr. Ieroſol.

Petrus Ojeda in tract. Cõcept.

ius veritatis traditionem per 2500. annos Eliæ succeſſoribus Carmelitis noſtris (quod nobis ſatis glorioſum eſt) eruditiſsimè adſcribit. Idque Doctor Paulus de Zamora in concione apud celeberrimam Toletanam Eccleſiam habita diſertè affirmauit, indicauitque Angelus de Pas inſignis Franciſcanus, dum 1. tom. expoſitionis in ſymbolum, lib. 5. cap. 22. dixit à Carmelitis honoratam Virginem, antequam natã. Ad idem eſt tertia ratio; nam primi fuerũt Carmelitæ, qui in honorem Conceptionis ſanctiſsimæ Mariæ, templum ipſi dicarunt, quod & his verbis affirmauit dictus Patriacha Ioannes, cap. 36. dicens: *In memoriam viſionis de ortu huius Virginis præoſtenſæ ſancto Prophetæ Eliæ, Monachi prædicti anno Incarnationis Filij Dei 83. diruentes eorum Sanaion antiquum dedicauerunt huic primæ Virgini Deo dicatæ, Capellam quandam in monte Carmeli iuxta fontem Eliæ, in ſitu illo, in quo Elias orans viderat viſionem illam.* Huius autem templi Mariani à Carmelitis conſtructi, innumeri mẽtionem faciunt, & ex noſtro ordine plures præteriens, ex alienis id referunt Pater Ojeda citato loco, Zamora in concione Beatificationis ſanctæ Tereſiæ, Fereolus Loerius, lib. 3. c. 17. & alij ſexcenti.

Doctor Zamora. Angelus de Pas.

Ioã. Patr.

Ojeda. Zamora. Fereolus Loerius.

In ſignum autem huius antiquæ deuotionis Carmelitarum, ad Mariæ Conceptionem, in Capitulo generali anno 1306. apud Galliam celebrato, vt hoc feſtum pro toto ordine celebraretur, fuit ſtatutum, teſte Paleonidoro noſtro, lib. 3. c. 10. Et in Breuiario anno Domini 1574. impreſſo, & iuxta vetuſtam, & approbatam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ conſuetudinem inſtituto, hoc feſtũ cum octaua colitur. Et quod maioris antiquitatis ſpecimen præbet, antiquus noſtræ Religionis Scholaſticus Ioannes Bacco, in 4. d. 2. q. 4.

Paleo. l. 3 cap. 10. Bacco in 4. d. 2. q. 4.

Digitized by Google

2.q.4.art.3.qui abhinc 300.annos vixit, ait, quod ab antiquis temporibus, hoc festum in Romana Curia, præsentibus Cardinalibus, in Carmelitarum Conuentu colebatur. *Et hoc* (inquit Bacco) *publica, & diuturna consuetudine, & hæc duranerunt tempore multorum Romanorum Pontificum, vsque in præsens tempus, & constat, quòd tanquam diuturnam, & notoriam solemnizationem bene nouerant.* Quare veritatem istam præter Theologos adductos, alij etiam plures ex nostro ordine susceperunt. Quales sunt antiquissimi Patres, Cyrillus Alexandrinus, & Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, vt suo loco in serie Sanctorum Patrum eorum verba referentes dicemus. Quibus adscribunt aliqui, Sanctissimum Petrum Thomam Ordinis nostri Patriarchã, & Martyrem; nec alienos ab ea putant grauissimum, & inter Theologos laudatissimũ Thomã Vualdẽsem, & inter Gallos doctissimos Thomam de Beauxamis, & Ioannem Mariam Verratum: *Amatorem veritatis*, nũcupatum. Nec credam episcopum Guidonem, & Paulum de Perusio, quos aduersarij pro cõtraria opinione ex nostris referunt, à nostra omnino discedere. Demùm nouissimè Pater Magister Sobrinus, & Pater Præsentatus Loaysa ex Bætica Carmelitana Prouincia, in specialibus libris pro Immaculata Mariæ Conceptione fælicissimè dimicarunt.

Cyrillus Alexan.
Ioã. Hier
S. Petrus Thom.
Tho. Vual denſ. Tho.
Beauxa.
Ioẽ. Mar.
Guido.
Paulus de Perusio.
Magister Sobrinus.
Præsent.
Loaysa.

Excellentissimam etiam Franciscanorum familiã, quę adeò amplissima in Ecclesia viget, vt nescio an tertia pars Ecclesiastici status sola sit, huius sentẽtiæ famulatui semper deseruisse, omnes norunt. Pręcipuos namque illius asseclas Christianus orbis eos appellat. Nec immeritò sanè, cùm Iulius II. in confirmatione regulæ Monialium Conceptionis Ordi-

Iulius II.

nis,

nis, Minores Religiosos *indefesso studio, & vigilantia, puritatis, & innocentiæ Deigenitricis defensores* appellet. Quin hanc opinionem toto viscerum hiatu defendunt. Suntque quam plurimi in hac insigni familia, qui pro ea fæliciſsimè dimicarunt. Præcipui sunt Scotus iam relatus, Aureolus apud Capreolum à recentioribus adductus, Illuminatus Doctor Mairon, in 3.d.3.q.2. Lyranus sup cap.1. Luc. Alexand. Alēsis in lib.de quo alibi mentionem faciam, Ricard.de Mediauilla in expositione salutationis Angelicæ, & ex recentioribus Andreas Vega, lib.2. in Trid. cap. 6. Cordub.lib.1.q.44. Castro verbo *peccatum* Hæres. 9. & nouissimè doctissimus Ioannes Carthagena, qui in homilijs Catholicis de Deipara, lib. 1. eruditissimè hoc persequitur intentū, ex quo plures flosculos decerpsisse fateor, vt meum hunc fasciculum construam. Deniquè inutilis labor est huius inclitæ Religionis alumnos, nostrę fautores thesis, adscribere, ideo libenter supersedeo.

Scotus. *Aureolus* *Mairon.* *Lyranus.* *Alensis.* *Ricardus* *Vega.* *Castro.* *Carthag.*

Ex grauissimo quoque, nec minùs nobilitate, quàm sapientia, prestanti Augustinensium Ordine, extitere plures, qui huius sanctissimæ sententiæ, adiutores fuerunt. Inter quos nobilissimus Scholasticus Thomas Argentina, eam in 3.d.3. prosecutus est. Quod imitatur Iuo Carnotēsis episcopus, eiusdemque Religionis sidus splendidum, in sermone de Natiuitate Domini. Grauissimè quoque adhæret istis Christopolitanus episcopus Iacobus de Valencia in psalm. 13. & sæpius alibi. Insuper Paulus Venetus eiusdem Ordinis in tract. de Conceptione Virginis eandem veritatem recepit. Ac denique his temporibus, insignes Doctores, exclamatoresque celeberrimi, quibus hæc nobilis abundat familia, hanc par-

Argentin. in 3.d.3. *Carnotensis episc.* *Iacob. de Valencia.*

tem

Magnus Albertus, in lib. de Laudibus Virginis à Canisio, lib. 5. cap. 27. relato, eam solam à communi illa regula, *Omnes in Adam peccauerunt* excepit. Insuper Vincentius Beluacensis, & Illustrissimus Hugo Cardinalis hanc partem recepere, teste Pineda, vt suprà. Præterea Robertus HolKot in cap. 13. Sap. Ioannes Taulerus in sermone Purificationis; Guilielmus Pepinus in sermone Conceptionis; Sancius de Porta etiam in sermone alio; Leonardus Vtinus; venerabilis Pater Ludouicus Granatensis; insignis Salmanticæ Primarius Theologus Ioannes de la Peña, huic piæ opinioni auxiliati sunt, vt eruditè refert Pineda. Quibus etiam adiungam Herbæum in 2. Corint. cap. 5. Ambrosium Catharinum in celebri Opusc. de hac materia, Ioannem Viguerium de peccato originali, cap. 18. & Vincentium Iustinianum in additionibus ad historiam B. Ludouici Bertran, & Dominicum Sotum in cap. 5. ad Romanos. Quin etiam alios huius temporis, & familiæ grauissimos Theologos referre possum, sed hi sufficiant, vt ignaro vulgo satisfaciam, ne totam hanc celeberrimam Religionem nobis cõtrariam putet cum verè affirmare possimus nobilissimam, præclarissimamquè partem illius, pro nobis decertare.

Albert. Magn. in libr. de Laudib. Virg. Caniſ. li. 5. ca. 27. Vinc. Bel. Card. Hugo. Pineda. HolKot. Taulerus Pepinus. Porta. Vtinus. Granat. Peña. Pineda. Cathari. Viguer. Herbæus Vinc. Iuſt Dominic. Sotus.

Vnde non immeritò grauissima hæc Dominicanorum familia, in Manuali sui Ordinis apud Hispalim anno 1524. impresso, vt referunt Magister Sobrinus, & Pater Ojeda in tractatibus Conceptionis, in vltimo cap. Manualis, per hęc verba oppositæ sententiæ valedicunt. *Sed iam de hoc* (scilicèt de opinione affirmante Deiparam habuisse peccatum originale) *non est curandum, eum sit materia nullius vtilitatis, & valde scãdalosa; præsertim cum tota ferè Ecclesia, cuius vsus, & autho-*

Manuale Dominic. Mag. Sob Pet. Oje.

ritus secundùm Beatum Thomam, prævalet dicto Hieronymi, & cuiuscumque alterius Doctoris) iam asserat, quod fuit præservata. Hæc isti referunt ex hoc manuali, & vt ab ipsis accepi, refero: nec enim vellem oppositam sentẽtiam scandalosam nuncupare, ne Pontificijs decretis contrarius videar.

Sed quis non expectabit, vt dum instituti nostri commilitones annumero, vniuerso mundo celeberrimæ, & colẽdissimæ Iesuiticæ Societatis huius partis fautores Theologos recenseam? Tota enim hæc familia, iuxta sui ordinis decretum in Congregatione quinta generali can. 55. vbi præcipitur, quòd *sequantur sententiam, quæ magis hoc tempore cõmunis est, magisquè recepta,* huic parti adhæret. De hoc igitur vnica, splendidissimaquè Religione speciale hoc affirmare quibimus; nullum scilicèt exilla prodijsse, qui (quòd sciam) immaculatæ Conceptioni Mariæ aduersarius extiterit. Quin (quod in magnum illius decus cedit) quadraginta, & ampliùs celeberrimos Theologos recensere possem, qui pro ea strenuissimè militarunt. Primò enim tres Theologiæ Sacræ Coriphæi, Gregorius Valentinus, Franciscus Suarez, & Gabriel Vazquez illam mirè prosecuti sunt. Deinde expositiui Theologi alij, quales sunt Cardinalis Toletus in c. 3. Ioannis, Alphonsus Salmeron, tom. 3. tractatu 12. Benedictus Pererius in Dan. c. 4. Sebastianus Barradas tom. 1. libr. 6. concord cap. 3. Ioannes Maldonatus sup. Math. 9. Lorinus in Psal. 95. Iustinianus in c. 2. 1. ad Timoth. Cornelius in ad Rom 5. Magallanes in 1. ad Timoth. 2. Sapientissimus Pineda in c. 14. Iob. Omnes isti nostram sententiam apertis brachijs receperũt, & confirmarũt. Præterea alij specialia opuscula de Deipara scribentes,

Valẽcia.
Suarez.
Vazq.
Toletus.
Salmerõ.
Pererius.
Barradas
Maldon.
Lorinus.
Iustinia.
Cornelius
Magall.
Pineda.

ipsius

ipsius illibatum conceptum mirificè illucidarunt, quales sunt Petrus Ojeda in celebri tractatu nouissimè edito, Canisius de Deipar. lib 1. Turrianus in epistola ad Iacobum Amiotum episcopum Antissiodor. Martinus del Rio in Florida Mariana, in festo Concept. Ioannes Bonifacius, & Christophorus de Castro in vita Deiparæ, Carolus Mangotius in monitis Marianis monit. 2. Insuper plures alij in concionibus, meditationibus, deuotionibusquè, quas scripserè, nostram amplexati sunt sententiam. Et quia longum esset omnes referre, ab hoc requiescam. Vnum tamen, qui pro mille sufficeret, Illustrissimum Cardinalem Robertum Bellarminum, Ecclesię columnam, huius Religionis decus, totiusquè Christiani orbis splendidissimum lumen, viuentem adhuc (vtinam Nestoreos viuat annos) non prætermittam. Illam namquè, tom. 3. lib. 4. de statu peccati, mirificè comprobauit.

Pet. Oje. *Canisius.* *Turrian.* *Rio.* *Bonifac.* *Castro.* *Mangot.* *Card. Bellarm.*

De alijs quoque Ecclesiæ Religionibus, innumeros fautores adscribere possem. Ex Benedictina, & Cisterciensi splendifluis Familijs plures omittens, hos duos silentio non inuoluam, Ludouicum Blosiũ in dictis aureis sanctor. cap. 5. & Reuerendissimum Petrum Lorca in 1. 2. S. Th. q. 81. art. 3. Ex Hieronymiana quoque Congregatione (quæ verè in hac parte Hieronymiana est) pręteriens multos, Hectorem Pintum Lusitanum celeberrimum in cap. 43. Ezech. commentatorem non præteribo. Ex Sanctissimæ quoque Trinitatis nobilissima Religione alios non recensens, Rupertum tamen Gaguinum Gallũ huius pręclarę familiæ quondam Generalem Ministrum, non tacebo. Opus enim insigni carmine compactum de Deiparæ Conceptione contra aduersa-

Blosius. *Lorca.* *Hect.* *Pintus.* *Gaguin.*

rios scripsit. Quod vtinam nactus essem, nec enim minus libenter eius carmina referrem, quàm legerem. In hoc tamen Abbati Spanhemensi Trithemio credens loquar. Demum S. Mariæ de Mercede tota Religio huic veritati adhæret, cùm à sua institutione illius festum colat, vt testatur Fr. Siluester Saabedra in dedicat. ad discursus Conceptionis.

Trithem.

Sed inutilis certè labor est, remquè veritatis suspectam reddens, in testibus allegandis immorari. Compertum enim omnibus est, innumeros planè Theosophos thesem propositam defendere. Quin, vt Caiet. ipse in opusc. de hac re cap. 5. nobis confessus est, *numero infiniti* sunt, qui eam sequuntur. Et quidem, vt de hoc tempore testis oculatus loquar. Omnes sacræ Religiones in hoc vnum conspirarunt vnanimes: Vniuersitates, & Gymnasia publica consentiunt: sapientissimi Theologi profitentur: docti omnes (paucis exceptis) recipiunt: Concionatores cuncti, miris vbique, & dulciter vocibus, id resonant: Principes, & Magnates, dum aliud audiunt, obstupescunt: totus insuper Christianus populus sic amplectitur, vt pro Deiparæ immaculata Conceptione tuenda, plures non dubitaturos subire mortem, credam. Denique ex ore infantium, & lactentium, Virginis Sanctissimæ laudes, in vicis, callibus, publicisquè plateis etiam pro puerilibus cantilenis, sic Deus perfecit, vt ab omnibus *vox populi*, & quod inde infertur *vox Dei* recipiatur.

Caietan. opusc. de hac re c. 5

(. ? .)

Fir-

Firmiſsimo ex Geneſ. 3. teſtimonio noſtra roboratur ſententia. Cap. III.

Geneſ. 3.

QVòd Deiparæ immunitatē ab originali, ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs comprobemus, rigidi nobis aliqui exactores exquirunt. Sed, bone Deus, quàm importuna iſtorum exactio eſt? Multa mihi dicenda ocurrunt, quibus eam facilè repellere queam. Primò namque ab iſtis peto, an omnes Theologicæ veritates in ſacra ſcriptura planè contineantur? nec ne? ſi primum dicant, Sectarijs vires præſtant, qui ideo traditiones negant, quia nihil, niſi in ſcriptura contentum admittunt. Si verò ſecundum, vt Catholici, fateantur: cur veritatem, quæ adhuc inter fidei dogmata Eccleſia non repoſuit, ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs comprobare nos cogunt? Hieronymi autem verba ad Galat. 1. aptè nimis hic adaptantur. *Non in ſcripturis eſt, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in verborum foliis, ſed in radice rationis.* Porrò verò, quàm immeritò ſacræ paginę teſtimonia pro noſtra fulcienda ſententia à nobis exigant, ſic conſtabit. Ab iſtis namque percontor: ex quo ſacræ ſcripturæ loco Virginem Sanctiſsimam adhuc in vtero matris exiſtentem ſanctificatam fuiſſe, clarè deducunt? Ex quibus ſcriptoris Canonici verbis ſcientia infuſa fuiſſe decoratam inferunt? Ex qua ſacræ paginæ clauſula, eam corpore glorioſam cælum vſque aſſumptam excerpunt? Quæ etiam totiùs Bibliæ verba, omni peccato actuali, læthali, ſeu veniali orbatam eſſe, illis manifeſtè exponit? Innumeraquè alia, quæ de Dei genitrice, piè, ſanctè, atque

Hieronym. ad Gal. 1

atque deuotè, Ecclesiæ fideles credunt, quæ sacræ literæ illis indicarunt? Si ergo hęc, & alia multa, non ex sacris literis, sed vel ex Ecclesiæ traditione, aut Theologorum consensu, populi approbante deuotione, mendicarunt, cur in hoc singulariter puncto de Virginis immunitate à communi macula, libros sacros exigunt a nobis? Vnde optimè Nicolaus Abbas sancti Bernardi Secretarius in epistola nona ad Petrum Cellensem lib. nono hæc dixit de Maria:

Nicolaus Abbas.

Præsumuntur multa de Virgine, quæ nusquam leguntur: & præsumptionibus standum est, donec probetur in contrarium.

Sed agedum ne his contenti simus, & quod à nobis postulant manibus (vt inquiunt) plenis, ipsis proferamus, varijs ergo ex sacra Biblia testimonijs excerptis, quorum alia in literali, & historico sensu; alia in mystico, & spirituali, (qui, dummodo nobis innotescat, efficax est ad quamcumque comprobandam veritatem) alia verò in sensu tantùm accomodatitio sunt acepta, nostram veritatem efficacissimè probabimus. In hoc autem capite egregium sacræ scripturæ testimonium, quod vnum pro mille sufficere deberet, minutatim, & accuratè in Virginis fauorem enucleabo.

Locus est ex Genes. 3. insignis, cùm enim maligni-

Genes. 3.

tatem serpentis ob fraudem primis parentibus illatam, malediceret Deus, sic dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa cõteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Vt verò egregium hoc testimonium nostro instituto aptè deseruiat, tria pro illo comprobanda assumo. Primum est mulierem, de qua ibi est sermo, esse Deiparam sanctissimam, quæ etiam verbo illo *ipsa* referatur. Secundum

cundum est, serpentem Dæmonem esse, seu peccatum. Tertium verò, *conterere caput* serpentis esse, omnigena de Diabolo parta victoria, Augustissimam Dei matrem, peccatum omne, etiam originale effugisse. Faxit Deus, vt hæc omnia in laudem Dei, Virginisque decus perficiam.

Et quidem primùm vulgatam lectionem, quæ legit: *Ipsa conteret* (nimirum mulier) defendendam suscipio. Eam namque nobilissimi Patres nobis tradiderunt, Ambrosius de fuga sæculi, cap. 7. Chrysost. hom. 17. in Genes. August. lib. 2. contra Manich. cap. 18. Gregor. lib. 1. Moral. Euchertus, Beda, Rupertus, & sexcentiali super hunc locum. Abeant igitur in malam crucem consibilantes aspides, concoaxantes rubetæ, & latrantes canes (sectarios dico) Caluinũ, Selnecerum, Fursterum, & alios, qui stramineis certè argutiunculis contendunt, literam hanc mendosam esse. Eam porrò veram esse, vnus ex his, quos retulimus, contra Caluinianorum, & Lutheranorum millia nobis sat erit. Iam igitur, si *ipsa conteret* legendum est, ad quod exantecedentibus verbum *ipsa*, nisi ad mulierem, referri debet? Mulier ergo est, quæ serpẽtis caput contritura dicitur: ficque Marius Victor, libr. 1. in Genes. decantauit, serpentem alloquens.

Amb. de fuga sæc. cap. 7. *Chrysost.* *August.* *Gregor.* *Eucher.* *Beda.* *Rupertus* *Caluinus.* *Selnecer.* *Fursterus* *Marius Vict. lib. 1. in Gen.*

— — *Pedibus repes, & pectore prono,*
Teque tuo mulier pariter cum semine, cuius
Callidus extremis tantùm insidiabere plantis.

Quæ verò sit hæc mulier serpentis caput contritura, quod probãdum cepimus, à Ruperto petamus. Lib. autem 2. de Victoria verbi Dei, sic nobis respõdet: *Principaliter B. Virgo Maria mulier illa est, inter quam, & serpentem inimicitias positurum se dixit, & posuit Deus.* Accinit Cyprianus, dicens: *Ponam inimicitias inter te,*

Rupertus libr. 2. de Victor. verbi Dei.

&

& mulierem, id est, suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non solùm te non audiat, sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat nouitate, dicendo: Quomodo fiet istud? Ecce digito indicatam Mariam. Hoc etiam euidentius demonstratur; nam per *semen* mulieris proculdubio Christus intelligitur, quis hoc neget? annuunt omnes: Christus verò solius Mariæ semen dicitur, quò spectat illa loquendi formula ab Angelo Luc. 1. vsurpata: *Quod nascetur ex te*, idest, ex te solùm. Infertur igitur fœminam istam Deiparam solam esse. Expressit hoc iam Alchimus Auitus lib 2. in Genes.

Luc. 1.

Alchim. Auit. lib. 2. in Gen.

Ambos vna opera vicisti subdole serpens,
Olim erit, vt sexum muliebrem pronus adores:
Cuius tu pauidus quamquam insidiabere calci,
Conteret vna caput tandem tibi fœmina victrix,
Nascendumquè etiam tali de stipite germen.

Vbi facilè sermonem esse de Augustissima Dei genitrice, & cæci conspicient.

Hoc iam habito, secundum, quod facilius est, cõfirmemus, videlicèt serpentem hunc fœminæ pedibus conculcandum, Diabolum esse. Hoc tradiderunt nobis innumeri Patres, paucos tamen referam: hi sunt August. lib. 2. Genes. cont. Manich. cap. 17. & 18 & lib. 11. de Genes. ad liter. cap. 36. Beda, Rupertus, Hugo Victorinus, Caietanus, alijquè quàm plures, quemadmodum Benedictus Perer. libr. 6. in Genes. q. 4. retulit. Nec immeritò profectò Diabolus serpentis nomine celebratur: quibus enim malis Deus maledicens præstrinxit serpentem, totidem, & pluribus Diabolum astrictum esse conspicimus. Maledictus est inter bestias terræ, quia æternis pœnis dãnatus quidquid in bestijs corporaliter obscœnum,

August. Beda. Ruperr. Hugo. Caietan. Pererius.

num, fraudulentum, aut truculentum reperimus, id multò magis in Cacodæmone ſpiritualiter cernitur. Super pectus, & ventrem graditur Dæmon: nam vijs duabus ſeducere homines aggreditur, per ſuperbiã ſcilicèt, quæ pectore figuratur, & per libidinem adũbratam ventre. Terram comedit cunctis diebus, dũ homines terrenis cupiditatibus inhiantes, auidiſsimè, tanquam eſcam captat. Vnde Greg. in illud Pſal. 101. *Et terræ eius miſerebuntur*, ſic inquit: *Per terram peccatores accipimus, vnde ſerpenti à Domino dictum eſt, terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Et Rupertus li. 3 de Trinitate, c. 18. in ſimilem veniens ſententiam: *Terram* (inquit) *comedes, & non cœlum, hoc eſt, non quorum conuerſatio in cœlis eſt. ſed qui terrena ſapiunt illicibus tuis erũt.* Si verò ſerpẽs tortuoſis anfractibus, & furtiuis greſſib°, in puluere, aut herba latere ſolet, vt inde incautos, vel diſcalceatos, venenatis impetat morſibus, quod Maro:

Grego. in Pſal. 101.

Ruper. li. 3. de Trinit. c. 18.

Maro.

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga,
Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Sic Dæmon incautos, & ſine prẽparatione homines aggreditur. Meritò ergo ſerpẽtẽ hunc à Domino maledictionibus impetitũ, Diabolũ eſſe exiſtimamus.

Tertium verò, quò magis themati propoſito accedimus, probandum reſtat. Poterat namquè fateri quis fæminam illam Deiparam eſſe, ſerpentemquè Diabolum, nihilominus cum hoc negare, ex allatis verbis, Virginem Auguſtam peccati originalis labe caruiſſe, probari poſſe. Hoc verò in congruè, diſconſentaneè, & parum aptè dici multipliciter explanabo. Primò quidem ex Patrum doctrina, qui id omnino clarè exprimere videntur. Auguſtino namquè commune eſt, per *caput ſerpentis*, origi-

Auguſt.

originale crimen percipere,& cõgruè certè, si enim peccatum coluber vocatur,dicente Syracide Eccle-
Eccles.20 siast.20. *Quasi à facie colubri fuge peccatum*, quid erit caput seu initium huius colubri,aut serpẽtis, nisi quod initium,& caput fuit peccati omnis, originale nimirum? Illud ergo erit *caput serpentis*. Hoc ergo caput conterere, quid erit, nisi originale contagium penitus euadere? Cui accinit Bernardus relatus à Car-
S.Bern. Carthag. lib.1.ho. 3. thagena lib.1.hom.3. dum peccatum originale serpentem vocat. *Omnes*, inquit, *nascimur morituri, & tanquam absorpti nascimur mortui, quia in veteris matrum sumus à serpente strangulati*. Optimè etiam hom.2. sup. Missus
Idem Bernard. sup. Missus est. est, cùm locum hunc versaretur, *Cui*, inquit, *hæc seruata est victoria, nisi Mariæ? Ipsa proculdubio caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem deduxit ad nihilum*. Vbi per *omnimodam suggestionẽ* hauddubiè
Greg lib. 1. Moral. cap. 38. peccatum omne intelligit. Adhæret Gregorius, qui lib.1.Moral.cap.38. *Caput*, inquit, *Serpentis obseruare est, initia suggestionis aspicere, & à cordis aditu funditus euertere*. Per *initia* autem *suggestionis* nihil melius percipi potest, quàm originale peccatum, à quo omnis intrinseca nobis suggestio originem ducit. Cùm ergo, vt ex his Patribus liquet, caput serpentis, aut serpens ipse, originalem nexum denunciet à Maria deuictum, meritò ex hoc loco inferri licet originali ipsam crimine orbam fuisse.

Secundò id ipsum corroboro, & meo captu efficaciter, sic procedens. Dei namque intentio, & voluntas in serpentis damnatione, quantum ex sacro eloquio inferre possumus, fuit, ipsum propter peccatum originis, eius inuidia in mundum intrusum, animaduertere puniendo. Deus autem ad hoc, ser-
Hugo. pentis caput mulieris pedibus minatur conterẽdum.

Vt

Vt ergo pœna culpæ correſpondeat (quòd in Dei ſupplicijs maximè lucet, cùm Sapiens cap. 11. dicat, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*) fateri oportet, contritionem ſerpentini capitis à fœmina patrandã, in peccati originalis fuga, & euaſione conſiſtere. In hoc enim rectè malignitas ſerpentis punita manet. Confirmant hoc Patres, qui Euam à Maria vindicatam de ſerpente dicunt. Gregor. namque Nyſſenus in oratione de Natiuitate: *Defenditur*, ait, *& purgatur mulier à muliere.* Et Auguſt. ſerm. 17. de Natali Domini: *Cùm nemo*, in quit, *ſuccurreret, ad fœminam cauſa reuertitur, & origo per originem detruncatur, origo peccati per genitricem Chriſti.* Clariſsimè Bernard hom. 2. in Miſſus eſt: *Curre*, ait, *Eua ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre reſpondeat, ipſa matris opprobrium auferat.* Si ergo Maria Euam à ſerpente vindicauit, nequaquam originale contagium admiſiſſe fatear. Cùm enim aliquis (& eſt exemplum ponderatione dignum) vulnus, vel malum alicui ab inimico inflictum, vindicare contendit, vt non ſimile malum, vel vulnus ab eodem inimico patiatur oportet: aliàs vindictæ loco, æquale ſibi malum reportaſſet, & inimicus ſine vindicta gloriabundus maneret. *Sapiens cap. 11.* *Gre. Nyſ. orat. de Natiuit.* *Aug. ſer. 17. de Natali Dñi.* *Bern. ho. 2. in Miſſus eſt.*

Tertiò etiam (nec minus efficaciter) ex rerum connexione in hoc loco, immunitatem Virgineam comprobandam aſſumo. Nam Diabolicus ſerpens poſtquam de primis parentibus, totius humanæ naturæ primoribus frugibus, ob cibi eſum, & miſeram ipſorum in barathrum mortis depreſsionem, victoriam conſecutus fuit: hauddubiè ſuperbus, arrogans, & quaſi iactabundus eſſet, ſibiquemet decantans victoriæ palmas diceret, vniuerſam humani generis proſapiam, ſua calliditate, & verſutia proſtratam ia-

cere. Vt ergo Deus (cuius munus semper fuit superbos deprimere) eius arrogantiam deijceret, prostraret superbiam, & iactantiam despiceret, illis verbis vsus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*; proculdubio ostendit, non sic, vt Diabolus existimabat, omnes homines, mares, & fœminas, labe peccati infectos fuisse: futuri enim erant mulier, & vir, Maria scilicet, & Iesus, quibus peccatum, Dæmonis malitia immissum, noceret nihil.

Quartò etiam id approbat modus satis in Ecclesia Dei vsitatus in B. Virginis Conceptione depingenda; dùm illam pede draconem conculcantem pictores describunt. Quò satis manifestè indicatur, Deiparam euitasse originale contagium, ex serpentini capitis contritione in hoc loco Genesis 3. decantata depromi. Ecclesiæ autem picturas maximum authoritatis pondus habere, ignorat nullus. *Genes. 3.*

Sed penitiùs, & perspicaciùs aliquot sigillatim huius testimonij perpendamus verba. Expendo primò illud, *Inimicitias*. Circa quod, vt Caietanus aduertit, non dictum est, *Inimicitiam*, proculdubiò, vt inde inferretur, omnino, vndequaquè, omnibusquè modis, Deiparam de serpente reportasse victoriam, tulisse triumphum, & palmam decantare posse. Si enim originalis peccati virus ebibisset Maria, non victrix, sed victa, non triumphatrix, sed spoliata, non victoriam cantans, sed miserè captiuitatem lugens, diceretur. Expendo illud, *Ipsa*, quo denotatur, vnam Mariam Virginem hanc victoriam reportasse; quemadmodùm enim Iudith. 14. de ea dicitur, *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor*: Sic etiam de *Caietan.* *Iudith* 14

Maria

Maria asseratur, in domo Diaboli confusionem peperisse, serpentini Holofernis caput præscindendo. Vnde quemadmodùm de ipsa Iudith. cap. 2. affirmatur: *Nec erat, qui loqueretur verbum malum de ea*, ita oporteret sanè, vt nemo in Virgineam Conceptionem peccatum aliquod irrepsisse fateretur. Perpendo tertiò illud, *Conteret caput*, quo, & me non dicente, plenè, copiosèque, & omnino, Satanicum colubrum deuicisse intelligi datur. Sic enim Tibullus. *Iudith. 2.* *Tibullus.*

Et caput impositis pressit amor pedibus.

Si verò, vt contrarij volunt, iniquitatem originalem contraxit Maria, certè non satis pressit, non minutatim cõtriuit, nec penitus compescuit venenatum occiput serpentis: cùm contra ipsam non modò rebellauerit, sed aliquod ex ea lucrum pro aliqua morula fuerit adeptus. Hùc itẽ spectat meritò, vt dixi, *Caput* serpentis originalem maculam describere: sicut enim ex serpentis capite, virus omne, læthales vires, & truculentam rabiem, reliqua recipiũt membra, sic ex originali macula omne peccatum, iniquitates omnes, & omnis contra Deum iniuria, primordialiter emanant. Conterere ergo serpentinum caput, quid erit? non aliud certè, quam peccatũ originale, & quodcumquè aliud actuale crimen deuitasse Virginem.

Ex

Iob 3. *Ex Iob cap. III. testimonio veritas tradita fulcitur. Cap. IIII.*

INertiæ,& insciticæ arguar, si dum Matris Beatissimæ omnibus numeris absolutam, & sine peccati næuo, sanctitatem prædico, quæ alij probabiliter pro ea adducunt,non vrgerem. Vrgebo quidem: & primò mortalium omnium patientissimus, Husitanusquè Princeps Iob,vt non leuiter assumptum muniam,materiam suppeditat Sui namque libri cap. 3. execrationes,contra diem, & noctem natiuitatis, & conceptionis suæ adiungens, inchoans illis verbis: *Pereat dies,in qua natus sum:& nox,in qua dictum est:Conceptus est homo*, multis postea maledictis prosequitur; quo vsque versu 9.sic fatur: *Expectet lucem, & non videat,nec ortum surgentis auroræ.* Quod testimonium pro posito nostro conducens nimis iudico:vt verò illud, tanquam quadratus lapis nostræ disputationis ædificio coaptetur,aliqua sigillatim, (quod mihi semper moris erit claritatis gratia) explanabo. Quidnam *Dies,& Nox* à sancto Iobo maledictis impetitæ significent,quid etiam per *Lucem*,& quid per *Auroram* importetur.

Idē vers. 9.

Et verò diem, noctemquè à Beato Iobo maledictis imprecatas,non verum diem, veramquè noctē denotare pro comperto mihi est Vt enim Theologorum vertex (S. Tho.dicō) 2.2.q.76. quem cæteri sequuntur,defendit, creaturis etiam irrationalibus maledici non potest.tum quia incapaces sunt alicuius pœnæ,cuiusmodi est maledictio;tùm verò,quòd maledictum in naturæ authorem refundi videatur. Quî ergo credi potèst pijssimum,& sanctissimum Iobum,

S.Thom. 2.2 q.76

bum, patientię exemplar: impatientiæ specimẽ, vel leuiter indicasse. Impatientia namque in superos ſęuiens ſemper damnatur omnino. Virg. Eglog. 5.

Cum complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque Deos, atque aſtra vocet crudelia mater. *Virg. Eglog. 5.*

Et Aeneid. 2. ſic canit.

Quem non accuſaui amens hominumque Deumque. *Aeneid. 2.*

Sileant igitur Thalmudici Iudæi, qui ipſo Dæmone impudentiores, Iobum ſanctum, quem Satanas condemnare nequiuit, ipſi caninis oribus, maledicentiæ, & blaſphemiæ, arguere non verentur. Maneat ergo aliquid præter diem, & noctem naturalem. per ſuum diem, & noctem humillimum præſignaſſe Iobum.

Iſtud verò quidnam ſit paucis accipies. Certè per *diem, & noctem*, non aliud (me iudice) quàm originans peccatum, primordiale crimen, & primi hominis Adami præuaricatio accipitur. Ita diſertè Philippus, & Beda ſuper hunc locum dixere, antiquiſſimus ille, vt pote Hieronymi auditor, quin hoc (inquit) *omnes Doctores Eccleſiæ tradunt.* Conſonat Gregor. qui lib. 4. Mora c 6 notauit, non dixiſſe Iobum: *Pereat dies, in quo conditus ſum, ſed pereat dies, in qua natus ſum. In die quippe iuſtitiæ homo eſt conditus, ſed iam in tempore culpæ natus.* Ecce per diem natiuitatis, culpam peroipit. Clarius adhuc dulciſſuus Bernardus in ſer. 4. ſuper *Salue Regina* ſic dicit: *Quid autem eſt nox frigida, & obſcura, niſi originale peccatum, frigidum concupiſcentia, obſcurum ignorantia.* Clariſsimè Theologorum Achylles 2. 2. q. 76 à 2. dixit: *propter culpam originalem, quam naſcendo contraxit*, male dixiſſe Iobum diei natiuitatis ſuæ: & 3. p. q. 27. art. 2. *Hanc noctem peccatum originale vocat.* Ex Græcis etiam hoc ipſum indicauit

Philipp. Beda.

Greg lib. 4. Mora. cap. 6.

Bern ſer. 4 ſup. Salue Regin. D. Thom. 2. 2. q. 76 art 2. Idẽ 3. p. q. 27. art. 2.

Seue-

Seuerianus in catena, vt Pineda retulit : innumeri quoque Scholastici de peccato originali discutientes, eandem expositionem arripuere.

Nec immeritò certè, sed congruè nimis, aptè, & idoneè per *noctem*, culpa originalis describitur : sic enim Aurelius Prudentius in hymno, noctem cum veteri peccato, (quod ego originale accipio) quasi pro eodem vsurpans, coniunxit dicens.

Aurel. Prudent.

Tu Christe somnum discute,
Tu rumpe noctis vincula,
Tu solue peccatum vetus,
Nouumque lumen ingere.

Quod etiam alibi indicauit Ambrosius.

Ambr.

Vt culpa, quam nox intulit
Lucis labascat munere.

Sicut enim ex intimis inferni visceribus culpa creditur educta, sic & nox, quod dixit Sap. c. 17. *Noctem ab infimis inferis superuenientem.* Et Poetarum Princeps de inferno loquens Aeneid. 6.

Sap. 6. 17

Virg. Aeneid. 6.

Vmbrarum hic locus est, inquit, noctisque soporę.

Similiter, sicut culpa originalis, luminis supernaturalis gratiæ vmbra, & priuatio æstimatur : Sic & nox, vt Pleusippus dixit: *Est vmbra diei contraria, & solis priuatio.* & Cicero de Natura Deorum : *Ipsa vmbra terræ soli officiens, noctem efficit.* Et sicut originalis culpa totius damni nostri primordium est : sic & nox totius mali celatrix, & prouocatrix est : vnde nox à *nocendo* dicitur : quare eam Ouidius Lasciuam nuncupat, 2. Amor. Eleg. 11.

Pleusipp. Cicero de Nat. Deorum. Ouid. 2. Amor. Eleg. 11.

——— *Lasciuæ gaudia noctis.*

Et alibi cum amore, vinoquè cõiungens, omnis sceleris executricem facit.

Idẽ alibi.

Nox, & amor, vinunquè nihil moderabile suadent:

Illa

Illa pudore vacat, Liber, amorque metu.

Infinita propè ex humanis, sacrisque literis, decerpere valeo: in his namque præcipuè, passim per noctem tenebras, aut caliginem, peccatum intelligo. Habeamus iam ergo in loco Iobi, quem expendimus, meritò per noctem, in qua conceptus est homo, originalem culpam vsurpari.

Iam verò quid significent illa: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ*, enucleemus. Et certè per *lucem* Christum Dominum intelligam. In hoc sequor in primis Pontificem Gregorium 4. Moral. c. 14. qui per *lucem* hoc loco intelligit eum, qui de se Ioann. 8. dixit: *Ego sum lux mundi.* Hunc sequitur Angelicus Doctor loco 3. part. citato. Et hunc alij amplectuntur. Christum tamen Dominum lucem rectissimè appellari, luce ipsa lucidius est: lucidè enim hoc, in sacra scriptura lucescit. Ioann. 1. *Vita erat lux hominum, & Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Et Isai. 49. *Dedi te in lucem gentium.* & ca. 9. *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam.* Hinc hymnographus Ambrosius pulchrè Christum non semel lucem appellat, quandoque:

Greg. Papa 4. Mor. c. 14.
Ioann. 8.
S. Thom. 3. p.
Ioann. 1.
Isai. 49. & 9.
Ambros.

Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute.

Clariùs iterum, nec ineleganter, sic deuotissimè canit:

Idem.

Splendor paternæ gloriæ
De luce lucem proferens,
Lux lucis, & fons luminis
Dies diem illuminans:
Verusque sol illabere
Micans nitore perpeti.

Idem alibi. Alibi etiam Ambrosiana eloquentia Christi laudes eructans sic loquitur concinnè:

Consors paterni luminis,
Lux ipse lucis, & dies, &c.

Sed quid detineor, cùm lucem illuminare velle videar, si Christum lucem esse longiùs probem? Iam igitur, quid per *Auroram* in loco, quem tractamus intelligatur, quæram.

Et me quoque non dicente, sanctissimam Virginem *Auroram* hanc esse dubitabit nemo. Si enim per *Diem* Christum accipimus, cur per *Auroram* Matrem eius non accipiemus? Sicut enim auroram diei, seu lucis prænuntiam scimus, sic & Maria Christi aduentum, quasi Lucifer matutinus demonstrauit: & sicut auroram die grauidam cognoscimus, sic & Mariam Christi Domini persona fœcundatam credimus. Et verè in hoc loco *Auroram* sacerrimam Virginem denotare, ediserit nobis, (qui vnus pro mille sufficiat)

S.Th.sup Cantic.6. Bern.ser. 4.de Salue Reg. S.Thom. loco 3.p. citato, quem in hoc neotherici alij, nec infimi nominis, sequuntur. Congruit autem hoc Ecclesiæ doctrinæ, quæ illud Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens*, Deiparæ adscribit Clarius Bernardus (vel quisquis est author ser-

Ruper. in Cant.c.6. Hugo Victori ser. 34 in-stit. Mon. Guilhel. Hailgori. Del.cãt.6 Cornis. lib.1. monum de *Salue Regina*) serm. 4. sic canit: *Tu ergo processisti, vt aurora lucida, & rubicunda.* Quin etiam Abbatem Rupertum in in Canticorum locum c. 6. & Hugonem Victorinum hoc encomio Mariam decorare video. Hugonis en verba in instit. Monast. serm. 34. *Maria fuit aurora quia præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat, extitit finis, & vera lucis gratiæ solisque iustitiæ, qui ex ea genitus est, præuentrix & sidus antelucanum.* His annumera Guilhelmum, & Hailgrinum, quos numerauit Delrius Cantic. 6. Adiungam præterea quendam

mihi

mihi incognitum, apud Canis. tamen lib. 1. repertũ, qui de Maria sic canit.

Quænam ista est mulier, quæ se huc, seu luce serena
Aurora surgens intulit?
Pulchra velut radios plenis è cornibus effert
Quum luna puro lumine.

Iamiam pius lector ex allatis consutis rectè pium nimis pro nostra sententia confirmanda ex hoc Iobi testimonio, eliciet argumentum istud: *Nox* (quæ peccatum originale significat) hac execratione petitur à Iobo, vt *expectet lucem*, id est Christum, *& non videat nec ortum surgentis Auroræ*, quæ est Maria. Ergo nec Christus, nec Maria peccati originalis contagiũ habuerunt. Hanc illationem sic probabo. Nam illud *expectet, & non videat*, non aliud importare potest, quàm peccatum originale, quod ex Protoplasti parentis lapsu ortum habuit, omnes, & singulos naturæ humanæ filios inficere voluisse, hocquè, quasi expectando, desiderasse: Christum verò Dominum, eiusquè Matrem Beatam, talem maculam, quasi declinãdo fugisse: quare illud, *non videat*, idem est, quod non tangat, non percutiat, non feriat. Hanc verò expositionem non extortam, sed cõgruam, nõ obliquam, sed rectam, & piam esse, qui pias adhibuerit aures, facilè comperiet. Primò quidem illam sapientissimi Theologi moderni (nec hoc titulo reijciẽdi) Suarez & Valentia in comment. ad 3. p. q. 27. art. 2. tradiderunt: insuper ipse Aquinas Angelicus dicto loco 3. p. ipsi manum concedit. Quamuis enim illud *ortum surgentis auroræ*, non ad Conceptionem Virginis, sed ad Natiuitatem referat, quis tamen non videt, in hoc in fauorem Virginis non satis Angelicis euolasse pennis Angelicum Doctorem? Si enim

Suarez. Valentia, in 3. p. q. 27. art 2 S. Thom. vt supra.

verbum *Ortum*, non solùm apud Theologos, & Philosophos, sed & apud Grammaticos etiam Conceptionem viuentis multoties significat, cur illud *Ortum surgentis auroræ* non de Conceptione veræ Auroræ Mariæ sumemus? cur solùm ad Natiuitatem hoc verbum restringi debet?

Secundò maximè, & præcipuè, hæc expòsitio amplectenda est, quia nimis congruè, & appositè intentioni, & proposito Iobi patientissimi adaptatur. Ipse enim, vt ex dictis liquet, maledictis, execrationibus, & imprecationibus in peccatum originale, quod sub figura noctis accipit, inuehitur. Ad hoc autem plurima illi imprecatur mala. Primum: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Secundum: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* Tertium: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna* Quartum: *Maledicant ei, qui maledicunt diei, &c.* Et his actis in 9. vers. sic dicit: *Obtenebrentur stellæ caligine eius, expectet lucem, & nõ videat, nec ortum surgentis auroræ* Id est, licet adeò pessima, execrabilis, & abominabilis sit hæc nox originalis maculæ, vt *stellæ*, id est, sancti omnes (quos stellas esse innumera sacræ scripturæ verba declarant) eius obscuritate, & tenebrositate obscurentur, offuscenturque: attamen *lucem, & Auroram*, id est, Christũ, & Mariam: *non videat*, id est, ne tãgat quidem, non illis à proprietur, toto cælo ab illis abscedat. Quasi diceret, *ni los vea, ni los oya*, vt dicitur Hispanè.

Iob in 9. versu.

Præterea tertiò ex ipso nomine *Auroræ*, quo hic Maria insignitur, hanc prærogatiuam ipsi conuenire eliciet deuotus. Nullus enim, mali aliquid, obscænum, aut odibilè in Aurora comperiet, quin è contra, iucunda cuncta, læta, & amabilia ea, quæ Auroræ competunt, reperiuntur.

tur. De quo mira Poetæ, Mantuanus pulchram vocat Auroram: *Mantua.*

Postremò quàm pulchra suos Aurora colores
Explicat.

Flauam alij, sic Faustus: *Faustus.*

Inde vbi flaua rubet tenebris Aurora fugatis.

Rubram quidam; sic Propertius: *Propert.*

Quos Aurora suis rubra colorat equis

Auream plures, (quod nomini congruit, nam Aurora idem est, ac aurea hora) sic Virgilius: *Virgilius.*

Aurea fulgebat roseis Aurora capillis.

Splendidam dixere quidam, sic Musæus: *Musæus.*

Splendida, quæ nunquam surgens Aurora videbat.

Rutilantem plurimi: pro omnibus tamen sufficiet Mantuanus Carmelita: *Mantua.*

Et casium rutilans Aurora cacumen
Luce colorabat.

Fulgidam nonnullus. *Innomin.*

Surgit ab Oceano Titoni fulgida coniunx.

Ex his verò Auroræ epithetis, si Mariæ attribuas, eam ab omni labe immunem approbabis. Qualiter enim pulchra, flaua, rubra, aurea, splendida, fulgida, & rutilans nuncupari potest, quæ peccati nigredine, & fuligine, defædata manfit? Vnde Bernardus, vel author serm. 4. *de Salue Regina* apud ipsum, postquam Mariam compellauit sic: *Tu ergo processisti, vt Aurora lucida, & rubicunda,* nullo mediante subdit; *Quia superatis originalibus in vtero peccatis, nata es lucida.* *Bern. ser. 4. de Salue Reg.*

Quasi existimans non posse Mariam Auroram appellari, si aliquando originale crimen admisisset.

Ex

Psal. 84. *Ex Psal. 84. testimonio veritas intenta deducitur. Caput V.*

Augu. in prolo. ex Posit. Psa. QVæ magnus Hipponensis episcopus, totiusquè Ecclesiæ iubar Augustinus in prologo expositionis Psalmorum præposuit, huic etiam capiti præponere lubet. *Psalmorum liber, quæcunque vtilia sunt ex omnibus continet. Futura prædicit, veterum gesta commemorat, legem viuentibus tribuit, gerendorum statuit modum, & vt breuiter dicam, communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est, aptè singulis necessaria subministrans.* Et fere pagina interiecta inceptum sic prosequitur: *Quid autem* Idem. *est, quod non discatur in Psalmis?* Et inferius: *Omnia prorsus* Idem. *in his, velut magno quodam, & communi thesauro, recondita, atque conserta sunt bona.* Si hęc ita sunt, quòd veritatem de Virginis Almæ à communi peccato præseruatione ex Psalmographi doctrina decerpam, quis mirabitur? Quòd opinionem fidelibus deuotam, Sanctissimæ matris dignissimam, eiusquè filio honorificam ex Regij Prophetæ libris depromam, cui non arridebit? Aequum ergo est, vt Psalmorum latebras diuino ductu inuestigemus.

Psal. 84. Occurrit primus octuagesimus quartus Psalmus, quem sanctus Psalmista inchoans, cælesti boatu sic intonat: *Bene dixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.* Pauca certè verba, sed amplioribus misterijs, quàm literis referta. Vt verò intentioni nostræ famulentur, duo in eis inquirere solicitiùs opus erit: primum, quidnam *Terra* illa à Domino benedicta designet: secundum verò, quidnam per *Captiuitatem Iacob* in hoc versiculo denotetur: ex quibus etiã tertium apparebit, quidnam scilicèt boni, terræ illi con-

Digitized by Google

congruerit, eoquòd Israelis captiuitatem effugerit.

Terram verò istam Domini benedictionibus decoram, & hoc Psalmi versiculo decantatam, sanctissimam Christi Matrem esse, nullus ipsius deuotus refragetur. Ita ex grauissimis huius loci explanatoribus plures docuerunt. Ex illis accipe paucos: Arnobium sup. hunc Psalmum, Isidorum ad sororem Florent. quos amplectitur deuotus Canisius libr. 1. de Deipara cap. 6. & innumerabilis recentiorum chorus. Neque in hoc solũ primo versiculo Psalmi Deipara Beata *Terra* dicitur; sed & in duodecimo, *Veritas de terra orta est*, eodem cognomine Maria insignitur. Sic enim Augustinus declarauit, & recipit celebris incognitus, iamquè pro Carmelita cognitus Michael Bononiensis, amplectuntur quoque Titelmanus, & Illustrissimus Bellarminus, vt innumeros alios silentio inuoluam. Quare terra hæc à Domino benedicta, & huius Psalmi scopo prænotata, illa erit, de qua Elisabetha dixit: *Benedicta tu inter mulieres*, Luc. 1.

Arnob. Isidorus. Canis. lib. 1. de Deip. c. 6.

August. Michael Bonon. Titelma. Bellarm.

Luc. 1.

Et certè quidem multa terræ competunt, ob quę Deiparam iure præsagire debeat. Primò enim sphęrarum humillima est: meritò ergo Virginem maiori humilitate præditam, & quæ dum ad matris Dei honorem eueheretur, dixit: *Ecce ancilla Domini*, poterit adumbrare. Deinde, ob nimia tetræ in nos collata beneficia; quæ enumerans Plinius li. 2. dixit: *Nos nascentes excipit, natos alit, semel editos sustinet, & semper nouissimè complexa gremio, iam ab reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater operiens.* Quod etiam rectè Statius Papinius, lib. 1. Syluarum canit:

Plin. li. 2.

Papin. li. 1. Sylua.

—— —— Tellure cadentem
Excepi, fouiquè sinu.

Quæ

Quæ omnia rectè Deiparæ congruunt, ipsa namque hominum auxiliatrix benigna existens, omni ætate, tempore, occasione, periculo, vita, & morte fauere non desinit; vnde Ecclesia in hymno sic dicit:

Eccles. in Hymn.

Maria mater gratiæ
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Rursus terra communis mater omnium nuncupatur: vnde aurhor Ecclesiast. c. 40. hoc nomine illam designat. Id etiam doctus Brutus decidens terræ oscu-

Eccl. c. 40

lum cùm dedisset, rex euasit Romanorum iuxta oraculi prædictum: *Imperium summum Romæ habebit, qui vestrûm primûm, o iuuenes, osculum matri tulerit*, vt retulit Liuius libr. 1. Quo etiam titulo Deigenitrix Virgo

Liu. lib. 1.

terræ nomine denotari potest; ipsa enim mater est, non solum Dei, & hominis, sed & viuentium omniũ potiori certe iure, quam primò creata mulier. Demum si terra florum mater meritò dicitur, quod ce-

Lyr. li. 1. od. 4. & lib. 4. od. 12.

cinit Lyricus lib. 1. od. 4. & lib. 4. od. 12.

Vere sinum tellus aperit, floresque ministrat.

Cur Maria terra non vocabitur, quæ floridissimum florem, illum nimirum, qui Cantic. 2. dicitur: *Flos campi, & lilium conuallium*, nobis dedit pariendo?

Cant. 2.

Humanarum præterea literarum amatoribus hoc vnum non præteribo, omnia certè nomina, & epitheta quæ terræ Gentilica Poesis tribuit, potiori iure, altissimoque respectu, Mariæ Sanctissimæ adaptari posse. Terram namque *Opem* vocabant, quod ipsius auxilio vita conster. *Vestam*, siue quia rebus omnibus vestiatur, seu quia vi sua stat. Ouid. lib. 6. Fast.

Ouid. lib. 6. Fast.

Stat vi terra sua, vi stando vesta vocatur.

Rursus Fauna vocabatur terra à fauendo, quòd omnibus

nibus faueat. *Maiam* etiam candidam dicebant. Vnde Virg. Aeneid. 8. *Virg. Aeneid. 8.*

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

Demum *Bonam* terram appellabant, quòd omnium nobis ad victum bonorum causa est. Quis autem ita cæcus est, qui hæc epitheta Mariæ tribuenda esse non videat? *Opem* voco, quia omnibus hominibus adiumentum præstat: sic enim Ecclesia exorat: *Eccles. in Hym.*

Solue vincla reis
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Nuncupo *Vestam*, quia ex ea *ortus est sol iustitiæ Christus*, Deum carne vestiens. *Faunam* dico, quia omnibus faues. *Maiam* candidam appello, quia *Pulchra vt luna, electa vt sol.* Demum compello *Bonam*, & quia vitæ cibum Christum nobis mandendum proposuit, & quia bonorum omnium naturæ, & gratiæ, non solùm particeps exiſtit, sed etiam bonitate sua hominibus oratione deposcit.

Habero iam terram huius Psalmi. Deiparam esse: vnde dicemus, *Benedixisti Domine terram tuã*, seu, quod idem est: *Benedixisti Domine Mariam tuam.* Vnde ab Angelo, & Elisabetha *Benedicta dicitur inter omnes mulieres*. Quid verò sequentia, *Auertisti captiuitatem Iacob*, denotent, solicitiùs pensitemus. Et non minus certum puto, *captiuitatem* hanc peccatum originale describere. Ita disertè Hieronymianus Pintus in c. 43. Ezech. *Peccatum*, inquit, *originale vocat captiuitatem Iacob*. Quod etiam amplectitur Titelmanus Minorita inter Psalmorum expositores non minor. Nec ab hac expositione distat Augustinus, cùm de *Pintus in cap. 43. Ezech. Titelma. Augusti.*

captiuitate peccati, captiuitatem istam exponit; cui adiungitur noster olim incognitus, sed iam notissimus Michael Bononiensis; & celeberrimus contra hæreticos dimicator Cardinalis Bellarminus. Multa verò sunt, quæ per *captiuitatem*, hoc loco, peccatum primordiale delineari suadeant Primum est, quia, vt Incognitus hic concinnè ponderauit, iste Psalmus ad literam agit de primo Christi aduentu, quo maledictio primis parentibus data, per Christi benedictionem omnino fuit restituta: hæc verò Dei benedictio, præcipuè in originalis remissione consistit. Secundò id indicant sequentia: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum*, quæ de peccatis actualibus accipi debent; captiuitas ergo illa meritò originale indicabit. Constat id tertiò, quia ex communi Theosophorum calculo, nostrum in Adamo peccatum captiuitas nominatur: neque enim fortè aliquid in Theologorũ gymnasijs magis quotidianis discussionibus inculcatur, quàm sub Diaboli potestate genus humanum ob primi hominis delictum, catenis tentum, & captiuum mansisse, Christi verò sanguine, & merito nostræ redemptionis pretium persolutum fuisse. Neque pro huius confirmatione insignior sacrę Scripturæ locus desiderari potest, quàm ex Psalm. 67. vbi Christus dicitur cepisse *captiuitatem*, id est, humanum genus captiuum; ex quo liquet *captiuitatem*, de qua in hoc loco agitur, peccatum primordiale subindicare.

Michael Bonon.

Card. Bellarmin.

Psal. 67.

Sequitur iam tertium, quo nostro instituto propius accedimus, ex hoc inferri loco, Deigenitricem originali caruisse crimine. Si enim ab ea auertit Deus *captiuitatem Iacob*, quæ contagium originis denotat: ergo nunquam illo fuit, vel leuiter infecta. Sic colli-

colligunt ex illo Hector Pintus allatus, Canisius, & Suarez locis adductis, & elegantissimus Delrius in Florida Mariana circa id Cantic. 11. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Quos sequuntur ex recentioribus ingenios plerique. Quin id congruit rectè contextui sermonis, namque non dicitur: *Abstuliſti*, sed *Auertisti captiuitatem Iacob*, id est penitus obuiasti originale crimen, ne terram benedictam, nempe Mariam, aut tangeret quidem. Quod non dixit de alijs hominibus, de illis namque inquit; *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum* Per quod verborum discrimen denotatur, sic à Deo Mariam benedictam fuisse, vt ipsam ne tãgeret quidem aliquod peccatum; cæteros verò ea benedictione repletos esse, vt iam commissum peccatum, ab illis tolleretur.

Hector Pintus. *Canisius.* *Suarez.* *Delrius in Mariana. Cant. 11.*

Ex Psalm. 86. comprobatur intentum. Caput 6.

Psal. 86.

HAud dubiè certè Virgineæ puritati iniuriosus ero, si dum eam pro viribus extollendam curo, quæ maximè ad negotij pondus spectant, segniter silentij obscuritate supprimerem. Psalmum igitur 86. nostræ deuotioni deseruire fatetur Ecclesia; dum illum pro venerandæ Virginis officio proponit; prædicant Patres, dum illud Deiparæ sanctitati coaptãt: &, vt vno verbo dicam, nullus est, qui ex illo inconcinnè Virginis laudes prædicari, aut mutiendo dicat. De hoc Psalmo Augustinianum elogium in ipsius enarratione accipiat lector: *Psalmus iste brevis est numero verborum, magnus est pondere sententiarum.* Faxit

Idem.

Aug.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tatem huius Psalmi versibus celebratam, Mariam esse. Insuper nobilis, ac vetustus author Petrus Comestor in pererudito libello de Immaculata Virginis Conceptione Antuerpię excusso, hunc Psalmum nō solùm de Maria explicat, sed ad eius purissimam adaptat Conceptionem, vt inferiùs afferemus. Tandem innumera expositorum, concionatorum, piorumquè Theologorum phalanx, ita communiter illum de Christifera exponit, vt nihil apud ipsos fortè communius reperiatur. Quorum sectando vestigia idem & nos imitabimur, totum illum de Deiparæ Immaculato ortu, & Conceptione capiendo. *Pet. Com.*

Nec Psalmi titulus repugnat, quin nostro proposito aptè cohęret. Est enim *pro filijs Chore*. Meritò nāque Maria Sāctissima *Filia Chore* spiritualiter dicitur: Sicut enim, testante scriptura, Numer. 26. *Factum est grande miraculum, vt Chore pereunte, filij eius non perirent*: Sic etiam miraculum grande est, vt omnibus originalem maculam admittentibus (*Omnes enim in Adam peccauerunt*) sola Maria spiritualis filia Chore non periret. Quod rectè aliqui cum Christopolitano episcopo ponderarunt. *Num. 26.*

Minutatim iam Psalmi nostri singula perpendamus verba, & mirè ex illis propositum nobis scopum attingemus. *Fundamenta eius*, inquit, *in montibus sanctis*. Quid per *fundamenta* nisi Deiparæ primordia accipiemus? Hoc enim etiam apud prophanos fundamenta significant. Vnde Virgilius Aeneid. 1.

Fundamenta locant alij, pars ducere muros. *Aenei. 1.*

Et Cicero dixit Cornif. *Iecisse fundamenta Reipublicæ, quando illi principium dedit*. Quid verò primordia Marię, *Cicero.*

riæ, nisi Conceptionem fælicissimam indicabunt? Conceptio ergo Mariana *in montibus sanctis* sita fuit: Psal. 50. non in iniquitatibus, sicut dicebat quidam Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Sed *in montibus sanctis*, id est, in virtutibus egregijs, donis eximijs, & totiùs gratiæ vertice. Rursus *in montibus sanctis*, id est, supra omnes Sanctos. Adeò enim sancta fuit Maria in eius primo ad vitam introitu, vt eius sanctitas altissimos sanctitatis montes mirè præcellat.

Confirmant hoc egregiè sequentia: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Certè ciuitatis portæ aditum eiusdem significant. Duos verò in hac Mariana vrbe aditus contemplari licet: alterum, quo vterum matris ingressa ob mundi bonum, fausta forte concipitur: alterum, quo post nouem mẽsium tranſactum tempus, mundo apparuit noua aurora. Et, vt vno verbo dicam, aditus primus Conceptionem, secundus verò Natiuitatem præfagit. Quid iam erit: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*, nisi dicere, plus diligitur, pluris æstimatur, & maioris pretij apud Deum est, conceptus, & ortus Mariæ, quàm sanctorum omnium vita, & progressus?

Commendatur vlteriùs ciuitas nostra, dum de ea dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Sanè Maria, eximia, & glorioſa de te canit Ecclesia, nihil glorioſum, & decorum tibi inæquale, omnia tua gloriam redolent, suauitatem sapiunt, decorem indicãt, & excellentiarum omnium apicem intonant. Quid verò (aduersarios interrogo) glorioſum de Maria prædicant, dum infamiæ eam Adami preuaricatione tactam annuunt? Quid decorum Dei matri tribuũt, dùm maximum ei naturę vitium impingunt? Quid

insigne

insigne de ea prædicant, quàm turpi originalis criminis macula tabefactam concedunt? Vnde optimè Petrus Comestor iam citatus dixit: *Quid est; Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, si nostræ infirmitati similia dicuntur, quæ magis pudenda, quã gloriosa dici potuerunt?* Valeant iam, si Deo placuerit, cùm sua opinione. Ego autem cum Psalmista dicam: *Gloriosa*, decora, eximia, præclara, & insignia *dicta sunt de te* Maria sanctissima. *Pet Com.*

Laboriosius videbitur sequentes versus, *Memor ero Raab, & Babylonis scientiũ merecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum hi fuerunt illic*, Virgini matri adaptare. Verumtamen pulchrè Mariæ dignitatem prælagisti: sicut enim per eos iuxta literalem significationem Ecclesiæ dignitas commendatur, quòd ad eam omnium nationum, & gentium concursus, quasi cõglomeratus aduenerit; sic sanè, & per eos eadem Mariæ dignitas extollitur, quòd ad eam, omnium virtutum, donorum, gratiarum, priuilegiorumquè, innumera cohors aduenerit. Omnia quoque charismata in ea requieuere, tanquam in sibi proportione commensurata sede, vel, vt melius dicam, ipsa Maria his omnibus abundauit, adeò, vt plus gratiæ, quàm naturæ habuerit. Vnde Comestor iam citatus: *Scio*, inquit, *in Maria plus viguisse gratiam, quàm naturam. Audio ab Angelo plenam gratiæ, non inuenio plenam natura. Certè plus est gratia, quam natura.* Quî ergo cum hoc stare poterit, vt inquinamenti originalis in prima sui Conceptione Mariam participem efficiamus? *Idem*

Quia verò curiosus quisque horum causam exquirere fortasse vellet: huic respondet Psalmista: *Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, & ipse, &c.* Ac si clariùs diceret. Quid mirum, quod hæc, & plura alia de Dei ciuitate, in qua *Verbum caro factum*

est

est enunciemus? Quod etiam adhuc clariùs dici potest: Quid mirum in numera hæc gratiæ priuilegia Mariæ conuenire, quæ Dei mater est? Quod confirmat
August. Augustini lectio, *Mater Sion dicet homo.* Vnde Incognitus, illud *Homo natus est in ea*, ad Mariam refert, sic enim Angelus dixit Math. 1. *Quod in ea natum est.* Egregiè quoque ponderauit Petrus Comestor, Propheticam hanc admirationem. *Numquid Sion dicet: Homo*, &c. aliquod peculiare, recens, & nouum priuilegiũ Mariæ concessum denotare, quale est immunitas, ab originali, nam: *Certè*, inquit, *si recens non esset, si non esset insolitum, Propheta tantæ nouitatis miraculum obstupescens non exclamaret, dicens Nunquid Siõ dicet: Homo? & homo. &c.*
Math. 1.
Comest.

Prosequitur Psalmographus: *Et ipse fundauit eam altissimus.* Ac si apertiùs diceret: terreni reges regiam ciuitatem exquirunt, quæ eorum magnificentiæ magis correspondeat. Illorum quilibet, his numeris, si possent, sui regni sedem, seu primam ciuitatem absolutam haberent: muris circumdatam optimis; fontibus nec paucis decoratam; ianuis amplis, & spatiosis plateis illustrem: callibus, vicisque non flexuosis, & obliquis, sed rectis & ornatis compositam; illustrium ędium multitudine fulgidam: omnium bonorum, quæ vel animus appetit, vel necessitas exigit, vel deliciarum status requirit, vel appetitu desiderari possunt, abundantia refertam. Cur ergo summus Rex, qui inter omnes mundi creaturas, hanc solam Mariam, vt propriam ciuitatem elegit (nam *ipse fundauit eam altissimus*) bonorum omnium benedictionibus non repleret? omnium rerum abundantia non impinguaret? diuitiarum omnium copia non ditissimam redderet? Cur igitur eam originalis criminis

minis ignominioso fœtore coinquinari permitteret? Deinde si hanc Marianam ciuitatem sibi *fundauit Altissimus*, quomodo primum lapidem, super quem totius ędificij machina consurgit, videlicet Virginis Cõceptionẽ, maledictione originali infici passus fuit? Si enim hoc sic euèniret, primus Adam terrenus eam fundasse diceretur, cùm in ea sua stemmata præsignasset. Vnde Petrus Comestor mirè sic prosequitur: *In teligę quòd ait, ipse fundauit eam, ipse, non alius, non vetus Adam, sed nouus, nouum iecuit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ędificium. Alioquin si veteris ruinæ manserę vestigia, si veteri superędificatum est, vetus Adam, & non ipse fundauit eam altissimus.* Comestor

Subijcit author: *Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea.* Quæ si ad Deigenitricem transferas, & eius Immaculatæ Conceptioni adscribas, hunc sensum constitues. Huius egregiæ Dei ciuitatis laudes in omnium scriptorum ore cõtinebuntur, Doctorum sonabunt præconio, cunctorum sapientium tuba extollentur. Quod & ipsa Deigenitrix in Cantico prædixisse videtur: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ideſt, quia mater Dei sum effecta, & de me prædicatur, quòd: *Homo natus est in ea*: propter hoc *Dominus narrabit in scripturis.* Cæt. B.M

Mirificè quoque vltimus Psalmi versiculus: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, Deiparæ sanctitatem intonat. Deus enim nihil triste, nihil lugubre, nihilque amarum in ea, quam sibi ciuitatem extruxit, vel pro minimo instanti auersatus est. Si tamen in ea peccatum originale reperisset,

luctus, doloris, & triſtitiæ anſam inueniret. Eſt enim peccatum, quod Dei maieſtatem dolore afficit, diuinum cor amaritudinis felle perfundit, eiuſquè hilaritatem affligit, vt noſtro imperfecto percipiendi more philoſophari poſſumus. Vnde Geneſ. 6. *Videns, quòd multa malitia hominũ eſſet in terra, tactus eſt dolore cordis*, ſeu, vt Hebræus habet: *In doluit in corde*. Et Ezech. 16. vbi nos habemus, *probaſti me in omnibus his*, Seniores legũt: *Contriſtabas me in omnibus his*. Hinc quoque Paulus ad Epheſ. 4. ſic vociferatur: *Nolite contriſtare ſpiritum Sanctum Dei*, ideſt, nolite peccare. Fuit igitur Maria, in qua Deus finẽ vlla mœſtitiæ nota lætus ſemper commoratus eſt: ac proinde ex hoc habeto, maculã originalem illi defuiſſe.

Geneſ. 6.

Ezech. 16

Ad Ephe. 4.

Pſal. 88. Ex Pſalm. 88. fundatur theſis allata. Caput VII.

SI nullum aliud ſacra pagina in Deiparæ Virginis fauorem, eiuſquè immunitatis ab originali teſtimonium præberet, niſi quod Pſal 88. verſiculus ſuppeditat: hoc ſolo contentus dicerem, Mariam Sanctiſſimam tineæ originalis horrorem non incurriſſe, nec vllius læthiferi contagij participem extitiſſe. Nec mihi fidem adhiberi petam, ne fortè, quod in veteri prouerbio inculcatur: *Suum cuique pulchrum videtur*; mihi aliquis obijciat. Sed veritati ipſi, ſi rectè confirmetur, credendum peto.

Idem

Pſalmi autem verſiculus, quem explicare contendo, hæc habet: *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis*. In quibus verbis, illud *eius*, Chriſtum referre ambigat nemo

nemo, si verò aliquis in dubium traxerit, huius Psalmi expositores consulat, & ab hac purgabitur insci-tia. Nunc iam quid *Thronus* adumbret contemplemur. Nec in hoc immorandum credo, sed incunctanter affirmo, Christi *Thronum* Psalmistæ versiculo delineatum Christiparam Augustam præsignare. Irrefragabiles, grauissimosquè Patres in testes adducere possum, duos tamen non omittam. Hi sunt Damascenus, lib. 4. cap. 15. & Petrus Damianus in sermone de Assumptione, quos refert, & sequitur Suarez loco dicto. His non pauci adhærent, qui illud Ezech. 1. *Quasi aspectus lapidis Saphiri similitudo throni*, ad Sanctissimam Theotocon referunt. Horum meminit Viegas Iesuita præclarus Apocalypseos commentator, qui Comment. 1. sect. 4. ad 12. cap. sententiam Apostoli ad Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius*, non longè à nostro instituto abesse indicat. Nec vllo admirationis vestigio doctus animus concutiatur, quòd Christifera Maria Thronus Christi nuncupetur. Si enim thronus Regiæ maiestatis sedes est, verbi incarnati, Regis Regũ, & Principum Principis, quis thronus, quæ sedes fuit, si Mariam nolumus, quę nouem mensium tempora incessanter ipsum pertulit?

Damasc. li. 4. c. 15
Pet. Dam
Suarez.
Ezech. 1.
Vieg. Apoc. 12.
Ad Heb. 4.

Sed iam, quid de isto Sacerrimo Dei throno Deipara, deuotus Psaltes proferat, penitius inspiciamus. *Thronus eius*, inquit, *sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Tria ergo Beatissimæ Virginis elogia hîc prædicata cerno. Quòd sit *Sol in conspectu Dei*, quòd sit *Luna perfecta in æternum*, & quòd sit *fidelis testis in cælo*. Ex quorum singulis, si expendantur rectè, præfixum mihi scopum de Deigenitricis omnimoda munditie, non leuiter tangam.

Est, inquit Psaltes, Maria *sol*; & clariùs sole hinc elicio, numquam peccati obscuritatem, vel pro instanti solùm habuisse. Sol enim inter cælestia sidera, fulgentissimum astrum, ita lucidum, radians & refulgens est, vt non nisi cæcutiens, de illo, vel leuem aliquam tenebrarum notam dicat. Non rectè ergo Marianam claritatem considerat, qui peccati caligine obscuratam fuisse admittit. Nec leuiter hoc argumentum extollitur, si pluries in sacris paginis per *tenebras* peccata denotari aduertamus.

Ad Rom. 13. Iob 24. Hinc illud Pauli ad Rom. 13. *Abijciamus opera tenebrarum*, ideſt peccata, vt communiter explanatores astruunt. Hinc etiam apud Iobum 24. peccatores *rebelles lumini* dicuntur, quia dum scelerum, tenebris quasi vespertiliones teguntur, gratiæ Dei impedimenta iaciunt. Si verò tenebræ peccata denotant, esse Deiparam solem, quid aliud indicabit, nisi omnino cuiuscumque peccati caligine, vacuam, & expertem permansisse?

Dion. Areop. c. 4. de Divin. nominib. Math. 5. Vrgeat hoc magnus ille Areopagi Senator Dionysius, qui 4. cap. de diuinis nominibus dixit: *Solem esse significatiuam, expressam, & euidentem diuinæ bonitatis imaginem*. Cui consonat, quòd sol proprius Dei appellatur: dixit enim Christus Matth. 5. *Solem suum oriri facit*, vbi peculiariter *suum* appellat solem, quasi sui imaginem. Si igitur nostra Maria sol est, erit *significatiua, expressa, & euidens diuinæ bonitatis imago*. Risum autem excitabit, qui hæc epitheta Virgini tribuat, & cum hoc originali sorde labefactatam esse velit. Arridet quoque nimis Basilius, qui in Hexam. homil. 6. extollens solem elogijs, inter alia, *naturæ oculum*

Basil. in Hexam. hom. 6.

splen-

ſplendidum appellat. Hoc igitur Mariæ tribuamus, quia *ſol* eſt. Erit igitur Maria *naturæ humanæ ſplendidus oculus*. Si ſplendidus ergo oculus eſt, quomodo lippitudine peccati infectus? Certè humanæ naturæ (quin & Angelicæ) Chriſtus Dominus caput eſt, cuius quidem oculus Mater Virgo eſt: vt ergo pulchrum caput, & ſine vlla imperfectionis nota, pulchrum etiam, & pellucidum poſsideat oculum, ſine vllo peccati indicio Deiparam Mariam fateamur.

Subdit Pſaltes, quòd Maria ſit *ſol in conſpectu Dei*: quo nihil excellentius, aut præclarius æſtimari poteſt. Vt enim Auguſtinus perpendit, Pſalmiſta dixit: *In conſpectu meo, non in conſpectu hominum, non in conſpectu carnis, non in conſpectu mortalium*. Ac ſi diceret (id Mariæ applicando) eius ſanctitas non ſolùm in conſpectu hominum, ſed in conſpectu Angelorum; neque ſolùm in conſpectu carnis, ſed in conſpectu omnis ſpiritus ſanctitas eſt. Imò in Dei conſpectu ſanctitas reputari debet. Pro quo aduerte apud Iobum cap. 25. Baldadum Suhitem ſic dixiſſe; *Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* Ac ſi palàm diceret: Nullus coram Deo iuſtificari poteſt, qui *natus de muliere*, hoc eſt, originali crimine infectus, vt Pineda explicuit. Vt ergo Pſalmographus thronum Dei, videlicet Mariam, hac infectione caruiſſe, oſtendat: quaſi Baldado reſpondens dicit: *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu Dei*, ideſt, eius mater Immaculata exiſtit, primordialis labis contagione caret, & ideo eſt *ſicut ſol* Immaculata *in conſpectu Dei*. Confirmant hoc ſequentia ipſius Baldadi verba:

Auguſti.

Iob c. 25.

Pineda.

Ecce

Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. vt si clariùs affirmaret : Sancti omnes quantacunque sanctitatis gratia præditi, & decorati consistant, quia lunæ sunt, & stellæ, non sunt mundi in conspectu eius, aliquo namque peccati nauo cõtaminati fuerunt. Huic verò sententię obuius occurrit nostri Psalmi author dicens : *Thronus eius sicut sol*, hoc est, Maria non luna declinans, non stella ob nubilata, sed fulgentissimus est *sol in conspectu Dei*, neque aliquantisper solùm caligine peccati fuit obtenebrata.

Secundum Mariæ epithetum à Psalte concessum, est, quòd sit *sicut luna perfecta in æternum*, quod etiam Poeta quidam exclamauit, dicens:

Pulchra velut radios plenis è cornibus effert,
Cum luna puro lumine.

Ex quo lunæ epithero omnigenam puritatẽ Deigenitricis depingi, deuotus nullus inficiabitur. Primò namque luna sic dicitur, teste Calepino, *quod noctu sola luceat.* Vnde cum supra cap. 4 per noctem peccatum originale vsurpari probauerimus, idem erit modò Mariam lunam noctu lucentem appellare: ac ab ea penitus, & omnino originale contagium relegare. Luna deinde fulgentissimum sidus, & præter solem splendidissimum, sidera reliqua, pulchritudine, decore, & venustate antecellit. Hinc prophanorum caterua lunæ supra stellas excellentiam canit. Disertissimè Claudianus sic:

Calepin.

Haud secus ac tectam luna regnante per Arctos
Siderea cedunt facies, cum fratre retuso
Aemulus aduersis flagauerit ignibus orbis:
Tunc tubar arcturi languet, tunc fulua leonis
Ira perit, plaustro iam rara micat Arctos

Claudia.

Indig-

Digitized by Google

Indignata tegi: iam caligantibus armis
Debilis Orion dextra miratur inermem.

Concinit concinnè Ouidius in Epistola Leandri: *Ouid. in epist Leā.*

Quantum cùm radijs fulges argentea puris
Concedunt flammis sidera cuncta tuis.

Et apud Senecam Hippolyti pulchritudo sic mirè amplificatur: *Seneca.*

Pulchrior tantò tua forma lucet,
Clarior quantò micat orbe pleno,
Cùm suos ignes coeunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exierit vultus rubicunda Phœbe,
Nec tenent stellæ faciem minores.

Hinc igitur sic illationem in fauorem Virginis matris elicio. Ex eo quòd Maria sit luna, supra diuorum cæteros, sanctitatis splendore, fulgore gratiæ, & magnitudine donorum extollitur. In quo ergo hæc donorum amplitudo versatur? Nunquid in gratiæ cõfirmatione? non certè, quia diuorum plerique hoc dono sunt potiti. Prophetiæ, & gratiarum, quæ gratis datæ vocantur, munere? Nequaquam: hoc enim multi habuerunt. Vterinæ sanctificationis? Haudquaquam, Hieremias namque, & Baptista hac excellencia sunt gauisi. Verè priuilegium hoc; immunitatis est ab originali tabe, Deiparæ inter sanctos omnes peculiaris.

Sed nunquid mysterio vacans verbum illud *perfecta* dum Maria *sicut luna perfecta* decantatur, existimandum est? Minimè certè. Equidem, nisi pia decipit affectio, ex eo efficacissimè assumptum roborari puto. Vt id perficiam, Plutarchi doctrina Problem 23 præmitti debet. Triplicem namque positionem lunæ tribuit. *Primam, cùm solis congressu penitus occultatur.* *Plutarch. Probl. 23*

tur. Secundam, cùm solis radios, ac lumen elapsa ab occasu incipit apparere. Tertiam, cùm in orbem plenum se colligit, & pleni lunium efficit. Hinc Sulmonẽsis Poeta Metamorph. 15.

Ouid. Metamor. 15

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest vsquam, semperquè hodierna sequente,
Si crescit minor, maior si contrahit orbem.

Vides iam lunæ statum non semper in omnimoda perfectione versari: quandoque namque minuitur, quandoque crescit, quandoque verò in plenilunio, & perfecta pulchritudine cõsistit. Vt ergo iam Psalmographus noster Mariæ integritatem, & omnibus numeris absolutum decorem, sine vlla peccati turpitudine designet: eam esse sicut *lunam perfectam* prædicat. Ac si apertiùs diceret: spiritualem lunam Mariam, non sicut materialem percipiat vllus; ista deliquium patitur, illa nunquam iustificanti gratiæ vale dixit: hæc luminis splendore certis priuatur morulis, illa verò nunquam amicitiæ Dei radijs orbata, neque pro indiuisibili morula constitit. Quare meritò Anastasius Synaita vltra mille annos antiquissimus, & grauissimus Doctor sic dixit de Deipara: *Luna quædam plena Maria, numquam defecit, aut priuata fuit essentiali lumine*, idest gratia, vt clarè puto. Corroborent hæc aureis literis digna Theodoreti verba illud Cãtic. 6. *Pulchra vt luna* exponentis. (Fit autẽ comparatio inter sponsam Mariam, & creaturas alias.) *Vt discrimen*, inquit, *inter illas & stellas indicarent, & vt ipsius lunæ perfectionem ostenderent; quasi dicerent, vt luna plena, nitens non exilia ostentans cornua, non semiplena, non decrescens, sed perfecta, & toto orbe splendida, non quidpiam retinens imperfectionis, sed totum globum lucidum præseferens.*

Anastas. Synaita.

Theodor.

Tertium Deiparæ à Psalmista encomium tributũ est,

est, quod sit *testis in cælo fidelis*. Vnde dilucidè nostra veritas magis stabilietur. Est enim Maria in *cælo fidelis*: Diuorum verò cæteri, certè aliquando infideles. *Omnes* enim *sicut Adam transgressi sunt pactum*. Ose. 6. peccato namque primordiali animā infecere. Cæterū Maria sola *fidelis*, quia neque Adami peccato, neque aliquo sibi proprio maculauit animam. Sponsæ fortè metaphora fuit vsus Psalmista; sicut enim vxor coniugi infidelis vocatur, cùm aliquod cōtra ipsum peccatum commisit; sic è contra, quæ nullius delicti in coniugium sibi conscia est, viro fidelis dicitur. Vt igitur Maria Spiritus Sancti cælestis sponsa, nullo crimine, nullo peccato, nullouè defectu animæ thorum infecisse dicatur, *fidelis in cælo* asseritur. Ose. 6.

Sed iuxta aliorum placitum perpendamus istud. Quidam enim vt probabilius censent, per *testē in cælo fidelem*, Iridem, vel cælestem arcum exponi, ita illustrissimus Bellarminus, cuius mihi semper memoria in benedictione erit, vt potè, de Ecclesia Catholica pluribus de causis benemeriti: Ex hac verò Iridis appellatione pulchrè certe Deiparæ Virginis pulchritudo denotatur. Est enim Iris Metheorologicorum effectuum (quod sine iniuria aliorum dixerim) pulcherrimus, & speciosissimus. Hinc Eccle. 33. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo.* Hinc etiam Maximianus: Cardin. Bellarm. Eccles. 33.

Theumantis proles, varianti veste refulgens
Multicolor picto per nubila deuolat arcu,
Cum sol ardentes radios in nubila iecit.

Cohæret Poetarum Princeps Aeneid. 5.

Mille trahit varios aduerso sole colores. Aenei. 5.

Et Naso Metamorphos. 1. Ouid. Metamor. 1.

Nuncia Iunonis varios induta colores.

Hinc verò Dei matris egregia venustas egregiè quoque commendatur. Quid enim aliud erit eam Iridem nuncupare, nisi formosissimam, pulcherrimam, & gratiosissimam dicere? Et cùm summa pulchritudo, nec locum deformitatem admittat, quis cum tanta Deiparę pulchritudine enormis originalis contagij crimen compati tueatur? Quid etiam erit affirmare Mariam Iridem esse, nisi virtutibus, donis, priuilegijsq; varijs, sicut Iridem coloribus, indutam esse? inter hęc autem priuilegia, immunitatem ab originali non recensent, absit, absit, & a villis absit.

Altius enim aliud, nec à nostro abhorrens intento in Iridis appellatione mysterium cerno. Est enim Iris, pacis, reconciliationis, & benignitatis indiciũ, quod clarè notat cœlestis arcus tempore Noetici diluuij Genes. 7. in nubibus apparens: *Et erit*, dixit Deus: *Signum fœderis inter me, & terram.* Vnde *Pax* apud Grecos idem valet, quod *Iris*, vel saltem parum distant, vt antè me notarunt Ticonius hom. 2. in Apoc. inter opera August. tom. 9. & Abbas Rupertus explanans locum Geneseos allatum. Quod latè probat Alcasar Iesuita Hispalensis in Apocal. cap. 4. Et (vt ex ipso accepi) Louanienses ciues in Archiducum Austriæ Alberti, & Isabellæ aduentu, in futuræ pacis auspicium bonum, coronam Iridis specie, principibus dedicarunt. Si ergo Maria cœlestis arcus est, sempiternæ inter ipsam, & Deum pacis auspicium præstat. Non ergo peccatum aliquod Mariæ obfuit, inde namque inimicitiam aliquam cùm Deo contraxisset, vinculaque pacis rupisset, quod non bene cum nomine Iridis cohæreret.

Genes. 7.

Ticonius hom. 2. in Apoc

Rupert.

Alcasar Apoc. c. 4.

Ex

Ex loco Ezechielis 43. fulcitur intentum. Ezech. 43

Caput VIII.

LAtissimum campum in sacra pagina reperio, vt inde pro omnigena sanctitate Virginis exornanda flores pulcherrimos legam. Inter eos autem ex sancto Dei Vidente Ezechiele pulcherrimum, nimisque odoriferum florem Virgineæ coronæ fabricandæ submittam. Si enim coronarum vsus prophanis etiam rebus licuit, vt & prophanus Ouidius ceciniſſe videtur. Ouidius.

Tempora ſubtilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta ſplendida menſa roſa.

Cur Virgineum, & prope diuinum Deiparæ caput, floribus, & roſis ſuauibus ex ſacræ Scripturæ pomario decerptis, non coronabimus? Equidem ad hoc materiam inſignem ſuppeditat Ezechielis Prophetæ in cap. 43. teſtimonium. *Iſta eſt lex*, inquit Prophēta, *domus in ſummitate montis, omnis finis eius in circuitu ſanctum ſanctorum eſt. Hæc eſt ergo lex domus.* Hinc verò auſpice Ieſu, non intempeſtiuè ſanctiſſimæ matris omnimodam munditiem explanabo. Ezec. 43

Nec nouum alicui, & inſolitum appareat locum hunc de Chriſtipara expoſui: talis namque admiratio ignorantiæ filia cognoſcitur. Tot enim grauiſſimi expoſitores huic adhærent placito, ita ipſa verba conſonant intento, ſic etiam antecedentia, & conſequentia huic cohærent propoſito, vt facili negotio ita intelligendum eſſe, ipſe ſe locus manifeſtet. Sic eum, inter plures alios, Hieronymus Pintus Pintus. intellexit, dum explanatorem Prophetæ ageret. Quin hæc *domus*, ſeu tabernaculi Dei appellatio Mariæ plu-

Psal. 92. ries in sacra Scriptura tribuitur, vt Psalm. 92. in illis
verbis: *Domum tuam, Domine decet sanctitudo*, quod de
Psal. 45. ea plures accepere: & Psalm. 45. illud: *Sanctificavit ta-*
bernaculum suum altissimus, quod de Maria interpre-
Cani. lib. tatur Methodius, vt affert, & sequitur Canisius,
1. cap. 6. lib. 1. c. 6. Insuper in illud Cantic. 1. *Tigna domorum*
Alanus *nostrarum cedrina*, Alanus Illustrissimus, *Domus hæ*, in-
Cantic. 1. quit, *intelliguntur Corpus Christi, & corpus Virginis.* Sic
Pet. Dam. quoque Petrus Damianus in hymno Assumptionis
in Hym. cœlestem aulam Deigenitricem cognominat carmi-
Assump. ne pulchro:

Aula cœlestis speciosa Regis
Fulta septenis sophiæ columnis.

Ambr. in Et pulchrè Mediolanensis Episcopus Ambrosius in
hym. Nat hymno Natiuitatis:

Procedens de thalamo suo.
Pudoris aula regia,
Geminæ gigas substantiæ.

Innumera alia non recenseo, quæ Deiparam domũ Dei esse declarant.

Ex hac verò domus Dei appellatione Mariæ sanctitudinem possumus comprobare. Principiò namque arcem, seu palatium regium, regiam quoque dignitatem decorare, refragabitur nemo. Palatiũ enim à Pallante gigante, qui ob sui magnitudinem decorandam primus palatium fecisse fertur, nomen accepit. Vnde licebit inferre, Deiparam Beatissimam, quæ palatium Dei verè dici potest (si dicere fas est)
Luc. 1. Dei maiestatem decoraſſe. Hinc enim illa Luc. 1. ca-
cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* Etsi
Eccl. 43. enim Ecclesiasticus cap. 43. reclamet, *Quis magnificabit eum, sicut est?* Cæterum Maria verè protulit: *Magnificat anima mea Dominum*, idest, ego sum, quæ

quæ verè Deum magnifico, Deum extollo, Deumque honoribus impleo. Ex hoc etiam (vt nihil intactum relinquam) præcipuus tangitur noſtræ diſputationis ſcopus. Si enim Maria Deum magnificat, Deum ritè honorat, cæteris in hoc creaturis primatum habens : non ergo peccati originalis macula Deum inhonorauit. Caruit ergo illo, vt omnino fari poſsit : *Magnificat anima mea Dominum*, ideſt, ita diuinam dignitatem extollo, vt ne leuiter quidem eius maieſtatem offenderim. Quod confirmat bellè Auguſtinianum de hoc cantico dictum ſerm. 21. de Tempore: *Mariæ cantus Euæ planctum excluſit*. Cùm igitur Euæ planctus originale crimen inuexerit, hoc idem Mariæ cantus penitus ſepeliuit. *Auguſt.*

Adhæret ſecundò ex hoc Chriſtiparæ Domus cæleſti cognomine, in ea ſemper Deũ immobiliter permaniſſe, nec leuiter ab ea diſceſsiſſe, elici perappoſitè poſſe ; indecens namque Regiæ maieſtati videtur, vt domum, quam ſemel electam habitare propoſuere Reges, derelinquant. Quod corroborat Pſaltes in Pſalm. 45. dum de Maria loquitur, vt bellè inter alios Chriſtopolitanus Epiſcopus aduertit, *Deus*, inquit, *in medio eius non commouebitur*, hoc eſt, nunquam, nec pro durationis minimo Dei gratia à Maria abfuit. Si autem eam primordialis criminis barathro detrudi permiſit, quomodo ab ea non diſceſsit ? aut qualiter eam non dereliquit? *Pſal.* 45.

Sed ad Ezechielẽ noſtrum veniamus, & quid de iſta Dei domo intonet percipiemus. *Iſta eſt lex*, inquit *domus in ſummitate montis*. Vt ſi apertiùs affirmaret. Domus Dei, quę eſt Deigenitrix Virgo, verticẽ, & culmẽ per-

perfectionis habet, totius sanctitatis sublime fastigiũ possidet, ita vt nihil imum, aut infimum in ea percipere possimus. Vnde sicut eam hic *in summitate montis* domum collocatam prædicat Ezechiel, sic eam montem vocat Daniel, 2. capo dum dicitur: *Lapis abscissus est de monte sine manibus*, idest Christus, qui lapis est, de eius Augustissima matre, vt de *monte* natus est: sic enim hunc locum Augustinus in concione ad Cathecumenos exposuit. Libeat ergo hunc altissimum montem, quem Pelione, Atlante, Casio, Olympo, & alijs celeberrimis celsiorem æstimo, adeo excellenti virtute sublatum credere, vt cum peccati originalis pestilens flatus non attigerit.

Dan. 2.

Prosequitur Propheta dicens: *Omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum.* Hoc est, versus quamcũque partem Dominicam Matrem consideres, sanctissimam reperies; quemcunque Deiseræ domus angulum conspicias, sanctitudine refertum inuenies; quodcunque etiam eius latus, aut extremum attendas, *in circuitu sanctum sanctorum est.* Si Diuorum aliorum extrema, aut fines in circuitu cernamus, omniũ illorum Conceptionem immundam videbimus, & in vltima corporis ab anima dissolutione, corpus terreæ corruptioni obnoxiũ reperiemus. Hoc verò totum in Maria deficit, eius namque mors, corporis Sacratissimi molem ad cælum euexit, & eius conceptio Sacratissimam animam plenissima sanctitate abundantem vidit, quia *omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum est.* Cui maximè adhæret Ambrosianũ dictum lib. 1. Officiorum c. 14. *Bona domus in ipso vestibulo debet agnosci, lux intus posita foris luceat.* Bonitatem ergo cælestis Dei domus, quæ est Maria, eiusquè pulchritudinem *in ipso vestibulo* agnoscere debemus. Atque

Ambr. li. 1. Offi. c. 14.

Digitized by Google

que ita vt mundissimam, pulcherrimam, & omnibus numeris absolutam domum credamus, Conceptionem quoque eius omnino Immaculatam affirmemus.

In Salomonico templo, etsi totius mundi orbita celeberrimo, innumeris tamen tituli spirituali Dei domo, quæ Maria est, viliori, & inferiori: in libro, qui *Capitula Patrum* nominatur, antiquorum Magistrorum traditione recipitur, quatuor famosiora reperiri. Primum, *non fœtuit vnquam caro sanctificata.* Secundum, *non conspecta fuit musca in domo mactationis.* Tertium, *non extinxerunt pluuiæ ignem qui erat in strue lignorum.* Quartum, *non vicit ventus columnam fumi.* Si igitur materialem Dei domum his miraculis dignam Magistri isti sensere, cur Christiani Magistri spirituale Dei tabernaculum Mariam, similibus non decorabunt honoribus? Verè caro eius sanctificata, quæ *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*: communi fœtore peccati non fœtuit. Nec in ea muscæ aut vestigium reperiri decuit. Est enim musca bestiolarum turpior, nihil non tactu coinquinans, de quo Martia. lib. 14 Epigr. 67. *Mart. lib. 14. Epig. 67.*

Lambere, quæ turpes prohibent tua prandia muscas.

Vnde non immerito originale contagium muscam appellabo, vniuersum genus humanum, præter Matrem, & filium mordentem, hincque ortum habeat Boethij querimonia dicentis: *Quid imbecillius homine, quem morsus muscularum necat?* Rursus tertiò Deigenitricis ignem charitatem, & iustitiam, diluuij originalis pluuia, quæ vniuersos consumpsit, non extinguat. Nec frigidus Aquilonaris aer, hoc est, communis macula, Sacram Deiparentem concutiat. Est enim quæ via recta, *tamquam virgula fumi ex aromatibus* *Boeth.*

com-

compacta, a primo ingressu Conceptionis in mundum, cœlum vsque tendebat.

Adijciam tandem in humanarum literarum sectatorum gratiam (quibus etiam me debitorē cerno) nescio quo numinis afflatu, & inspiramine, Nasonē illum Ouidium de sua illa solis Regia mira in Metamorphoseo operē canentem, vt eadem Regiæ cælestis Solis Mariæ accinamus, ansam obtulisse. Ex quibus intentum roborare non erit abs re. Sic autē intonat Poeta: *Ouidius.*

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat.
Materiam superabat opus: nam Mulciber illi
Aequora cælarat.

Primùm quidem solis domum Regiam appellat. Est autem Regia (teste Calepino) domicilium, & aula regis. Quo nomine iure Maria nostra præfulget, quam Dei, & Christi Regiam appellare possumus. Dei vtique domicilium omnino semper extitit, non solùm, quia nouem mensium cursu Christiferam credimus, sed quia nunquam ab ea Dei gratia Christi meritis tributa abfuit. Neque sacræ Scripturæ inconsuetum est domun Dei Regiam, seu Palatium vocare, Pſ. namque 48. dum, *Deus in domibus eius cognoscetur*, audimus: Hebraice (Genebrardo teste) *in Palatijs* legitur. Sanè ergo Maria nostra Dei Regia dicatur. Num verò eam in primis fundamentis, non modò defectibilem, sed verè deficientem originali crimine, Dei dignitatem, & magnificentiam deceat, *Inimici nostri sint iudices.* *Pſ. 48.* *Geneb.*

Hæc verò Regia (Poeta anteſignano) *Sublimibus alta columnis* dicitur. Quod nimirum de Regia, quæ

est

est Deipara Maria, dumtaxat proclamari debere, ap plaudit Sapiens Prouerb. 9. dum dicit: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Accinit Psalmista, dum Psal. 86. dixit: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Quos amplectitur Ecclesia cum Petro Damiano, dum canit: *Prou. 9.* *Psal. 86.* *Pet. Dam*

Fulta septenis sophiæ columnis.

Et verò, si Dei, & hominum sacerrima Parens in originali concepta prædicetur, in infimis, luteis, terreis, vilibusque fundatam columnis, non immerito proclamabo. Nec enim Sapiens, Propheticum, Ecclesiasticum, & Poeticum dictum illi accomodare valeo.

Præclarè quoque nimis Regia solis *claro micante auro* depingitur: hinc enim bellè obfirmabimus intētum. Est enim aurum metallorum pretiosissimum, *solùm Deorum proprium*, vt notauit Plinius libr. 33. cap. 3. Sanctissimis dumtaxat viris accomodandum. Vnde diuinè sanè diuinus Plato 3. de Republ. affirmauit: *Aurum pectoribus illorum indicum, qui iustitia, & cæteris heroicis virtutibus pollent: argentum, qui communibus alijs præditi; æs, ferrum stannum improbis.* Est quoque aurum in corruptæ amicitiæ symbolum; vnde quòd veram amicitiam auro comparemus inoleuit, sic enim de amicis dixit Poeta quidam. *Pl. li. 33. cap. 3.* *Pla. 3. de Republi.*

Vt fulvum spectatur in ignibus aurum. *Poeta.*

Accedit quòd aurū in suo ortu flaueiçit, & scintillat, in quo ab argento distat: hoc enim, vt Plinius libr. 33. cap. 6. dixit: *Nulla sui spe nascitur, nullis vt in auro lucentibus scintillis.* Est quoque aurum ab *aura* dictum, vt scripsit Isidorus libr. 16. cap. 17. aura verò non solùm leniorem ventum, sed splendorem *Pli. li. 33. cap. 6.* *Isi. li 16. c. 17.*

Virg. Aeneid. etiam, & nitorem alicuius rei significat; vnde Virgilius Aeneid. 6.

Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.

Horatius 2. Carm. Od. 6. Quare Horatius 2. Carm. Od. 6. vt purissimum cuiusdam fœminæ oris nitorem exponeret, *auram* dixit, sic canens:

Te suis matres metuunt iuuencis
Te senes parci, miseræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

Liceat proinde ex assumptis pulchrum efformare discursum in Virginis Beatissimæ fauorem, cùm enim Regia solis, & solis iustitiæ, sit, *claro micabit auro.* Auri igitur encomia epilogizemus. *Est solum Deorũ proprium, heroicis virtutibus dignum, incontaminatæ amicitiæ symbolum, in suo primo ortu flaue scens, & scintillans, ab aura, seu splendore dictum.* Erit igitur Maria, quæ peccati originalis labem non pertulit, quod Dei proprium existimatur. Et cùm heroica sit fœmina heroicis quoque virtutibus prædita sit, & heroicum hoc priuilegium habebit. Et cùm aurea Dei domus sit, incontaminatam, & illæsam amicitiam Dei, nec per originale, nec per actuale crimen dissolutam, seruauit; sed semper vt aurum in primo suæ Conceptionis momẽto splendidum nitorem, lucentibus scintillis gratiæ iustificantis, immisit. Nec minùs ex sacris literis huius aureæ domus excellentiam colligere licet, *est* enim apud illas aurum charitas perfecta; hinc illud Apoc. 3. Apoc. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Maria ergo cùm aurum sit, nunquam à charitate deficiens excogitari debet.

Progreditur Poeta suæ Regiæ solis encomia celebrare, dicens, *flammas imitante pyropo.* Est verò pyro-

pus gemma flammæ colorem referens, quam nos carbunculum nominamus, sic ab effectu nuncupatum: accensissimè namque prunæ speciem præfert: adeo, vt de gemmis differentes affirment, quòd qui attentè carbunculum inspexerit, existimabit se ignitum lapidem, instar prunæ ardentis, aut succensi ferri, flammantisquè, videre. Tuetur alij etiam in tenebris carbunculum splendescere. Aristoteles quoque 4. Metheor. tx. 48. & Plinius cap. 7. asseuerant carbunculũ non incalescere ignibus. Quin Plinius eodem cap. 7 de carbunculo ait: *Nascitur in montibus apud Nasamonas, vt incolæ putant, imbre diuino.* Sed & alij de ipso tradunt, si aliquid cum carbũculo obsignetur, ceram ipsam liquefieri. Hæc verò omnia, quis non mirè Deiparę Virgini congruere cernat? Et quis inde cõmune conuitium non pertulisse, non eliciat? Si enim pyropus, seu carbunculus est Maria, charitatis, & diuinæ dilectionis flammas spirauit semper, in tenebris peccati (originalis maximè) omnino enituit; nec ignium concupiscẽtiæ, nec ipsorum causę, quod est Adami peccatum, particeps extitit: imbre diuino, idest, Dei gratia credatur concepta, quia sine peccato. Et quia in diuinis literis ceræ nomine, peccatum, vel peccator appellatur, iuxta Psal. 67. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei:* omne peccatum quodcunque sit, à facie Virginis liquefactum esse existimemus.

Aristot. 4. Meth. tx. 48.

Plin. c. 7.

Psal. 67.

Eburnea insuper domus solis fastigia tradit Naso noster, dicens: *Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat.* Et si id, vt decet, de Maria proferamus, heroicam eius sanctitatem, purissimamquè sine peccati scoria, iustitiam extollemus. Ebur namque Regiam maiestatem solùm decuisse putarunt antiqui. Sic Homerus: *Ho. nerus*

— — — *Sed solos talia Reges*
Ornamenta decent.

Et quod pluris est, solis Deorum simulachris fabricā-
Plin.li.8. c.10. dis dedicarunt. Sic Plinius li.8.c.10. *ex ebore*, inquit, *Deorū esse simulachra*. Sic etiam Ezech. 27. *Fecerunt tibi*
Ezec.27. *ex ebore Indico*. Vbi 70. dixerunt: *Templa tua fecerunt ex ebore*. Erit ergo Maria Augusta, quę sola Deo ad Christi humanitatem, seu Dei templum fabre faciendum, congrua materia erat. Si autem peccati nævo denigrata esset, neutiquam cōgruentem Christi humanitati materiam suppeditasset.

Nec in diuinis literis *ebur* nomen de Maria dictum desideratur: etenim Cantic.7. Ecclesiæ collum,
Cantic.7. quod Maria est, eburneum dicitur: *Collum tuum sicut turris eburnea*. Absque dubio, vt eam à candore, nitore, lævore, celsitudine, rectitudine què, laudet. Sic Nasonem dixisse video:

Ouidius. — — *Impubesquè genas, & eburnea colla.*

Et Virgilium, dum Aeneę pulchritudinem pingit
Aenei.1. Aeneid.1.

Quale manus addunt ebori decus

Clariùs cum Lauiniæ lachrymantis faciem describit Aeneid.11.

Aen.11. — — — *Cui plurimus ignem*
Subicit rubor, & calefacta per ora cucurrit,
Indum sanguineo veluti violaueris ostro
Si quis ebur.

Candidissima ergo, nitida, celsa, & pulcherrima Maria proponitur, cùm ebur nominatur. Absit tamen, vt cum hoc fuliginem peccati passam fuisse propo-
Iustus. nā. Corroboret hoc, quòd Iustus (puto esse Orgelita nū) dixit: *Ebur est animātis castitas incorruptibile*. Quid castius Maria? Neque Angeli. Quis etiam à peccati cor-

rup-

ruptione magis abhorrens, quàm Mariæ solus Deus?

Egregiè quoque, mirè, & artificiosè, quæ Poeta subiungit, nimirum: *Materiam superabat opus*, de Matre Virgine prædicantur. Quis enim in muliere pura, Angelorũ puritatẽ, sanctitatemq; cõspiciens, admirãdo non clamet; *Materiam superabat opus*? Quis etiam in Sãctissima fœmina virginitatem cum fœcunditate, viatricis statum, cum gratia plusquam beatifica cernens, non vociferetur: *Materiam superabat opus*? Quis quoq; Deum æternum, & sine principio, de ventre Virginis temporaneũ, & in tẽpore, processisse contẽplãs, mirabundus non dicat: *Materiam superabat opus*? Quis denique humanam naturam in fœmina repositam, Adamiquè propagine genitam, peccati fomite, reliquijs, prauisquè effectibus orbam considerans, vocẽ non extollat, dicens: *Materiam superabat opus*? Verè tota Maria, quidquid Maria est, & quidquid Mariæ cõpetit, optimè celebratur à Poeta dicente: *Materiam superabat opus*. Et sic etiam, quæ Germanus Constantinopolitanus in oratione de Zona Virginis dixit, verificantur optimè: *Omnia tua sunt admirabilia, o Deipara) omnia supra naturam, omnia ingentia, & cunctorum vires superantia*. Vt ergo non diminutè hæc de Maria proferantur, fateamur, obsecro, pij Catholici, Deiparam peccati communis labe infectam non fuisse, vt sic enim plenis buccis intonare poterimus: *Materiam superabat opus*.

German. Constan. Orat. de Zona Virginis.

Totius tamen Regiæ solis structuræ causam designat vates, dum intonat: *Nam Mulciberibi Aequora celarat*, ac si clariùs exprimeret, miretur nullus Regiæ solis admirabilem structuram, & architecturæ fabricam, auro, gemmis, columnis, eborequè intextam: ipsam namque Mulciber, hoc est,

Vul-

Vulcanus Deus, diuina fabrefecit arte, mirabilique architectandi ratione, æquora celando. Hæc verò Mariæ nostræ, quam pulchriùs, & honestiùs solis iustitiæ Regiam appellamus, adaptari ambiget nemo. Si enim, cur totidem repletam donis, refertam gratijs, priuilegijs abundantem, omnigena quoque gratiarum plenitudine decoram esse petas? Hoc vnum dicam: *Mulciber ibi Aequora cælarat*, id est, altissimus eam, vt propriam domum, propriumque, & speciale domicilium elegit: ipse namque *fundauit eam altissimus*: Et *qui creauit eam, requieuit in tabernaculo eius*: & qui eam Mariam appellare voluit, maria quoque, vocabulo contracto, omnium gratiarum, fluctorumque, & fluuiorum gratiæ commune receptaculum fecit. Cur verò gratiarum mare, hoc est Mariam, peccati originalis ariditate siccum, & aridum patiar? Neutiquam id permittam.

Lib. Cãt. *Ex libro Cantici Canticorum depromitur nostra sententia. Caput IX.*

CErno iam pium expectare lectorem, vt thema propositum de illibata Virginis Conceptione ex Cantico Canticorum Salomonis demonstrem. Et certè iure optimo expectat id lector. Quis enim credet librum hunc, qui totus in sponsi, id est, Christi & sponsæ, quæ est eius mater, diuinis enumerandis amoribus immoratur, aliquid de eximio Dei erga Matrem amore, præsertim in communis contagij præuentione, non tãgere? Quis quoque putabit, quòd dum diuinus sponsus, mirificis extollat laudibus sponsæ sanctæ pulchritudinem, quo fere nihil aliud

aliud in toto hoc libro agitur, non multa de Virginis omnimoda puritate describat? Appellat librum hūc Epiphanius hæres. 67. *Prophetarum Beatissimum* non ergo dubitemus ipsum aliquid, & multa de Dei genitricis laudibus propheticè canere. *Epiphan. hær. 67.*

Nec dubitari debet librum hunc de Beata Virgine Maria, iuxta aliquem verum sacræ Scripturæ sensum, exponendum esse; ita enim videtur tradere Ecclesia, dum ferè totum de Maria prædicat; tradunt quoque Patres, apud quos nihil fortè vulgarius reperiemus, quàm dum eam mirificè laudant, ad Canticum Canticorum recurrant. Ratum mihi est de Ecclesia præcipuè intelligi, de quo Drepanius Florus:

Quid loquar insigni tumidum Salomona cothurno,
Qui thalamos Christi psallit, & Ecclesiæ.

Sed cum hoc negabo nunquam, Virginem Sanctissimam inter præcipuos Canticorum libri scopos numerari. Vnde de ipsa integro commentario pro sequuntur Guillelmus Paruus, Honorius Augustodunensis in sigillo Mariæ, Rupertus Tuitiensis non paucis libris, Alanus de Insula, vniuersalis nuncupatus Doctor, Halgrimus Cardinalis, Dionysius Carthusanus, & eiusdem Ordinis quidam Picus, quibus annumero Martinum Delrium Doctissimum modernū. Et quamuis, vt semel dicam, integrum hunc librum, quantum ad ea, quæ de sponsa in eo prædicantur, Christi Matris sanctitati nō friuolè adaptare possem: omnia enim eò tēdunt, vt ipsius decorem, pulchritudinem, & venustatem ostentent, & consequenter summam eius sanctitatem sine peccati obice canāt: singulariter tamen selectiora loca ex singulis capitibus depromam, & ea vtilia esse proposito nostro, lectores iudices sunto.

Rupertus
Honor.
Alanus.
Car. Halgrimus.
Dionys.
Cart.
Picus.
Delrius.

Occurrunt

Cant. 1. Occurrunt primò exprimo capite hæc verba Cedro digna: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Vbi Maria *bis pulchra prædicatur,* *Honori.* *quia sine interiori macula declaratur* (vt dixit Honorius insigillo) ideſt, ſine actuali, nec originali macula. Ideo etiam *amica mea,* quaſi per antonomaſiam Dei amica dicitur, quia nunquam diuinæ amicitiæ vale dixit. Quod ſecus euenisſet ſi originalis cõtagij particeps aliquando foret. Hoc quoque magis editio *Septuag.* 70. Senum declarat: *Ecce es ſpecioſa proxima mea.* Vbi mirabili, celeberrimoquè encomio inſignitur Maria, quòd *Proxima* Deo ſit. Non enim Angeli, Archangeli, Throni, aut Principatus cæleſtes proximi Deo reputantur: ſed ſola ett Maria, cui dicitur *Proxima mea.* Quare ſicut in naturalibus, quò magis aliquid ad perfectè luminoſum accedit, eò minus tenebroſitatis admittit; ſic etiam, qui magis Deo apropinquant, magis à ſe tenebras peccati depellunt. Vnde Pſal- *Pſal.* 33 miſta Pſal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini:* cùm ergo proximior Deo Maria ſit puris creaturis omnibus, quantumuis Angelos comprehendas; & Angelos omnes ſanctos omni peccati labe caruiſſe ſciamus, neſcio quo iure hoc ipſum Mariæ negare poterimus? Mirificè quoque per ſequentia hoc idem declaratur: *Oculi tui columbarum.* Columbæ namque inter alias proprietates, quas Honorius Auguſtodu- *Honori.* nenſis in hunc locum, & Rupertus lib. 3. retulere, hæ *Rupertus* duæ maximè propoſito conærent. Prima, quòd co- *libro* 3. lumba animal ſit, quod ſine felle viuat. Secunda, quòd iuxta fluenta reſidens, venientem accipitrem ex vmbra prænoſcitum perniciter effugiat. Ex prima autem pulchrè Maria ſine originalis peccati labe vixiſſe declaratur. Ex ſecunda verò pulchriùs anti-

Digitized by Google

ticipata gratia, qua originalem maculam, Virginem in Conceptione quasi inuadentem, aufugit, exprimitur.

Secundi capitis aurea verba hæc sunt: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ex quibus multipliciter intentum deducam. Primò quidem, quia cũ sponsus, quasi sui prædicans laudes dixerit: *Ego flos campi, & lilium conuallium*, nullo mediante subdit: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea, &c.* Ac si apertiùs diceret: Sponsa mea Maria adeò similis, propinqua, & proxima mea estimari debet, vt si ego sum *lilium conuallium*, ipsa quoque *lilium inter spinas* sit. Hoc est, si ego per naturam lilium pulcherrimum sum, & sine vllo squalorisvestigio: ipsa quoque per gratiam, quia venustissimum & nitidum lilium est sine vllo fœtore peccati, aut indicio fuit: est enim mihi valde proxima, & propinqua. Quod bellè confirmant 70. *Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum.* Ecce proxima sponso Maria declaratur, & ideo cõmuni nomine *lilium* appellatur. *Cant. 2.*

Rursus aliter intenta veritas ex his verbis elicitur, quia esse Mariam *lilium inter spinas* nihil aliud denotare potest, quàm quòd etsi inter peccatores vixerit, nihilhominus, nulla ei peccati macula adhæserit. Per *spinas* enim peccata intelliguntur. Hi enim sunt fructus, quos terra à Deo post peccatum maledicta, nimirum natura nostra, germinare solet; de qua dicitur Genes. 3. *Spinas, & tribulos germinabit.* De quo etiam Prophetarum oracula comprobantur. Prouer. 24. *Superficiem eius spinæ operuerunt.* Isai 7. *Vepres & spinæ sunt in vniuersa terra.* Mich. 7. *Qui rectus, quasi spina de sepe.* Quod etiam olfeciſse vilus est Virgilius dum lepidè aliquando dixit: *Genes. 3. Prou 24. Isai. 7. Mich. 7. Virgilius.*

Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Rurſuſque, nec inelegantius.

Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo
Infælix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Bernard. ſerm. 84.

Clarius Bernard. ſerm. 84. *Spina culpa eſt*, inquit. Vt ergo ſponſus ſponſæ pulchritudinem commendet, eam eſſe *lilium inter ſpinas* dicit. Hoc eſt, etſi ſecundũ naturæ debitum, Maria ſpina, & tribulus eſſet (peccati nãque vtriuſque originalis, & actualis particeps extitiſſet) per gratiam tamen ſponſi, *lilium* eſt, ideſt, vtroque caret. Quod etiam cõfirmatur rectè, quia ex hoc loco immunitatem Mariæ ab originali, & actuali plures collegère; &, vt alios omittam, Guilhelmus ſuper hunc locum, eam *lilium inter ſpinas* vocat, *quia nihil in eam de maledictione Matris Euæ tranſierat.* Et Sedulius Presbyter lib. 2. Carm. per ſimilia verba Virginẽ à peccato communi liberam declarat.

Guilhel.

Sedul. li. 2. Carm.

Et velut in ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obſcurat honore;
Sic Euæ de ſtirpe ſacra veniente Maria
Virginis antiquæ facinus nouat Virgo piaret.

Adamus de S. Vict

Quibus non malè conſonat vir de Eccleſia benemeritus Adamus de ſancto Victore, qui his verbis piè Mariam compellat.

Salue verbi ſacra parens,
Flos de ſpina ſpina carens
Flos, ſpineti gloria.
Nos ſpine tum, nos peccati
Spina ſumus cruentati;
Sed tu ſpinæ neſcia.

E quibus omnibus elicitur locum hunc clarè Virgineam immunitatem ab originali exprimere.

Congruè quoque ex tertio capite hæc verba inducí

duci possunt proposito vtilia; loquuntur autem Sodales: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Vbi dum vniuersis odoriferis compacta pulueribus Maria sponsa designatur; vniuersis quoque gratiarum, & priuilegiorum generibus condecorata describitur. Hinc bellè Rupertus in hunc locum: *Nunquid virginalis fœcunditas destituta fuit, aliarum virtutum comitatu? non potuit esse sterilis virtutum Mater Domini virtutum* Et infra: *Denique, quia nihil deesse potuit spiritualium aromatum, quæ genuit fontem charismatum se quitur vniuersi pulueris pigmentarij.* Cui consonat cõmunis Patrum loquela, qui Deiparam omnigena virtutum, & charismatum varietate perpulchram canunt. Quis ergo ita parcè liberalis erga ipsam est, qui hoc cælesti pigmento, quod est ab originali crimine priuilegium, constructam esse non dicat eam, quæ *ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmẽtarij* compacta prædicatur? Si dicat quis, Hoc diuinũ est, Christo Deo, & homini soli debitum, puræ autem creaturæ, qualis est B. Virgo, non concedendum. Huic satisfaciam, dicẽs: Virgulam hanc odoriferam, Christiferam nempè, nõ solùm *ex aromatibus myrrhæ*, id est, ex charismatum donis, puris creaturis concessis: sed *ex aromatibus* quoque *thuris*, ideſt, pigmentis soli Deo proprijs compactam esse. *Thus enim certam quandam ob rationem diuini numinis cultui est consecratum*, vt dixit Nissenus super hunc locum, & Iuuencus:

Aurum, myrrham, thus, Regique, homini que, Deoque.

Sicut ergo plura alia, quæ soli Christo concedi videtur, vt ab omni actuali crimine præseruatio, & alia plura, huic sanctissimæ matri concessa esse videmus, meritò quoque donum hoc immunitatis ab origina-

Rupertus.

Nissenus.

Iuuencus.

li, ipsi, sicut Cirillo, concedendum erit. Nec mirum hoc privilegium filio, & Matri concedi, de hoc enim
Isai. 61. dono, quasi lætabunda apud Isai. 61. sic clamat. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo quia induit me vestimentis Iesu.* Sic enim habetur Hebraicè, dum noster Vulgatus legit; *induit me vestimentis* salutis, quod bellè notauit Galatinus lib. 7. de Arcanis c. 5. Si ergo eiusdem Iesu vestimentis Maria exornata exultat, eiusdem etiam immunitatis ab originali particeps erit.

Galatin. ibr. 7. de Arc. c. 5.

Iam capitis quarti desideratissima verba proponam, de quibus hoc vnum affirmare possum, etsi sola essent in sacra Scriptura, abundanter tamen sufficere, vt B. Virginem ab omni peccato liberam esse fateremur. Hoc autem mirabili encomio prædicatur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Si verò pro minima duratione, originalis malitiæ labe infecta esset, vtique nec sponsus posset hęc dicere, nec nos similia affirmare. Nam nec *tota pulchra* diceretur, quæ Conceptionis tempore peccati nigredine deformis extitisset; *nec macula non est in te* enunciari posset de ea, quæ in primo in mundum introitu labē originalem excepit. Vnde ex hoc loco, non solùm Theologi innumeri, hanc Virginis Sanctissimæ puritatem deduxere, sed expositores sacri illius eā lubenti animo suscipiunt. Ex antiquioribus Alanus super hunc locum sic scripsit: *Tota pulchra, id est, anima, & corpore, amica mea, per gratiam, & opera, & macula non est in te quia nullum credimus in Virgine, ante, & post conceptum fuisse peccatum.* Sed & trium Patrum catena in hunc versiculum sic dixit: *Tota pulchra, quia pulchra mente, corpore, & anima. Corpore, quia per actionem à variis vitijs purgata, & virtutum moribus excellens. Anima verò,*

Alanus.

verò, quia ab omni improba cupiditate seiuncta, & sermonibus decorata mandatorum. Mente denique, quia à vitiis quoque, & exilibus cogitationibus liberata, splendida, & per Spiritus sancti gratiam, quasi diuina fuit effecta. Videatur Hugo de sancto Victore, serm. 9. instit Monasticæ, atque etiam sermone de Assumptione Mariæ, quæ est in fine tomi 2. Quibus adiungam ex modernis huius loci explanatoribus doctissimos Delrium, & Gislerium. *Hugo ser. 9. instit. Monast.*

Nec patiar sanè quinti capitis verba silentio præterire: insignia namque Mariæ elogia indicant, ex quorum singulis Logicus pius, piam quoque illationem ad ipsius Virginis puritatem confirmandam eliciat. Verba sunt hæc: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, seu, quemadmodum 70. legunt, *perfecta mea*. Quis autem non hinc inferet plusquam Angelicam puritatem Matri sanctissimæ communicatam fuisse? Fuit quippe Deo *Soror, amica, columba, immaculata, & perfecta*, quibus titulis nec supremi decorantur cherubini. Quo pacto etenim Maria *Soror* Dei dicatur, si per originale crimen filia Diaboli fuit aliquando redacta? aut qualiter *immaculata, & perfecta* nuncupari potest, quæ macularum maculam, id est, omnium peccatorum primam originem, & radicem subijt? Ignoro prorsus. Quòd verò Maria hic *columba* nominetur, præter superius dicta, etiam suffragatur intento: adeo enim mundissimum animal existimatum fuit, vt Syri, & Palæstini columbas venerati fuerint. Hinc Tibullus lib. 1. Eleg. 7. *Septuag.* *Tibull. li. 1. Eleg 7*

Quid referam vt. volitet crebrus intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro.

Esdras li. 4. c. 6.

Hinc Apochryphus Esdræ liber. 4. c. 6. *ideo*, ait, *Deum*

in

in columba placuisse, vt eam ex omnibus volatilibus selegerit, vt ex arboribus vitem, ex floribus lilium, ex pecoribus ouem, ex populis Hebræum, ex ciuitatibus Sion. Hinc etiam ad Christi sanctitatem testandam columba apparuit
Math. 3. Math. 3 & cùm velum templi scissum est in passione Christi, columba templum egredi visa est, vt prodidit Ephrem serm. de Passione. Symbolum quoque fę licitatis ab Hebræis habebatur, apud quos, qui ditiores erant eius alas gypso illitas affigebant tectis, vt
Pierius. narrat Pierius 22. Hierogliph. Ocyssimè tandem vo
Aenei. 5. lat, de quo Mantuanus Aeneid. 5.

Radi titer liquidum, celeres neque commouet alas.

Ex quibus, & alijs, quæ de columbæ encomijs afferre possem, inferam sanè Deiparæ Mariæ Immaculatam puritatem sub columbæ symbolo egregiè declarari.

Ex capite 6. pulchra hæc verba, pulchrè quoque
Canti. 6. nostræ sententiæ subministrant: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ*: omitto priora, *vna est columba mea, perfecta mea*: nam de ijs in
Rupertus. superioribus egi. Quæ tamen Rupertus super illa dicit non celabo. *Vna*, inquit, *& electa est, quia nec inter Angelos, nec inter homines, similem, vel primam habet, vel sequentem habitura est. Verè columba, quia gratia plena, verè electa, quia non solùm salua existeret, verùm etiam ipsam salutem pareret.* Posteriora verò, scilicet, *vna est matri suæ, electa genitrici suæ*; mirificè nostro cohærent proposito. Quod vt appareat, suppono, idem esse dici hic spõ sæ, *vna est matri suæ*, ac dici esse *vnicam, singularem, &*
Canti. 8. *eximiam amore.* Cùm enim c. 8 sororem habere sponsam describatur, illis verbis, *soror nostra parvula est*, & etiam, quid faciemus *sorori nostræ parvulæ*? manifestum est non dici *vnam* sponsam, quia sola, aut solitaria fuerit

fuerit filia matris suæ. Sed quæ est genitrix, & mater Mariæ? Certe hic non alia, nisi gratia; hæc enim est, quæ genuit, concepit, & nasci fecit Mariam. Audiatur Guilhelmus hic: *Mater, seu genitrix eius, sicut, & omnium nostrùm, redemptrix illa gratia est.* Quem imitatur Hailgrinus hunc exponens locum, dicit enim: *Cælesti gratiæ matri suæ vnam esse, quia singulariter dicere potuit, Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Quos etiam sequuntur Gislerius, & infiniti alij. *Guilhel.* *Hailgri.* *Gislerius.*

Nec mirum sit alicui gratiam Mariæ genitricem appellare: Anna namque, quæ eius quoad naturam mater fuit, *Gratia interpretatur*, vt testatur, inter alios, Damascenus lib. 4. Orthodox. fidei. cap. 15. & Epiphanius in serm. de laudib. Mariæ. Quod vt significaret Damascenus, simulquè, potius à gratia, quàm à natura genitam Deiparam esse, ostentaret, in orat. 1. de Natiuit. Virg. sic fatur: *Natura gratiam anteuertere ausa non est, sed tantisper expectauit, dum gratia suum fructum produxisset.* Ecce Maria filia gratiæ cognominatur; quin in loco, quem versamur, *vna, & electa genitrici suæ describitur.* Quis verò inde non eliciat peccato originali caruisse? Quomodo enim gratiæ filia peccatrix est? Neque Angelici spiritus cælestes filij gratiæ sunt hic vocati, & tamen omni caruisse labe fatentur omnes; quanto magis de gratiæ vnica, & gratiæ eximia, & singulari, id iure prædicabo? Rursus, filia eiusdem semper cum matre naturæ existit, aut saltem eius mores amplectitur. Sic enim Ezech. 16. dicitur: *Sicut mater, ita & filia eius.* Quod & Peleus in Andromacha Euripidis annotauit *Damasc.* *Epiphan.* *Ezech. 16* *Peleus.*

— — — *Inimantur enim*
Materna probra. Et id videte mihi, oproci,
Bona prognatas matre, vt ducatis filias.

& Iuuenalis lepidè: *Scili-*

Digitized by Google

Iuuenalis *Scilicèt expectas, vt tradat mater honestos,*
Atque alios mores, quàm quos habet? Vtile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Cùm ergo Maria filia gratiæ sit, eius morum æmulatrix erit: & cùm gratia nullum secum admittat peccatum, sic nec Maria.

Capitis quoque septimi materia, si pij argumentatores esse volumus, non minùs cæteris deseruiet nobis. A planta namque pedis, vsque ad verticem capitis, diuinis epithetis sponsa Maria ab sponso decoratur. In primo namque versu *gressus, & calceamenta* Virginis commendantur. In secundo *venter* eius *liliis* vallatus describitur. In tertio *Vbera* sanctissima mirifice extolluntur. In quarto *collum, oculi, & nasus* collaudantur præclarè. In quinto *Caput* Carmelo monti, ex quo deditissima Mariæ Carmelitana prodijt Religio, exæquatur, & *comæ capitis* Regiæ purpuræ similes esse dicuntur. In sexto, & septimo tota sponsa, & eius statura miris decoratur laudibus. Ex quibus sic liceat argumentari. Tota sponsa, singulęquè eius spirituales partes adeò placent sponso, vt in eis non modò nihil offensionis reperiat, sed cuncta pulchra, eximia, & decora sibi commendet. Qualiter ergo cum hoc stare posset, vt Deiparæ prima pars, primũquè essendi principium, quod est Conceptio, denigrata, & deformis dicatur? Si tota, & totaliter Maria decora prædicatur, quomodo originali labe infecta depingitur? Non est hic rectus theologizandi modus. Rectiùs certè antiquus ille Pater, solo nomine Idiota cogitauit, dum Contempl. cap. 2. dixit. *Tota pulchra es virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula, siue mortalis siue venialis, siue originalis, non est in te: neq; vnquam fuit, neque erit.* Bellè quoque discursus

Idiota Cõtẽpl. c. 2.

noster

noſter ex decimi verſus verbis roboratur: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius*, ac ſi diceret apertiùs: totã me dilecto meo tradidi, tota illius ſum: nihil in me, quod ipſi non deſeruiat inuenit, atque ideo ad me vnicam inter creaturas conuertitur. Cum hoc autem non rectè ſtat, ſi dicamus Deiparam Matrem originalis peccati macula aliquando ſordidam extitiſſe.

Iam denique vltimi capitis verſum quintum expendamus & inſignem materiam noſtro præbere inſtituto conſpiciemus: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Quæ verba ſponſæ Marię dicta ſunt, priora quidem à ſodalibus, poſteriora verò ab ipſo ſponſo. Cuiuſcumque tamen ſint, mirè themati noſtro fauẽt. In primis namque dum dicitur *delicijs affluens*, quis inde non colliget miſeria peccati caruiſſe? idem enim eſt *delicijs affluens*, ac (vt Rupertus hic voluit) *redundans gratijs, & donis Spiritus ſancti.* Quod percipere nequeo, niſi hoc dono præſeruationis ab originali gauderet. Quod confirmat, *innixa ſuper dilectum ſuum*, ideſt, nunquam nec pro minimo inſtanti ab eo per peccatum diſceſſit. Clariùs dixit Origenes hom. 1. ex duabus in Cantica, qui pro *innixa*, legit, *ſuper pectus recumbens dilecti*, id eſt ſemper eius amore conſopita, nũquamquè Diaboli, aut peccati irretita laqueis. Optimè quoque Philo Carpathius hic pro *innixa* vertit, & *confirmata in fratre ſuo*, ideſt, in Deo, tanquam in firmiſſimo fundamento roborata, ita vt nullius peccati armis vinci pateretur.

Ruperti.

Ori. ho. 1.

Philo Carpathius.

Sed eam ab originali, & communi peccato immunem fuiſſe, ſponſus declarauit, per ſequentia clariſsimè. *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta*

est mater tua ibi violata est genitrix tua. In quibus pro *arbore malo*, scientię boni & mali arborem, cuius fructus esu primogenitores nostri peccauere, paccipiẽdam esse non dubites; multi enim huius loci expositores sic eum intellexerunt. Quamuis enim plures ad lignum crucis referendam esse sententiam dicãt, id non obstat, cùm iuxta multorum placitum, eadem
Anselm. vtraque arbor fuerit. Vnde Anselmus in hunc locum per arborem *malum* ita crucem significatam esse existimat, vt simul respectum haberi ad arborem Paradisi, in qua nostri parentes peccauerunt, concedat. Vnde consequenter Eua est illa, de qua dicitur: *Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Quod in-
Honorius. ter alios expressit Honorius, dum dixit: *Violata est genitrix tua: videlicet propter peccatum passibilis facta est caro Euæ.* Ex quibus iam aptè nimis Deiparæ immaculata puritas colligitur. *Sub arbore malo* suscitata dicitur Maria, id est, adeo antiquus in eam Dei amor fuit, vt quãdo vniuersum humanum genus primi parentis peccato infectum mansit: & quando prima naturæ parens Eua, ex immortali quæ aliàs esset, mortalis, & corruptibilis facta fuit, ipsa sola à communi illa macula præseruata fuerit. Quam quidem huius loci expositionem, congruã nimis, aptam, & contextui cohærentem esse, negabit nullus. Eam verò amplectuntur aliqui doctissimi, inter quos Neothericus Gisle-
Gisterius rius in hunc locum numerari potest, & antiquior
Guilhel. Guilhelmus, dum dixit: *Ibi ergo corrupta est mater tua, ibi tu suscitata, id est, a corruptione liberata.* Nescio autem à qua corruptione fuerit liberata Maria, quando pec-
Card. Arator. cauit Eua, nisi ab originalis peccati corruptione. Fortè etiam ad hoc antiquus Cardinalis Arator respexit, dum de Maria in initio lib. primi in Acta

Aposto-

Apostolorum hæc cecinit:

A nato formata suo, mala criminis Euæ
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus:
Restituit, quod prima tulit.

Cui accinit castus, & Christianus Poeta Vidas in hymno ad Magnam Mariam, sic concinens: *Vidas.*

— — Postquam diuino fœdere rupto
Primus in orbe parens hominum se perdidit ipse,
Sequè suumquè genus veniens corrupit in æuum
Sola malo exorta es, veteriquè imperuia noxæ.

Ex varijs Testamenti veteris figuris immunitas Mariana roboratur. Caput X.

MIrum sanè esset, & à diuinæ prouidentiæ ratione satis deuium, si huius insignis Mariæ priuilegij vmbras aliquas, delineamenta, seu figuras, vetus instrumentum non haberet. Vmbratilis illa lex, cùm adhuc solem speraret iustitiæ, vmbris, & figuris eorum, quæ in lege gratiæ euentura erant, vigebat. Adeo, vt nihil magnum, nihil heroicum, & insigne lex gratiæ contineat, quod non olim per typos, & figuras declaratum fuerit. Hinc illa Apostolica vox 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis* Quis ergo negare audeat magnam hanc prærogatiuam Mariæ, & à communi labe immunitatem, typicè per plura fuisse designatam. Huic enim Patres, & Theologi aduersarij extant, qui hoc Dominicæ Matris priuilegium pluribus figuris expressum esse denunciant. *1. Cor. 10*

Et ab antiquioribus incipientes, primùm, quòd vmbraticè Mariam præsignauit, Paradisus ille Ada-

micus fuit, tot sacræ Scripturæ, & patrum encomijs
Pet. Dam celeberrimus. Tradidit id Petrus Damianus Virgini
deditissimus in ser. de Annunciatione eiusdem, &
Cantic. 4. plures alij. Vnde illud Cãt. 4. *Hortus cõclusus soror mea,*
Epiphan. *hortus con.* ad Mariam referunt plures. Epiphanius Iu-
Hieron. nior serm. de laudibus eiusdem. Hieronymus lib. 2. &
Hesich. in Apologia contra Iouinianum, Hesichius orat.
Damasc. 2. de Deipara, & multi alij. Cùm ergo terrestris il-
2. fidei. c. le Paradisus conditus à Deo fuerit, quemadmodum
27. Damasc. 2. fidei. c. 27. describit: *Lætitiæ, & voluptatis omnis promptuarium, optima temperie, & aere subtilissimo, atque purissimo splendidus, plantis semper virentibus insignis, odoris suauitate refertus, plenus lumine, vniuersæ sensibilis venustatis, & pulchritudinis superexcellens intelligentiam*: Pariter de meliori Domini Paradiso Mariæ Theologizare conueniet, & ita hoc priuilegio decoratam fuisse adstruemus. Similiter quemadmodũ
Genes. 3. terræ à Deo maledictio inflicta Genes. 3. super Para-
Philoxe. disum minimè cecidit, neque eius plantas affecit, vt notauit Philoxenus in oratione de Arbore vitæ his verbis, de Paradiso, & eius plantis loquens: *Nequaquam subiectæ sunt execrationi, atque damnationi, hæc enim in eam modo terram pronunciata sunt quæ extra Paradisum est, post violatam ab Adamo legem, ita vt ab ipsis Paradisus maneret immunis.* Pari etiam passu de Maria Augusta prædicari debet, vt quamuis vniuersa naturæ nostræ terra originali maledictione fuerit affecta, sed Maria, quæ Paradisus est, ab hac maledictione immunis declaretur.

Damasc. Vlteriùs quemadmodum secũdùm Damascenum
de fide de fide Orthodoxa lib. 2. c. 11. in Paradiso animalia
Orthodo. rationis expertia minimè fuere, his verbis: *Diuinus*
li. 2. c. 11. *profectò locus Paradisus, ac dignus eius, qui ad imagi-*

nem

nem Dei creatus fuerat, incolatus, in quo nullum irrationalium habitabat. sic proculdubiò in sacerrimo Immaculatæ Mariæ Paradiso, peccata vlla (per animalia rationis expertia designata, cùm peccatum sit à regula rationis deuiatio) nunquam admittenda sunt. Et quemadmodum de Paradiso homini peccaturo præparato canit Carmelita Mantuanus de vita sanctæ Catharinæ libr. 3. hæc: *Mantua.*

Illic perpetuo vernantia gramine rura,
Perpetui fructus, æternaquè gratia florum,
Vernaquè temperies, semper sine nubibus aer
Lspidus, & ustèr abest, Boreas non sibilat, Eurus
Exulat, occidua Zephyrus non murmurat aura.

Sic similiter, & meliùs multò, de hoc cælesti Paradiso, Maria, Christo Domino præparato, excellentiora hæc prædicare debemus. Denique (vt vno verbo dicam) si terreus ille Adamicus Paradisus, nihil malum, nihil noxium, nihil nociuum, mortiferũ, aut læthale cõtinebat, cur ita parcè liberales (melius dicam auari) in Christi Domini Paradisum Mariam esse volumus, dum in ea originalem noxam, mortiferum, læthalequè venenum fuisse contendimus?

Secundum, quod Mariam mysticè figurabat, terra illa fuit, de qua Adami corpus à primo omnium rerum opifice Deo protoplastum est. Sicut enim primus Adam *de terra terrenus*, secundum Adamum Christum *de cælo cælestem* præsignabat: sic quoque terra illa, de qua primus Adam conditus fuit, Virginem Sanctissimam, ex qua Christi Domini caro est effecta, exprimebat. Figuraquè cum figurato rectè congruit: sicut enim ex sola limosa terra,

terra, Dei opera primus homo creatus fuit, sic quoque ex sola Maria, Spiritus sancti opera Christi caro creditur fabricata. Cùm igitur terra illa, ex qua Adã creatus fuit, antequam ex illa crearetur, nihil noxiũ, læthale, spinosum, aut nociuum produxisset: sed omnia dulcia, vtilia, melliflua, floresquè suauissimum spirantes odorem, de quo Tertullianus lib. de Iudicio Domini per hæc:

Tertul.

Omnia fert fœcunda solo prædiuite tellus:
Flores in pratis fragrant, & purpura campis
Omnia præruptila miscet non inuida luce.

Et infrà elegantissimè:

Nescitur quibus vsque locis felicior aura,
Quæ melior specie, & plus præcellat honore.
Talia florigeris nunquam nascuntur in hortis
Lilia, nec nostris efflorent talia campis:
Nec sic prata rubent, mox vt rosa panditur aurea,
Purpura, nec Tyrio sic est intincta colore.

Cum melioris Adami, scilicet Christi Domini Maria terram ministrauerit, fateamur Catholici, nullo pacto, nulloquè modo, originalis criminis spinosam herbam, aut aliquid huiusmodi læthale, noxium, aut nociuum procreasse. Quod annotasse videtur Patres Concilij Francofordiensis in epistola ad Præsules Hispaniæ: probant enim Christum non fuisse seruum, *ex eo quòd ex meliori quidem terra, etiam animata, & immaculata fastus est homo*, quàm Adam.

Concil Francof.

Rursus (quòd maximè theologi nostri aduerterunt) Adam productus fuit à Deo ex terra benedicta, nondumquè maledictione illa inuoluta, qua post peccatum Adæ, Genes. 3. dixit illi Deus: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur ergo (& est argumentum à minori ad maius) terram Marianam, ex qua Verbum fa-

Genes. 3.

ctum est caro, peccati originalis maledictione implicatam esse dicemus? Est verò argumentū hoc ex hac petitum figura adeo efficax, vt per illud ab hinc mille sexcentos fere annos, Deiparam immaculatā fuisse, probauerit sanctus Andreas Christi Apostolus, vt enim Achaiæ Presbyteri in eius vita referunt, dixit: *Sicut de terra immaculata factus fuerat homo primus, ita necesse erat vt de immaculata Virgine Christus nasceretur.* Quem imitati sunt celebres duo Regionum Patriarchæ, sanctus namque Brunus Cartusiensium Pater in Psal. 101. sic fatur: *Hæc, scilicet Maria, est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni præterea contagione peccati libera.* Dominicus quoque Domini canorum Archimonachus in tractatu Corporis Christi sic dixit: *Sicut primus Adam, fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, &c.* Quæ omnia suis locis magis expēdemus: nunc enim sufficiat ex hac terræ figura Immaculatā Mariæ sanctitatem probare, cùm hos Patres anteſignanos habeamus.

S. Andr.

S. Brunus Pſal. 101.

S. Domi.

Tertium quoque, quod etiam in primordijs mundi Mariam adumbrabat, prima omnium mater fuit Eua. Quamuis enim in pluribus dissimiles extiterint, in pluribus tamen Euam Mariæ typum expressisse non dubito. Primò quidem *Mater viuentium* appellata est Eua, quod quidem nomen congruit recte Mariæ, fuit etenim Genitrix illius, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Vnde hoc eam nomine compellant Athanasius in serm. de sanctissima Deipara, & Epiphanius contra Hæres. 68. Antidico Marianitarum. Secundò, sicut Euam credimus speciosiorem cunctis alijs fœminis extitisse, sic quoque Mariam credibilius est, speciosissimam, & gratiosissmam præ illa, & omni-

Athana. Epipham.

omnibus alijs fuisse. Tertiò Eua *in adiutorium simile* Adæ à Deo producta fuit: sic quoque Maria in Christi adiutorium fuit data. Quod ipsa testata videtur in B. Brigittæ lib. reuelationum cap. 35. dicens: *Sicut enim Adam, & Eua vendiderunt mundum pro vno pomo, sic filius meus & ego redimimus mundum quasi vno corde.* Vnde Redemptionis cooperatrix appellatur à Patribus Maria, vt inferiùs videbimus. Quartò fuit Eua, cui primus Adam maxima charitate, maximoquè adhæsit amore: sic etiam Maria coniunctissimo & arctissimo amore Deo coniuncta fuit. Cùm ergo (vt ad thema propius accedamus) Eua sine coruptione criminis primordialis, sed cum originali sanctitate, & iustitia à Deo creata fuerit: sic Mariam in iustitia, & sanctitate, maioriquè gratia conceptam fuisse ratum esse debet.

B. Brigita lib. reuel. cap. 35.

Insuper quartum, quod Mariam sanctissimam mystice figurabat, terra illa sacerdotalis fuit, de qua Genes. 47. agitur. Cùm enim vniuersa Aegypti Regio, Pharaonis seruitio, addicta, tributariaque fuisset, sola sacerdotalis terra ab omni iugo, tributo, ac vectigali libera præsignatur. Ex quo mysticè mysteriũ, de quo agimus, explanatur. Cùm enim vniuersus mũdus (qui per Aegyptum designatur) propter originalis maculæ crimen, Diabolo, qui mysticè per Pharaonem exprimitur, subiectus maneret, magni Ioseph (Redemptoris scilicet mundi) opera factum est, vt sola sacerdotalis terra, quæ est Maria, ex qua *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, prodijt, ab hoc iugo immunis, & libera permaneret. Vnde ex hac figura Hieronymianus Pintus in cap. 43. Ezech. & Franciscanus Carthagena homil. 7. Sanctissimæ Mariæ omnimodam puritatem exceperunt.

Genes. 47

Pintus Carthag.

Præ-

Præterea quis in dubium reuocabit, quin Arca Testamenti, seu testimonij, olim ineffabili habita veneratione, Mariam nostram descripserit? Vnde eam Ecclesiæ cantus Arcam appellat, dicens:

Beata Mater munere,
Cuius supernus artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.

Testamenti autem Arcam optimus artifex Moises ex lignis Sethim imputribilibus accuratè compegit: est autem *Sethim* incredibilis pulchritudinis arbor, teste Hierony. Isai. 41. in illud: *Dabo in solitudine Cedrum, & spinam.* Eam præterea intus, & extrinsecus auro præstantissimo affabrè texit, & muniuit: quod dixit Paulus ad Hebr. 9. *Circunteclam ex omni parte auro.* Quod eo fine factũ est, vt vnã continentẽ manna cæleste, & virgã Aaron in se clauderet. Quis ergo inde nõ eliciat Deiparã Sanctissimã, quæ dignũ Dei habitaculũ effici meruit, ipsumq; manna verũ, qui est Christus, proprijs claudere visceribus, sũmi profectò artificis Dei nutu, & sapiẽtia sic cõditã, vt eã nullatenus vlla peccati putredo, caries, aut corruptio inuaderet? nul lũ affligeret crimẽ, & nullũ defædaret turpiter gestũ? Itẽ Arcam Domini fecit Beseleel, vt traditur Exod. 37. *Be* significat, *in*, *Sel* denotat *Vmbrã*, *El*, *Deum*: Vnde *Beseleel* idẽ est, quòd *in vmbra Dei.* Maria ergo, quæ est Arca Dei, *in vmbra Dei*, ideſt, in eius gratia, fuit fabrefacta, & cõcepta. Rursus Iordanis aquas Ios. 3. hanc in Arcã vrbanitate vsas fuisse cognoscimus, vt trãseũte ipsa, sui impetus fluxũ retrocedẽtes reprimerent, quo nõ obscurè indicatur, originalis peccati aquas, ab Adamo per omnes Virginis progenitores defluẽtes, cũ ad Marię trãsitũ, seu Cõceptionẽ peruenisset, eã sic-

Isai. 41.

Ad Hebr. 9.

co pede trāsire permisisse. Insuper eadē Arca Testamēti, vt primi Reg. c. 5. narrat historia, vt Dagonis Idolū in altari, in quo ipsa aderat, simul collocaretur, ferre non potuit: sed illud à se, pedibus, & capite trūcum abiecit. Quod etiam Mariānæ Arcæ sanctimoniam declarat, in cuius conspectu originale crimen stare non potuit, sed omnino ad eam accedere capite truncum prohibitum fuisse, vt & sic verificaretur illud: *Ipsa conteret caput tuum*, toties repetitum.

Sextum præterea, quod in veteris Testamenti Religione Mariam Christiferam indicauit, *Vellus Gedeonis* fuit. Nam præterquam quòd id ex Marianis litanijs desumitur, vbi ipsa *Vellus Gedeonis* dicitur, id antea tradidit sanctus Ephrem tom. 3. pag. 207. serm. de B. Virgin. Quod etiam indicarunt Hieronymus. in Epitaphio Paulæ, Chrysologus ser. 3. de Annunciatione, Bernardus ser. 2. sup. Missus est, & Ecclesia in Antiphona illa: *Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ, sicut pluuiam vellus descendisti.* Quid ergo Gedeonicum vellus habuit, vnde Mariam mysticè præsignaret? Multa certè. Primò quidē, sicut illud Israeliticæ libertatis per Gedeonem faciendæ signum fuit; sic Maria, dum Redemptorem mundi genuit, libertatis totius mundi manifesta signa tulit. Secundò, Deigenitricis virginitatem adumbrasse, ignorat nullus. Tandem tertiò, (quod nostro instituto cōducēs est) quemadmodū tota terra siccitate arida, & sicca manente, Gedeonicum vellus roridum, & spongiæ instar madidum fuit repertum. Sic per hoc indicatur clarè, vniuerso humano genere peccati ariditate consumpto, solam Mariam rore cæsti infuso, nunquam alicuius peccati originalis, actualisue siccitatem persensisse. Vnde hac similitu-

Ephrem. to. 3. pag. 207.
Hieron. Chrysolog. Bernard.

Digitized by Google

dine ad Marianam puritatem confirmãdam, vsi sunt Sophronius de Assumptione Mariæ, & Giselbertus in lib. de Altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ, siue alius antiquior; apud quẽ hæc sunt verba: *Vellus istud, scilicet Gedeonis, Sacratissimæ Virginis corpus est sine omni carnis macula. Cum enim vellus sit in corpore, corporis nescit passionem: sic vere spiritus Sancti, vellus, ideſt, corpus virginale complutum, nullum carnalis vitij sensit contactũ.* Sophron. Giselber.

Quæ verba hoc solo titulo nobis veneranda essent, quia à Centuriatoribus irridentur, apud quos nihil nisi fanaticum, fabulosum, & chimæricum locum habet.

Septimum item, quod Dei Matris purissimam Sãctitatem præfagit, Salomonicus thronus est, vt eleganter Petrus Damianus ser. de Mariæ Natiuitate, & alij comprobarunt. Fuit autem hic thronus adeo insigne opus, vt omnium oculos in sui raperet admirationem, eboris quidem materia fabrefactus, auro ful uo nimis vestitus, nec est tale opus in vniuersis regnis repertum. Cùm igitur eboris materia, vt iam supra cap. 8. ostendi, Deiparæ sanctitatem designet, fulsumque aurum ardentem ipsius charitatem, extinctam nunquam, adumbret: manifestè inferat deuotus Theologus Christi Domini thronum, omnigena puritate, & sanctitate illibatum permansisse. Et sicut in Salomonico throno, nullus nisi Salomon sedere fuit permissus: ita in candidissimæ Mariæ animã solum verum Salomonem, Sapientiam Dei patris sedisse, illumque solum occupasse, maiestateque impleuisse credatur, & ita nec per momentum quidem in eo Diabolum per crimen originale requieuisse, existimetur. Pet. Dam.

Eodem quoque pertinet, vt innumeri tradidere,

Salomonici templi maiestas; tanta enim erat templi illius magnificētia, tātaquè solicitudine, & sumptuositate constructum, tantaquè sapientia, & solertia intus, & exteriùs dispositum, & exornatum, vt omnibus etiam ethnicis admirationem, & venerationem afferret. Fuit autem templum hoc Dominicæ Parentis expressissima effigies, quod ambigit nemo. Vt ergo figuratum figuræ cohæreat, sicut in illo templo, Salomonis diuitiæ, quasi exhaustæ videntur: sic in Mariæ constructione, innumeras Deum diuitias consumpsisse (liceat loqui hoc modo) innumerisquè eam titulis ditasse credamus. Et sicut templum illud Salomonis sapientiam demonstrauit; sic altissima Dei Mater, Altissimi, veriquè Salomonis sapientiam demonstret, dum nihil in ea, quod oculos Deitatis offendat, permiserit. Et sicut templum omnibus adeo veneratione, & reuerentia fuit dignum, vt nihil de eo imperfectum, aut minus rectè fabrefactum dixerint: sic nos de semper Virgine, semper sancta, iusta, recta, & optima prædicemus. Insuper quemadmodum in hoc Salomonico templo *malleus non est auditus*: sic in Mariæ Conceptu, originalis peccati, qui verè malleus est, nullus ictus, aut percussio audiatur.

Nec grauabor sanè Deiparæ figuras alias, quæ docti aliqui recensuere, & propositio nostro conducunt, numerare breuiter. Primò enim Arca Noetica ab aquarum inundatione immunis, Deiparæ Conceptionem à peccati originalis diluuio præseruatam exprimebat. Vnde in officio, quo Immaculata Mariæ Conceptio à Seraphica Familia celebratur, sic dicitur: *Factum est diluuium peccati super omnem terram, operti què sunt omnes montes excelsi sanctorum; Arca verò Deise-*

ra eleuata est in sublime, & ferebatur super aquas. Secundò columba illa ex arca egrediens Genes. 8. nullibi, neque in luto, cadaueribus, immunditie, aut diluuij aquis, pedem figens, ad Patriarchã, cum ramo virẽtis oliuæ reuertens; Mariam peccati omnis experte, ad Deum cum gratia innocentiæ redeuntem, præsignabat. Tertiò Iobianus ille seruus, qui solus calamitatem, qua omnes Iobi filij perierunt, effugit, Virginem Mariam, cõmunem originalis criminis calamitatem effugientem, designabat. Teste enim Gregorio in primo lib. sup. cap. 16. Iob, ruina hæc peccati originalis calamitatem præfigurauit. Quartò, Turris Dauidica, ex qua mille clypei pendebant Cantic. 4 Christiferæ celsitudinem, & Dei protectionem, qua ab omni libera fuit contagio, indicabat. Quintò fortis illa Iael tempora Sisaræ clauo confodiens, & insignis Iudith Holofernis caput viriliter amputans, Deiparam Mariam serpentinum caput conterentem præsagiebant. Alia prætereo, quia hæc insigniora sunt.

*Gene*s. 8.

Gregor.

Cantic. 4.

Ex alijs epithetis Dei Matri in sacra pagina concessis, eius immunitas roboratur. Caput XI.

INfinita prope sunt, eaquè præclara, quæ de Virgine Matre in sacris literis vtriusque Testamenti prædicãtur. Quia tamen longissimum esset singula persequi, ab hoc immenso labore (etsi non inutili) abstinendum iudico. Vnũ tamen declarare nõ omittam; locũ scilicet Ecclesiast. 24. in quo octo de Maria prædi-

Eccl. 24.

prædicta encomia discimus, quorum singula si persequemur, facilè ex quolibet immunitatem intentam comprobabimus. Huius verò loci hæc sunt verba: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in Monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Hiericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis: sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi.* Hæc verò de Maria concinnè enunciari profert Ecclesia, dum in eius festiuitatibus hæc inter alia de ipsa canit. Admittunt Patres, dum his eam compellant nominibus, & ratio dicta, cum ea, quæ per illa declarātur Mariæ ad amussim conuenire cognoscit. Singula ergo debita ponderatione percurramus.

Primo igitur Maria, quasi *Cedrus Libani* prædicatur, qui sicut cedrus arbores cæteras, celsitudine, rectitudine, bono odore, & incorruptibilitate antecedit, sic Maria creaturas omnes celsitudine superat, quia *exaltata est super choros Angelorum*: rectitudine excedit, quia *sanctior est vniuersis Seraphinis, & cæteris omnibus superis*, vt dixit Ephrem in oratione de laudibus virginis. Bono odore præcellit, quia *nulli culpæ fuit affinis*, vt dixit Germanus Constantinopolit. de adoratione Zonæ cap. 1. incorruptibilitate quoque superior exitit, quia *purior solis radijs, & splendoribus* fuit, vt dixit Ephrem citatus. Quomodo ergo cum talibus prærogatiuis, pessimum originale crimen locum habere potuit? Accedit etiam cedros ea innata virtute pollere, vt turpissimos serpentes, spurcissimosque vermes, longissimè à se abijciant. Vt ergo Mariæ nostra originalis serpentis, & spurcissimi vermis effugatrix declaretur, quasi *Cedrus libani* prædicatur.

Ephrē in orat. de laud Virg. German. Constant.

Ad idem quoque valet, quod dicitur: *Quasi cypressus*

sus in Monte Sion. Primò enim cypressus à radice ad summitatem recto semper stipite procedit, nũquam obliqua via progrediens: vnde aliqui cyparissum à verbo græco vocat, vt Virgilius Aeneid. 3. dicens:

Aereæ quercus, & coniferæ cypariſsi. *Virg. Aeneid. 3.*

Hinc què eius maxima clarescit pulchritudo, de qua Alciatus Emblem. 198. *Alciatus Emb. 198*

Pulchra coma est, pulchro, digestæquè ordine frondes.

Secundò cypressus rectissima arbor cælum vsque pertingens ab omnibus dignoscitur. Quod Ouidius dixit:

Sidereum gracili spectare cacumine cælum.

Tertiò quoque maximè eam illustrat, quod D. Ambros. in Psal. 118. ser. 4. dixerit: *Solam hanc arborem vetus nunquam suo honore dispoliat: sola nunquam veteri exuitur amictu.* Ac etiam quartò quod cypressus mortis symbolum fuerit, vnde in sepulchris poni consueuit, de quo illud: *Amb. sup Psa. 118. serm. 4.*

Funesta est arbor procerum monumenta cypressus.

Quę quatuor nimis ad propositum adaptari possunt. Cùm enim Maria cypressus sit, à radice, ideſt, *à sui Conceptione*, vsque ad summitatem, *Assumptionem* scilicet, semper recta via, ideſt nullo peccato deuiante animam, processit: sed in hac vita persistens cælestis vitæ consortia habuit; & eam nunquam Aquilonaris ventus peccati *suo honore* dispoliauit: sed semper in gratia & amicitia Dei peregregia viriditate, permansit integra, adeo vt & in Conceptione etiã arbor funesta Diabolo, inferis, & peccatis fuerit.

Item tertiò Dominica Virgo palmæ comparatur, dum dicitur: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Quod epithetum, mysterium, quod quærimus pulchrè demonstrat.

monſtrat. Palma enim fęlicitatis diurnæ ſymbolum exiſtit. Vnde Iob 29. ad ſuam commendandam fælicitatem dicebat: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Merito ergo diuturna illa Deigenitricis fælicitas, quæ nunquam vllius peccati incurſu deturbata fuit, palmæ accommodatur. Rurſus palma omnimodæ victoriæ effigiem repræſentat: quare Maria congruè ſatis palma dicitur, cùm nunquam Diaboli, aut peccati ditioni ſubdita manſerit, ſed ſemper victrix, & ſuperior extitit. Ad quod ſignificandum Cantic. 7. de ea dicitur: *Statura tua aſsimilata*
Cantic. 7. *eſt palmæ.* Id eſt, quacunque ex parte te, ſponſa, conſpicio, tota mihi palma quædam victrix videris. Ad quod accedit, quòd & palmæ folia inſtar gladij ſunt; quo fit, vt eam etiam ob cauſam conueniat Virgini palmæ nomen, ob multiplicemquè victoriam: omnia namque huius virgineæ palmæ folia, hoc eſt, opera omnia, inſtar acutiſsimi gladij Dæmonem perimebant, vt ſemper verum eſſet illud, *ipſa conteret caput tuum.* Inſuper tertiò meritò palma Mariam adūbrat, quia *palma*, teſte Ambroſio in citatum locum Canti. *virens ſemper manet, conſeruatione, & diuturnitate.* Quod Mariæ nunquam amiſsam ſanctitatem, & gratiam denotat. Accedit quartò, quod *palma eſt ſolis amantiſ-*
Plin. lib. 17. c. 44. *ſima*, vt dixit Plinius lib. 17. cap. 44. Per hoc verò indicatur inter puras omnes creaturas, Mariam ſolis iuſtitię dilectiſsimam fuiſſe; ac proinde, cùm amor Dei bonitatem in re producat amata, iuxta Theologicam doctrinam, maxima dona amoris ſupra creaturas cęteras, in Maria reperta dicemus. Quod verificari nequit, niſi eam peccato omni caruiſſe aſſeramus. Hanc verò palmę excellentiam ſupra arbores cunctas, aliaquè encomia, quę Marię quoque deſeruiunt,

ſeruiunt: Vuilleranus, præclarus Poeta, ſic cecinit. *Vuilleranus.*

Robur multiplicans, ſolijs, fructuquè redundans
Arboribus reliquis, quæ dilatantur inimis,
Et facie præſtat, ſigna, & victricia geſtat.

Prætereo alia, quæ curioſi inueſtigare poſſint.

Quartò, Maria beatiſsima Roſa, *ſeu plantatio roſæ in Hierico*, nominatur. Quo eam nomine, nō ſolùm monachi, & mulierculæ vocant, vt medicus quidam, quem non nomino, audaciter dixit, ſed & ſapiētiſsimi, & prudentiſsimi viri. Sic etiam nos Carmelitæ eam compellamus, dum dicimus: *Carmelitæ.*

O Maria flos Virginum,
Velut Roſa, velut lilium
Funde preces ad filium, &c.

Ex hoc verò perpulchro Roſæ epitheto appoſitè, & excellenter Mariæ ſanctitudinem cōfirmabimus. Primò enim nihil viſui iucundius, olfactui ſuauius, tactuique charius roſa; exiſtimo. Ea eſt, vt ex Achille Tatio deſumo: *Terræ ornamentum, plantarū decus, oculus Tatius. florū, pulchritudo fulgurans, amorē ſpirans.* Vnde Anacreō poſtquam Roſam pulchrifoliam dixit, ſic alloquitur: *Achilles Anacreō*

Roſa, honor decuſquè florum,
Roſa, cura, amorquè veris,
Roſa cœlitum voluptas,
Roſa flos, odorquè Diuūm
Hominum Roſa eſt voluptas
Decus illa gratiarum,
Roſa opus, laborquè vatum, &c.

Si autē hæc homines de terrea, citoquè tranſeūtē Roſa decernūt, quid de illa in ęternū duratura Roſa, quæ Maria eſt, affirmabimus? Si Roſa pulchrū, ſuauēquè ſpirat odorē, cur Mariā fœtidū, & execrabilē originalis immūditiei odorem aliquādo ſpiraſſe credemus?

Nec mysterio carere existimo, quòd non Rosa absolutè; sed *Plantatio Rosæ* in loco, quem versamur, appelletur Maria. Vocatur namque *Plantatio Rosæ*, id est, primò exoriens, pullulansque rosa. Etsi enim semper Rosa fragrantissimum è se odorem effundat, eius tamen odor, quando recens est, suauiùs afficit nares, iucundiusque olfactui oblectamentum præstat. Sic Maria semper *Plantatio Rosæ* fuit, quia nunquam suæ sanctitatis, & gratiæ remissum efflauit odorem: sed fragrantissimum, & iucundissimum semper. Poetica fabula hîc congruit, Rosa enim, dicunt, primo mane candida fuit, rubra in meridie; ad vesperamque viridis. Sic Maria in primo mane conceptus, candidissima, quia sine nigredine peccati prodijt: ad meridiem, cùm Deum hominem concepit, ardore caritatis rubicunda: sed in morte, quę est vespera, nouæ reformationis viriditate pulcherrima. Accinit egregiè Basilius hom. 5. in Exam. affirmans: in prima sui creatione Rosam spinis caruisse. *Rosa*, inquit, *tunc spinis carebat.* De nostra sic Rosa Mariana sentiamus, vt in primo sui conceptu peccati spinis priuatam fuisse putemus, vt semper de illa dicere possimus, quod sit Rosa, seu *lilium inter spinas.*

Basil. hom. 5. in Exã.

Iam quintum Mariæ cognomen est: *Quasi Oliua speciosa.* Est autem Oliua præclarum Mariannæ sanctitatis præsagium, propter multa, quæ de ea dicuntur, quæ quasi innata Deigenitrici conueniunt. Primò, quia Olea perpetuò viret, nec decidit eius folium, vt notauit Theodoretus in illud Psalm. 127. *Nouellæ oliuarum.* Secundò, quia olea vllius alterius arboris insitionem non patitur, vt ex Rabbi Kimhi notauit Delrius 2. part. Adag p. 121. Tertiò, quia Olea pacis symbolum est; vnde columba illa Genes. 8. à Noe è

Theod. in Psal. 127. *Rab. Kimhi.* *Delrius.* *Genes. 8.*

arca

ærea missa, oliuæ ramum rediens gestauit, vt pacem terræ præsagiret. Hinc quoque oleum oliuæ germē *asperum nihil admittit*, vt inquit Plutarchus in libello de causis naturalibus c. 12. Et *ne ictum quidem edit sonum*, vt Plato in Theæteto dixit: quare homines placido, & leni ingenio, *oleo tranquilliores* vocamus. Quartò præterea, quia non modò oleum, quod est fructus oleæ, nitorem iugiter seruat, sed & alia nitidat, splēdescere faciens; vnde pro cutis splendore apud Plautum in Truculento sumitur.

Plutarchus.

Plato.

Plautus.

Feruide vt tota floret, vt oleum nitidè nitet.

Quintò denique oliua perpetuæ sanctitatis symbolū est: ea enim est huius ligni natura, vt nec caries, nec tempestas, aut vetustas labefactet. Vnde duo sanctissimi Patres, Elias noster, & Enoch (quos Tertullianus *æternitatis candidatos* appellauit) dicuntur Apoc. 11. *duæ oliuæ*. Ex his verò oliuæ excellentijs, dignissimam Christiferæ Matris puritatem inferemus. Si enim oliua est, perpetuò virens iustificante gratia, & ab ea nunquam decidens æstimetur: sed tota gratiosa cùm sit, nihil quod grati am euertat, in ipsa persistemus. A st semper Deo pacifica putetur, nullumquè per originale crimen Deo bellum gesisse. Quin sicut eius filius *oleum effusum* est per merita nitidans cūcta, sic & Mariæ olei splendorem non negantes, perpetuam, & illibatam à Conceptione sanctitatem conseruasse tueamur.

Apoc. 11

Sextò quoque Augustissima Maria *Platanus exaltata iuxta aquas* dicitur. In quo intentum nostrum dilucidè demonstratur, Platanus enim nobilissima arbor est, extensæ nimis, & eximiæ vmbræ (quàm præstat) gratia, de quo Petronius Arbiter;

Petronius Arbiter.

Nobilis æstivas Platanus diffuderat vmbras.

Cicero 2. de Oratore.

Et Cicero 2. de Oratore: *Platanus ad opacandum locū patulis diffusa ramis*. Est autem Platani tegumentum ceteberrimum, in æstu enim sic soli obuium se præstat, vt nullatenus per eius folia transire permittat. In hieme verò sic se gerit, vt rigidum ventum impediat, & solem terram vsque venire sinat. Ob hoc fortè antiquis æstimabilis nimis hæc arbor fuit, ita vt Plinio teste lib 12. cap. 1. rigaretur vino. Iure ergo Maria Platanus dicitur, quæ solis iustitiæ rigorem erga creaturas, sui patrocinij fauore mitigat, & defendit, quod sciens Ecclesia sic canit:

Plin. lib. 12. c. 1.

Ecclesia in Hymno.

Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Ex hac quoque Platani appellatione Mariæ sanctitatem plenissimam cōprobabimus. Si enim ipsa hominum patrocinium, protectionemquè suscipit, peccatorumquè causas apud Deum defendit: meritò ergo illam omni labe caruisse peccati prædicabimus. Hanc verò illationem ex eo efficacem puto, quia simili argumentationis modo vsus est Paulus ad Heb. 7. ad Christi sanctitatem comprobādum: *semper*, inquit, *viuens ad interpellandum pro nobis*. Cuius rationem postea subiūgit, dicens: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Ac si diceret, Christi munus est pro peccatoribus exorare, illisquè patrocinium ferre: oportet ergo nullum ipsum contraxisse peccatum. Similiter pro Maria argumentari possumus. Ipsa semper protectrix, & adiutrix nostra est apud Deum: oportet ergo omni genere peccati immunem extitisse, alias daremus argumentum Pauli inefficaciter probare. Quòd si discrimen inter Christum, & Mariam constituas, quòd ille Deus sit, Maria verò humani generis solùm filia,

Ad Hebr. 7.

ideo-

Ideoquè hic Platanus *iuxta aquas* nuncupetur, quia aquæ in sacræ Scripturæ sensu populos, seu homines significant. Diserimen admitto: sed hinc infero, Christo per naturā, Mariæ verò per gratiam hoc priuilegium conuenire. Nec notare prætermittam, quod docti quidam aduerterunt, Platanum sic iuxta aquarum fluenta oriri, succrescereque, vt tamen nullatenus in fòlijs vel leuem guttam aquæ admittat, sed globi instar conglomerata dilabatur. Sic ergo Mariæ nostræ priuilegium hoc sentiamus Maria iuxta aquas generis humani peccati labe coinquinati, fuit exorta: nullam tamen, neque minimam aquæ guttulam, ideſt, peccati maculam in se consistentem admisit, sed foris fortiter propulsauit.

Duo tandem posteriora, quæ de Maria nostra, sapiens Ecclesiasticus cognomina protulit, hæc sunt: *Cinnamomum, & Balsamum aromatizans.* Ex quibus etiam pulchrè Mariam Immaculatissimam fuisse comprobabimus. De Cinnamomo namque mira scribit Plinius lib. 12. capit. 19. In primis in hac arbore singularem illam, totoquè orbe celeberrimam Phœnicem auem, nidum sibi constituere adstruit. Insuper Vespasianum Imperatorem, coronam auream Cinnamomo plenam pacis Deæ dicasse, capitique imposuisse, dicit. Adde etiam, huius arboris ramos non nisi sacerdotis manibus secari posse, ex quibus partem vnam Dijs, duas verò alius sacerdoti, & populo, offerri solitas esse, inquit ipse Plinius. Quæ singula singulariter, & mirè Marianam puritatem commendant. Si enim in ea cùm Cinnamomum sit, auis illa vnica, filius scilicet æterni Patris, nidum, vt moraretur, fecit: quis in ea, aut per instās, Diabolicū accipitrem, & vulturem habitationem fecisse velit?

Eccleſiaſti.

Plin. lib. 12 c. 19.

Quæ enim participatio Christi ad Belial, aut quæ cõuentio lucis ad tenebras? Si solùm Deæ pacis dicatam hanc arborem nosceimus, cur vnquam inter eam, & Deum dissidium, & certamen fuisse admittemus? Si denique arboris huius sectissæ prima pars Dijs, vt gratissima, offerebatur, cur prima pars Mariæ (Conceptionem dico) Diabolo dicata esse dicetur? Quod fateri necesse est, si illam originali crimine infectam esse dixerimus. Addam libenter, quæ ex Gregorio Nisseno attulit Delrius in cap. 4. Cantic. sect. 1. asserere aliquos Cinnamomum naturam talem habere, quæ *perimat genitã ex aliqua corruptione*. Quanto magis si Maria Cinnamomum est, peccati corruptionem in se perimet?

Gregor. Nissen. Delrius.

Redolet iam vltimum Marianum cognomen, *balsamum aromatizans*, adeoquè suaui odore piorum afficit nares, vt inde nihil nisi aromaticum, nihil nisi odoriferum, nihil nisi olfactui suaue, Mariam redolere putemus. Si nullus vnquam Balsamum fœtidum, fœtoreuè, aut malo odore affectum æstimauit, de quo Virgilius 2. Georgic.

Virgil. 2. Georgic.

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaquè, & baccas semper frondentis Acanthi?

Cur & minus de Maria sentiemus? Si autem illam peccati originalis fœditate, vel pro indiuiso instanti intinctam esse volumus, ab ea Deum faciem suam, vt à pessimum pro tunc odorem emittente, auertisse fatebimur, atque ita *Balsamum aromatizans* non erit. Accedit secundò, quòd cùm balsamum à corruptione præseruet, Maria, quę Balsamum est, melius multò à criminis corruptela libera extabit. Insuper tertiò, quòd de Opobalsámo, ideſt balsami succo (græcè enim *opos* succum significat) plures docent, intentũ

corro-

corroborat; asserunt namque ipsius summam probationem esse, vt etiam in veste cadens maculas non efficiat. Vt ergo hæc congruenter, aptè, & commodè de Deipara prædicentur, fateamur obsecro, nullas Mariæ humanam naturam peccati sordidas maculas vnquam contraxisse.

Ex verbis Angelicis ad Mariam Luc. 1 eius immunitas ab originali maxime confirmatur. Caput XII.

Luc. 1.

LOngè, latequè ex sacrę Scripturę veteris testimonijs assumptum non inefficaciter collegi, vt inde verificari possit, quod semel dixi, veritatem, quam probare assumpsi, ab ipso mundi exordio indicatã fuisse. Iam verò ex nouo testamento locum vnum selegi, qui vnus pro mille sufficiat, vt propositam veritatem corroboret, is autem ex Angeli verbis Mariam Virginem salutantis est depromptus. *Ingressus Angelus ad eam* (ait sacer textus) dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; ex his ergo verbis, eadem Deigenitrice faciente, eius sanctimoniam, & originalis culpæ carentiam dilucidare conabor. Quod ante me prælari Theologi fecerunt, præsertim Gregorius Valentinus in 3. part. disp. 2. q. 1. puncto 2. & ante illum Franciscus Turrianus, in epist. ad Iacobum Amiotum. Quin adeò efficax testimonium hoc ad hanc veritatem comprobandam doctis quibusdam Theologis reputatum fuit, vt hoc anno, me præsente in isto Almo Complutẽsi Lyceo, his verbis eam publicè defensarint: *Quam veritatem* (scilicet immunitatem Mariæ ab originali) *ingemi-*

Valentia.

Turrian.

Ecclesia

Ecclesiæ vlausu conclamatam, omnes firmant, & protestantur fideles si intentione minimè intorta, oratione Angelica eam salutantes, Aue gratia plena, iterum resonent, & sæpius. Hæc pij, & docti Theologi.

Nos iam singula salutationis Angelicæ verba pōderemus. Et primò illud *Aue* ponderatione dignum est. Nullus enim (quod sciam) ante Virginem Beatissimam simili salutatione decoratus fuit. Rex quidem Artaxerxes à salutātibus sic compellatus fuit Neem. 2. *Rex in æternum viue.* Absalon 2. Reg. 16. salutatur sic: *Salue Rex.* Ruth quoque cap. 3. hoc modo: *Benedicat tibi Dominus.* Et Tobias, cap. 5. *Gaudium tibi sit, ò senex.* Cæterum Maria hoc Angelico salutationis decoratur modo, *Aue Maria.* Quod fortè Origenes, & Ambrosius in hunc locum indicarunt, dum hanc salutationem *Benedictionis nouam formulam* appellant. Sed cur, obsecro, Maria compellatur: *Aue?* Vt ostendatur certè, *Væ*, & calamitatem Euę superbia introductam à Virgine penitus abfuisse. *Aue* namque Euæ nomen mutatum sonat, quod indicat Ecclesia dum canit:

Neem 2. 2. Reg. 16 Ruth 3. Tobias, cap. 5.

Ecclesia.

Sumens illud Aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans Euæ nomen.

Rursus, vt egregius Augustiniani ordinis Theologus Aegidius hic notauit, *Aue* deriuatur ab *A*, quod est *sine*, & ab *Ve*, quod est interiectio dolentis propter aliquod malum, & miseriam. Vt ergo Angelus significaret nullum, nec minimum originale, aut actuale peccatum fuisse in Maria, *Aue* dixit, ideſt (vt non ignobilis huius loci commentator dixit) *Aue ab omni, vel tenuissimo peccato originali, etiam prorsus immunis.*

Aegidius

Aue

Aue tota pulchra, tota immaculata, tota gratia plena.

Expendam ſecundò verba, *Gratia plena*. Quæ priuilegium hoc immunitatis ab originali Mariæ non defuiſſe, verè exprimunt. Quod multiplici ter oſtendam, primò quidem ex ipſis verbis. Si enim Angelus aliquibus eam verbis ab omni tam actuali, quàm originali crimine exemptam eſſe, voluiſſet declarare, nullis id meliſis, quam his, *Gratia plena*, aſſequi poſſet. Tum, quia participium Græcum, quod, *Gratia plena*, interpres vulgatus transfert, ſine aliquo præuio articulo poſitum eſt, quod inſolitum apud Græcos eſſe, notauit Turrianus iam allatus. Ex quo proculdubio manifeſtè liquet inſolitam eſſe gratiæ plenitudinem Matris concoſſum, & ſolis verbis explicatam. Tum ſi conſtans ex *Turrian.*

[illegible] vi verbi, *Gratia plena*, quod idem ſonat, ac [illegible] ſit plenitudo Dei gratiæ donorumque ineffabilium. Quid de ſa prætiquam ſanctiſſimam Matrem gratiâ Dei ob- [illegible] ſi manifeſtius? Accedit tertia, quòd eodem aliquibus locis literæ plenitudinem gratiæ Spiritus ſancti tribuant, Stephano Actor. 6. Ioannes Zacharias, & Elisabetha corpore & anima ex doctrina tamen egregij Aquinatis Doctoris, quæ ſupra tract. 10. plenitudo gratiæ ſanctorum ex munere, & officio, ad quod electi ſunt, menſurari debet, ſic enim de Stephano dicit, quòd eſſet *plenus gratia*, *quia habebat gratiam ſufficientem adhoc, quòd eſſet idoneus miniſter, & teſtis Dei.* Plenitudo ergo ſanctiſſimæ Matris ex eius altiſſima dignitate penſitari debet. Cùm igitur Mariana Maternitas omnem quamcunque hominibus poſsibilem dignitatem exſuperet: plenitudo etiam gratiæ ipſius, omnem puro Adę filio communicabilem dignitatem excedet, atq; ita priuilegium immunitatis ab

Act. 6. & 7. Act 9. Luc. 1. S. Tho. 3. p. q. 7. ar. 10.

originali claudet. Hanc igitur gratiæ plenitudinem
Idē 3. p. q. 30. art. 4. Angelus expresit, dum dixit: *Ave gratia plena.* Vnde Angelicus Thomas 3. part. quæst 30. art. 4. inquit: *In hac salutatione præmisit Angelus idoneitatem Virginis ad conceptum, dicens: Gratia plena.*

Secundò quoque ex his Angelicis sermonibus propositam nobis veritatem elici, mihi persuasum est, nam ex Patribus plures ex illis similem argumentationem effecere. Alij clarè immunitatem ab originali Mariæ concedentes, alij verò eam plenitudinem gratiæ ipsi tribuentes, vt facili inde coniectura conijci liceat, nostræ sententiæ adstipulatores se gerere. [redacted]
Cyprian. dus Cyprianus, lib. de Christi Natiuitate dicens: *Incendium originale in Mariæ Conceptione extinctum est.* Cuius rationem postea, quasi subdens ait: *Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur &c.* Quibus verbis ad illa Angeli, *Ave gratia plena*, allusionem fieri non dubites.
Augst. Tertius est Augustinus, vt fertur serm. 11. in natali Domini, sic dicens: *Cùm dixit Angelus, Ave gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Quibus similia
Fulgētius verba in Fulgentio Augustini discipulo in sermone

de laudibus Virginis reperio. Sit quartus Angelicus Doctor Sanctus Thomas, qui quamuis ab aduersarijs nostris, omnino nobis contrarius reputetur, in huius tamen Angelicæ salutationis expositione † existimans fortè ad rectam intelligentiam eius necessarium, hæc dixit de Maria: *Purissima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Habes iam è patribus plures, qui ex Angelico sermone, *Aue gratia plena*, nostrã docuere sententiam, ita clarè, vt clarius nihil desiderem. Nec mirum hos Patres verba, *Gratia plena*, ad immunitatem, etiam ab originali extẽdisse, quia, vt dixit Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 16. *Cùm Dominus in priuilegio suo, quod ei mittit per Angelum, dicat, Gratia plena, nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum.* Quod etiam significauit Athanasius in Euangelium de Incarnat. affirmans, *hanc gratiæ plenitudinem non esse temporariam, sed per omnia tempora.*

S. Thom.

† (secundum aliquos)

Alij verò Patres, qui ex his verbis, *Gratia plena*, plenitudinem omnem gratiarũ, & donorum, & (vt vno verbo dicam) totius gratiæ farraginem, & supellectilem Mariæ concessam esse fatentur, plurimi sunt. Specialiter Athanasius in sermone de Deipara sic loquitur: *Factum est, vt gratia plena appellata sis, vt pote, quæ omni gratia abundares.* Et inferius: *Spiritus sanctus in Virgine descendit cum omnibus virtutibus essentialibus induens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco Gratia plena cognominata est, eò quòd ab impletione Spiritus sancti omnibus gratijs abũdaret.* Deinde Petrus Chrysologus, seu Rauennas in serm. 2. de Annuntiatione: *Gratia plena*, inquit, *quia in alijs gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo.* Et serm. 3. *Gratia plena, quia singulis gratia, sed est largita per partes, Mariæ verò simul se tota dedit gratia*

Athanasius.

Pet. Chrysologus.

Idem serm. 3.

Sophronius in Epist.de Assump. Mariæ ad Paulam.

Beda.

tiæ plenitudo, omnes de plenitudine eius accepimus. Sophronius quoque in Epistola de Assumptione Mariæ ad Paulam, & Eustochium: *Etsi in sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plenitudo venit, quamquam aliter.* Beda item: *Bene gratia plena, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur.*

Thomas Beauxamis 1.to. Euangel. harm.

Nec desunt etiam grauissimi huius loci expositores, qui ita hæc Angeli verba intelligenda esse censeant, & præter adductos, celeberrimum, & sapientissimum Carmelitam Thomã Beauxamis nõ omittam, qui tom. 1. Euãgelicæ Harmoniæ eruditè sic dixit: *Non sine gratia fuit Rebecca, Rachel, Delbora, Susanna, Iudith, vt illis conferrentur insolita beneficia, quanto magis Maria plena gratia erat, vt nobis Deum, & Redemptorem pareret? sed & Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, & Stephanus plenus fuisse gratia, & fortitudine legitur, quantò plenior Virgo? Nec id quidẽ ei plenitudini, quæ in Christo est, præiudicium facit. Nam & in ipso omnem diuinitatis plenitudinẽ corporaliter inhabitasse, & non ad mensuram datum esse Spiritũ, & plenitudinem omnem effusam esse credimus: non autẽ pari gradu Mariam accepisse, sed quantũ electa creatura præter vnionem cum Deo hypostaticam capax esse potest.* Hæc grauissimus Theologus, vt Mariæ dicta verba: *Gratia plena*, rectè exponerentur, dicenda esse putauit.

Bellarm.

Insuper Illustrissimus Bellarminus in compendio Doctrinæ Christianæ iussu Clement. 8. edito, explicans cap. 5. hæc verba, *Gratia plena*, dicit intelligenda esse, quia *Maria non habuit maculam originalis, aut actualis peccati.* A quo non procul abest insignis ille Poeta

Vidas.

Vidas in hymno ad Mariam:

Salue sancta parens, eadem salue innuba Virgo,
Regia progenies, genus alto à sanguine Iudæ,

Digitized by Google

Cui pater omnipotens pleno se numine fudit,
Gratiaquè accepta matres super extulit omnes.

Iam illud, *Dominus tecum*, expendamus. Quod mihi sonat idē, quod numquā à te Deus discesſit, in te, & operibus, & actibus tuis, *Dominus tecū*. Quando mortua, quando viuens, quando nata, quando cōcepta, *Dominus tecū*: vel, vt inquit Auguſt. ſerm. 2. de Annūt. *Tecū Dominus in corde, tecū in ventre, tecū in vtero, tecū in auxilio.* Ideſt, numquā ſine illo fuiſti, nec leuiter ab eo per quodcumque crimen actuale, vel originale abſceſſiſti. Vnde Franco Abbas tom. 6. de gratia ſic ſcribit: *Dominus tecum eſt, ò Virgo, non generali tantùm benedictionis gratia, qua cum cæteris ſanctis eſt, ſed & ſingularis prærogatiua gratiæ.* Quæ mihi hanc ſingularem immunitatis ab originali gratiam ſubindicant.

Auguſt. ſerm. 2. de Annunt.

Franc. to. 6. de gratia.

Vnde ſuperaddit Angelus, *Benedicta tu in mulieribus.* Ex quibus pluſquā clarè noſtrū adſtruā intētum. Primò, quia ita Patres aliqui ea intelligere vidētur: Sophronius nāque in Epiſtola ad Paulā iā adducta: *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus, ideſt, plus benedicta, quā omnes mulieres, ac per hoc quidquid maledictionis infuſum eſt per Euam, totum abſtulit benedictio Mariæ.* Ecce Marianū priuilegium immunitatis ab originali ex his verbis: *Benedicta tu in mulieribus*, deductū. Cui accinit perdoctus Idiota, qui in lib. Contēpla. de Virgine Maria c. 6. poſtquā illi, *ab originalis labe præſeruationē*, cōceſsit, ſic exclamat, *ò ſuperbenedicta Virgo Maria*, ideſt, in eo benedicta, quia originale crimen numquā admiſiſti. Nec grauetur lector impij hominis pia verba legere. Lutherus hic eſt à Caniſio lib. 1. capit. 8. relatus, qui poſtquam clarè Mariam originalis criminis expertem conſtituit, proſequitur, dicens: *Hoc ſibi volunt verba illa, quæ Angelus Gabriel ad eam dicebat: Benedicta tu in mulieribus. Non enim ad eam dici*

Sophronius.

Idiota lib. Cōtempl. cap. 6.

Lutherus. Caniſius lib. 1. c. 8.

poſſet: Benedicta tu, ſi aliquando maledictioni obnoxia fuiſſet. Ecce aſinam Balaam loquentem, miraquè proferentem audimus. Vtinam Catholici aliqui, in hoc, Lutheri ſectatores eſſent. Secundò quoque intentam veritatē ex his Angelicis verbis deſumi, mihi ratum eſt: quomodo enim Maria *inter omnes mulieres benedicta* dicitur, ſi aliqua mulier, Eua ſcilicet, non in originali crimine fuit concepta, Maria verò hac infami macula fuit affecta? Ratio non capit. Accedit tertiò, quòd benedictio Dei in ſacris literis à peccato liberatio dicatur: vnde Iſai. 27. apud 70. Interpretes ſic legitur. *Hæc eſt benedictio Iacob, cùm abſtulero eius peccatum.* Benedicta ergo Maria dicitur, quia omni crimine penitus fuit orbata.

Iſai. 27. Septuaginta.

Eccleſiæ, Pontificum, & Conciliorum authoritatibus noſtra roboratur ſententia. Cap. XIII.

HVcuſque iam (vtiliter vtinam) propoſitum Thema de Immaculata Virginis Conceptione, ſacræ Paginæ teſtimonijs comprobaui. Et ne eorum authoritas, quaſi parum conducens ad intentum illudatur, ex eo quod maiori ex parte in ſenſu tantùm myſtico, noſtro deſeruiat propoſito. Aduertat lector, quòd quamuis ex multiplici ſenſu ſacræ Scripturæ: literalis præcipuè, ad conuincendas veritates Theologicas, concluſioneſquè probandas, efficaciſsimus ſit: nihilominus non ideo ſenſus myſticus, quicumquè ille ſit, quaſi inefficax, & inualidus reijciendus erit. Quod ſic probatur primò, nam ſacri Euangeliſtæ, & Apoſtoli, ſæpius in ſuis ratiocinationibus eo

vſi

vsi sunt, vt patet Matth. 2. vbi illud Oseæ 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum*, quod de populo Israelitico primô literaliter fuit propheratum, de Christo Domino Euangelista dixit. Similiter Ioan capit 19 de ipso Christo, inquit: *Facta sunt hæc, vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.* Cúm tamen hæc verba literaliter de agno Paschali dicta sint Exod. 12. Præterea illud Deuteronom. 23. *Non alligabis os boui trituranti*, in mystico sensu explanat Paul. 1. ad Corinth. 9. ergo sensus spiritualis non est inutilis ad arguendum.

Matth. 2
Oseæ. 11.
Ioan. 19.
Exod. 12
Deut. 23
1. Cor. 9.

Secundò, & mihi efficacissimê, nam sensus spiritualis, seu mysticus, verê est, sicut & literalis, intentus â Spiritu sancto, in hoc enim ab eo, qui est secũdúm accommodationẽ tãtùm, secernitur. Quid ergo prohibet, quominus ex illo, quando nobis innotuerit, efficax argumentum ad probandas veritates Theologicas desumatur? Sicut ergo, quando literalis nobis constat, efficaciter ad arguendum deseruit, sic etiam cúm mysticus notus fuerit, ad idem munus vtilis reputabitur. Fateor equidẽ hoc discrimen inter vtrumque sensum, literalem, & mysticum versari, quôd cùm ille per voces exprimatur, [illegible] cilicet [illegible] verô, cùm non per voces, sed per res significatas immediatê indicetur, non sic facilê nobis constare poterit. Constabit tamen nobis alicuius loci spiritualis sensus, si vel ipse sermonis contextus, id requirat, vel aliqui Patres, vel etiam Theologi illum sentire, exerint: tunc enim ex eo probabile argumentum ad probandam quantumque veritatem eho[illegible] potest. Cum ergo aliqua testimonia sacræ Scripturæ in sensu spirituali, ad nostram veritatem confirmandam sint adducta, seu aliquorum Patrum, vel Theologorum authoritate firmata, non exindeat inutilia abijci debẽt, quin potiùs tantô maiori reuerentia habenda, quantô

constat

[redacted]

Castro & Quiñones

Gundisalvus Luzerus.

Epis. Sos.

Alia iam consulentes Cōcilia, nec leuiter, nec digito solùm, in illis nostram videbimus indicatam sententiam. Et vt à prioribus gressum capiamus de tertia generali Synodo referri solet, in ipsa Deiparam sanctissimam *Immáculatam*, nuncupatam esse. Et quāuis hoc verbum in ipsa non aduerterim, Photius tamen Constantinopolitanus Patriarcha, in Epistola de septē Synodis ad Bulgarię Principē missa, dū acta ipsius tertię Synodi, quæ fuit Ephesina, & sub nostro

Photius Constantino. Patriarcha in Episto. de septem Synodis.

[illegible]

6. Synod. Epist. Sophronij.

[illegible] Virginem Matrem, Deige- [illegible] Synodo [illegible] Signitur Maria, & in epi- [illegible]

Carthag. hom. 19. 7. Synod. act. 3.

[illegible] Carthagena [illegible] quæ fuit secunda Nicæna [illegible] sic [illegible]

Con. Fra coford. in Epist. ad Epis. Hispan.

[illegible] appellasse *immaculatam* [illegible] Hæc non vidi, [illegible] videlicet Christum [illegible] *animata*, [illegible] quibus elicitur clarè [illegible] *ta est*, male [illegible]

Maximê tamen ex his Concilijs ponderari potest, quôd in illis vno ore â Patribus Maria *Immaculata* compelletur. Ex quo facili deductione eius omnimodam puritatem elicere pijs Theologis licebit. Primô quidem, quia si vim negationis, quæ per nomen *Immaculata* significatur, rectê pensitemus, inuenietur certê ad omnem temporis differentiam extendendam fore: negatio enim illa, *in*, vim vniuersalis habet, ac si doceat nullam prorsus maculam, neque actualem, neque originalem

lem Deiparam habuisse. Secundô, quia fæmina corrupta semel nõ potest inposterum *incorrupta* nuncupari: si ergo Sanctissima fæmina Maria aliquando originalem maculam fuit perpessa, nequibit in posterum *Immaculata* vocari. Quomodo ergo Concilia prædicta (prætereo nunc Patres de quibus postea) eam *Immaculatam* vocant? Nec silentio inuoluere æquum est verbum illud *irreprehensibilis*, quo septima generalis Synodus piê Mariam compellat: si enim originale contagium admisisset, cûm per illud Deum offensum, iratum, & inimicum haberet, non esset omnino *irreprehensibilis* vocanda. Vt ergo rectê, piê, & prudenter, hoc nomine â Patribus grauissimi Concilij, appellatam esse dicamus asserere oportet omne criminis contagium radicale, vel actuale, penitus à se abdicasse. *Synod. 7.*

Nec præterire possum Concilij Cantuariensis decretum a Baccone nostro lib. 3. quodlibetorum q. 13. relatum per hæc verba: *Quia inter omnes sanctos memoria Beatissimæ Virginis, & Matris Domini, eò frequentius agitur, atque festiuius, quò maiorem gratiam apud Deum, qui eius Conceptionem prædestinatam, ad vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit.* Vbi cûm Virginis Conceptionem prædestinatam, & ordinatam dicat â Deo, manifestê supponit eam Sãctam, & Immaculatam extitisse. Omitto etiam Oxoniense Concilium ann. 1200. celebratum, vbi can. 1. inter festa celebranda *Festum Cõceptionis Beatæ Mariæ* reponitur, quo Anglici Theologi, & Patres qualem, ac quantam in Dei Matrem pro tunc temporis deuotionem haberent, maximê subindicant. *Con. Cã. Baceo. in quodlib. quest. 13* *Cõ. Oxo.*

Accedim⁹ iam ad posteriora Cõcilia, ê quib⁹ Basiliense, ê plurimis orbis Christiani partib⁹ cõgregatũ, post varios super hac re inter Doctores cõgressus scholasticos

Ecclesiæ vlausu conclamatam, omnes firmant; & protestantur fideles si intentione minimè intorta, oratione Angelica eam salutantes, Aue gratia plena, iterum resonent, & sæpius.

Hæc pij, & docti Theologi.

Nos tam singula salutationis Angelicæ verba pōderemus. Et primò illud *Aue* ponderatione dignum est. Nullus enim (quod sciam) ante Virginem Beatissimam simili salutatione decoratus fuit. Rex quidem Artaxerxes à salutātibus sic compellatus fuit Neem. 2. *2. Rex in æternum viue.* Absalon 2. Reg. 16. salutatur sic: *Salue Rex.* Ruth quoque cap. 3. hoc modo: *Benedicat tibi Dominus.* Et Tobias, cap. 5. *Gaudium tibi sit, ò senex.* Cæterum Maria hoc Angelico salutationis decoratur modo, *Aue Maria.* Quod fortè Origenes, & Ambrosius in hunc locum indicarunt, dum hanc salutationem *Benedictionis nouam formulam* appellant. Sed cur, obsecro, Maria compellatur: *Aue?* Vt ostendatur certè, *Væ*, & calamitatem Euę superbia introductam à Virgine penitus abfuisse: *Aue* namque Euæ nomen mutatum sonat, quod indicat Ecclesia dum canit:

Neem 2. *Ruth 3.* *Tobiæ, cap. 5.* *Ecclesia.*

Sumens illud Aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans Hevæ nomen.

Rursus, vt egregius Augustiniani ordinis Theologus Aegidius hic notauit, *Aue* deriuatur ab *A*, quod est *Sine*, & ab *Ve*, quod est interiectio dolentis propter aliquod malum, & miseriam. Vt ergo Angelus significaret nullum, nec minimum originale, aut actuale peccatum fuisse in Maria, *Aue* dixit, ideſt (vt non ignobilis huius loci commentator dixit) *Aue ab omni, vel tenuissimo peccato originali, etiam proprij immunis.*

Aegidius

Aue

Aue tota pulchra, tota immaculata, tota gratia plena.

Expendam secundô verba, *Gratia plena.* Quæ priuilegium hoc immunitatis ab originali Mariæ non defuisse, verê exprimunt. Quod multipliciter ostendam, primô quidem ex ipsis verbis. Si enim Angelus aliquibus eam verbis ab omni tam actuali, quâm originali crimine exemptam esse, voluisset declarare, nullis id melius, quam his, *Gratia plena*, assequi posset. Tum, quia participium Græcum, quod, *Gratia plena*, interpres vulgatus transfert, sine aliquo præuio articulo positum est, quod insolitum apud Græcos esse, notauit Turrianus iam allatus. Ex quo proculdubio manifestê liquet insolitam esse gratiæ plenitudinem Mariæ concessum, & his verbis explicatam. Tum id constat ex energica vi verbi, *Gratia plena*, quod idem sonat, ac [illegible] Pagnina [illegible] *Gratificata*, id est, plenissimè Dei gratia decorata, & insignita. Quod de se, nunquam sanctissimam Matrem gratiâ Dei [illegible] manifestat. Accedit etiam, quod [illegible] aliquis in sacris literis plenus gratia, aut Spiritu sancto [illegible] Stephanus Act. 6. & 7. Paul. Actor. 9. Ioannes, Zacharias, & Elisabetha, capit. Lucæ ex doctrina tamen egregij Aquinatis Doctoris 3. part. quæst. [illegible] tic. 10. plenitudo gratiæ sanctorum ex munere, & officio, ad quod electi sunt, mensurari debet, sic enim de Stephano dicit, quód esset *plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem adhoc, quòd esset idoneus minister, & testis Dei.* Plenitudo ergo sanctissimæ Matris ex eius altissima dignitate pensitari debet. Cûm igitur Mariana Maternitas omnem quamcumque hominibus possibilem dignitatem exsuperet: plenitudo etiam gratiæ ipsius, omnem puro Adę filio communicabilem dignitatem excedet, atq; ita priuilegium immunitatis ab

Turrian.

Acto. 6. & 7.

Act 9.

Luc. 1.

S. Tho. 3. p. q. 7. ar. 10.

originali claudet. Hanc igitur gratiæ plenitudinem
Idē 3. p. q. 30. art. 4. Angelus expresit, dum dixit: *Aue gratia plena.* Vnde Angelicus Thomas 3. part. quæst 30. art. 4. inquit: *In hac salutatione præmisit Angelus idoneitatem Virginis ad conceptum, dicens: Gratia plena.*

Secundò quoque ex his Angelicis sermonibus propositam nobis veritatem elici, mihi persuasum est, nam ex Patribus plures ex illis similem argumentationem effecere. Alij clarè immunitatem ab originali Mariæ concedentes, alij verò eam plenitudinem gratiæ ipsi tribuentes, vt facili inde coniectura conijci liceat, nostræ sententiæ adstipulatores se gerere. [redacted]

Cyprian. Accedat secundus Cyprianus, lib. de Christi Natiuitate dicens: *Incendium originale in Mariæ Conceptione extinctum est.* Cuius rationem postea, quasi subdens ait: *Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, &c.* Quibus verbis ad illa Angeli, *Aue gratia plena*, allusionem fieri non dubites.

Augst. Tertius est Augustinus, vt fertur serm. 11. in natali Domini, sic dicens: *Cùm dixit Angelus, Aue gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Quibus similia

Fulgētius verba in Fulgentio Augustini discipulo in sermone

de laudibus Virginis reperio. Sit quartus Angelicus Doctor Sanctus Thomas, qui quamuis ab aduersarijs nostris, omnino nobis contrarius reputetur, in huius tamen Angelicæ salutationis expositione † existimans fortè ad rectam intelligentiam eius necessarium, hæc dixit de Maria: *Purissima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Habes iam è patribus plures, qui ex Angelico sermone, *Aue gratia plena*, nostrã docuere sententiam, ita clarè, vt clarius nihil desiderem. Nec mirum hos Patres verba, *Gratia plena*, ad immunitatem, etiam ab originali extẽdisse, quia, vt dixit Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 16. *Cùm Dominus in priuilegio suo, quod ei mittit per Angelum, dicat, Gratia plena, nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum.* Quod etiam significauit Athanasius in Euangelium de Incarnat. affirmans, *hanc gratiæ plenitudinem non esse temporariam, sed per omnia tempora.*

S. Thom. † (secundum aliquos)

Alij verò Patres, qui ex his verbis, *Gratia plena*, plenitudinem omnem gratiarũ, & donorum, & (vt vno verbo dicam) totius gratiæ farraginem, & supellectilem Mariæ concessam esse fatentur, plurimi sunt. Specialiter Athanasius in sermone de Deipara sic loquitur: *Factum est, vt gratia plena appellata sis, vt pote, quæ omni gratia abundares.* Et inferius: *Spiritus sanctus in Virgine descendit cum omnibus virtutibus essentialibus induens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco Gratia plena cognominata est, eò quòd ab impletione Spiritus sancti omnibus gratijs abũdaret.* Deinde Petrus Chrysologus, seu Rauennas in serm. 2. de Annuntiatione: *Gratia plena*, inquit, *quia in alijs gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo.* Et serm. 3. *Gratia plena, quia singulis gratia, sed est largita per partes, Mariæ verò simul se tota dedit gratia*

Athanasius.

Pet. Chrysologus.

Idem serm. 3.

Sophronius in Epist.de Assump. Mariæ ad Paulam. Beda.

tiæ plenitudo, omnes de plenitudine eius accepimus. Sophronius quoque in Epistola de Assumptione Mariæ ad Paulam, & Eustochium: *Etsi in sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Maria vero totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter* Beda item: *Bene gratia plena, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur.*

Nec desunt etiam grauissimi huius loci expositores, qui ita hæc Angeli verba intelligenda esse censeant, & præter adductos, celeberrimum, & sapientissimum Carmelitam Thomã Beauxamis nõ omittam, qui tom. 1. Euãgelicæ Harmoniæ eruditè sic dixit: *Non sine gratia fuit Rebecca, Rachel, Delbora, Susanna, Iudith, vt illis conferrentur insolita beneficia, quanto magis Maria plena gratia erat, vt nobis Deum, & Redemptorem pareret? sed & Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, & Stephanus plenus fuisse gratia, & fortitudine legitur, quanto plenior Virgo? Nec id quidẽ ei plenitudini, quæ in Christo est, præiudicium facit. Nam & in ipso omnem diuinitatis plenitudinẽ corporaliter inhabitasse, & non ad mensuram datum esse spiritũ, & plenitudinem omnem effusam esse credimus: non autẽ parigradu Mariam accepisse, sed quantũ electa creatura præter vnionem cum Deo hypostaticam capax esse potest.* Hæc grauissimus Theologus, vt Mariæ dicta verba: *Gratia plena*, rectè exponerentur, dicenda esse putauit. Insuper Illustrissimus Bellarminus in compendio Doctrinæ Christianæ iussu Clement. 8. edito, explicans cap. 5. hæc verba, *Gratia plena*, dicit intelligenda esse, quia *Maria non habuit maculam originalis, aut actualis peccati.* A quo non procul abest insignis ille Poeta Vidas in hymno ad Mariam:

Thomas Beauxamis 1.to. Euangel. harm.

Bellarm.

Vidas.

Salue sancta parens, eadem salue innuba Virgo,
Regia progenies, genus alto à sanguine Iudæ,

Cui

Digitized by Google

Cui pater omnipotens pleno se numine fudit,
Gratiaquè accepta matres super extulit omnes.

Iam illud, *Dominus tecum*, expendamus. Quod mihi sonat idē, quod numquā à te Deus discesisit, in te, & operibus, & actibus tuis, *Dominus tecū*. Quando mortua, quando viuens, quando nata, quando cōcepta, *Dominus tecū*: vel, vt inquit Augustinus serm. 2. de Annūt. *Tecū Dominus in corde, tecū in ventre, tecū in vtero, tecū in auxilio.* Idest, numquā sine illo fuisti, nec leuiter ab eo per quodcumque crimen actuale, vel originale abscessisti. Vnde Franco Abbas tom. 6. de gratia sic scribit: *Dominus tecum est, ò Virgo, non generali tantùm benedictionis gratia, qua cum cæteris sanctis est, sed & singularis prærogatiua gratiæ.* Quæ mihi hanc singularem immunitatis ab originali gratiam subindicant. *Augustinus serm. 2. de Annunt.* *Franco to. 6. de gratia.*

Vnde superaddit Angelus, *Benedicta tu in mulieribus.* Ex quibus plusquā clarè nostrū adstruā intētum. Primò, quia ita Patres aliqui ea intelligere videtur: Sophronius nāque in Epistola ad Paulā iā adducta: *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus, ideſt, plus benedicta, quā omnes mulieres, ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Ecce Marianū priuilegium immunitatis ab originali ex his verbis: *Benedicta tu in mulieribus*, deductū. Cui accinit perdoctus Idiota, qui in lib. Contēpla. de Virgine Maria c. 6. postquā illi, *ab originalis labe præseruationē*, cōcesisit, sic exclamat, *ò superbenedicta Virgo Maria*, ideſt, in eo benedicta, quia originale crimen numquā admisisti. Nec grauetur lector impij hominis pia verba legere. Lutherus hic est à Canisio lib. 1. capit. 8. relatus, qui postquam clarè Mariam originalis criminis expertem constituit, prosequitur, dicens: *Hoc sibi volunt verba illa, quæ Angelus Gabriel ad eam dicebat: Benedicta tu in mulieribus. Non enim ad eam dici* *Sophronius.* *Idiota lib. Cōtempl. cap. 6.* *Lutherus.* *Canisius lib. 1. c. 8.*

Digitized by Google

posset: Benedicta tu, si aliquando maledictioni obnoxia fuisset. Ecce asinam Balaam loquentem, miraquè proferentem audimus. Vtinam Catholici aliqui, in hoc, Lutheri sectatores essent. Secundò quoque intentam veritatē ex his Angelicis verbis desumi, mihi ratum est: quomodo enim Maria *inter omnes mulieres benedicta* dicitur, si aliqua mulier, Eua scilicet, non in originali crimine fuit concepta, Maria verò hac infami macula fuit affecta? Ratio non capit. Accedit tertiò, quòd benedictio Dei in sacris literis à peccato liberatio dicatur: vnde Isai. 27. apud 70. Interpretes sic legitur. *Hæc est benedictio Iacob, cùm abstulero eius peccatum.* Benedicta ergo Maria dicitur, quia omni crimine penitus fuit orbata.

Isai. 27. Septuaginta.

Ecclesiæ, Pontificum, & Conciliorum authoritatibus nostra roboratur sententia. Cap. XIII.

HVcusque iam (vtiliter vtinam) propositum Thema de Immaculata Virginis Conceptione, sacræ Paginæ testimonijs comprobaui. Et ne eorum authoritas, quasi parum conducens ad intentum illudatur, ex eo quod maiori ex parte in sensu tantùm mystico, nostro deseruiat proposito. Aduertat lector, quòd quamuis ex multiplici sensu sacræ Scripturæ: literalis præcipuè, ad conuincendas veritates Theologicas, conclusionesquè probandas, efficacissimus sit: nihilominus non ideo sensus mysticus, quicumquè ille sit, quasi inefficax, & inualidus reijciendus erit. Quod sic probatur primò, nam sacri Euangelistæ, & Apostoli, sæpius in suis ratiocinationibus eo

vsi sunt, vt patet Matth. 2. vbi illud Oseæ 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum*, quod de populo Israelitico primó literaliter fuit prophetatum, de Christo Domino Euangelista dixit. Similiter Ioan capit 19 de ipso Christo, inquit: *Facta sunt hæc, vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.* Cúm tamen hæc verba literaliter de agno Paschali dicta sint Exod. 12. Præterea illud Deuteronom. 23. *Non alligabis os boui trituranti*, in mystico sensu explanat Paul. 1. ad Corinth. 9. ergo sensus spiritualis non est inutilis ad arguendum.

Matth. 2
Oseæ. 11.
Ioan. 19.
Exod. 12
Deut. 23
1. Cor. 9.

Secundò, & mihi efficacissimè, nam sensus spiritualis, seu mysticus, verè est, sicut & literalis, intentus â Spiritu sancto, in hoc enim ab eo, qui est secũdûm accommodationẽ tãtùm, secernitur. Quid ergo prohibet, quominus ex illo, quando nobis innotuerit, efficax argumentum ad probandas veritates Theologicas desumatur? Sicut ergo, quando literalis nobis constat, efficaciter ad arguendum deseruit, sic etiam cûm mysticus notus fuerit, ad idem munus vtilis reputabitur. Fateor equidẽ hoc disputamen inter vtrumque sensum, literalem, & mysticum versari, quòd cûm ille per voces exprimatur, sicilicet [illegible] verò, cûm non per voces, sed per res significatas immediatè indicetur, non sit facilè nobis constare poterit. Constabit tamen nobis alicuius loci spiritualis sensus, si vel ipse sermonis contextus, id requirat, vel aliqui Patres, vel etiam Theologi illum sentire, [illegible] probabile argumentum ad probandam quamcumque veritatem eius potest. Contra ergo aliqua testimonia sacræ Scripturæ in sensu spirituali, ad nostram veritatem confirmandam sint adducta, & aliquorum Patrum, vel Theologorum authoritate firmata, non exindè vt inutilia abijci debẽt, quin potiùs tantò maiori reuerentia habenda, quantò

constat

Castro &
Quiñones
Gundisal
uus Luzo
rus.
Epis. Sos.

Alia iam consulentes Cõcilia, nec leuiter, nec digito solùm, in illis nostram videbimus indicatam sententiam. Et vt à prioribus gressum capiamus de tertia generali Synodo referri solet, in ipsa Deiparam sanctissimam *Immaculatam*, nuncupatam esse. Et quâ uis hoc verbum in ipsa non aduerterim, Photius tamen Constantinopolitanus Patriarcha, in Epistola de septẽ Synodis ad Bulgariæ Principẽ missa, dũ acta ipsius tertiæ Synodi, quæ fuit Ephesina, & sub nostro

Photius Constantinopolitanus Patriarcha in Epistola de septem Synodis.

6. Synod. Epist. Sophronij.

Carthag. hem. 19. 7. Synod. act. 3.

Con. Fra coford. in Epist. ad Epis. His pan.

[illegible] appellasse Immaculatam professa quæ [illegible] alia rem efficaciores fores reperiuidelicet [illegible] fa[illegible] [illegible] [illegible] [

lem Deiparam habuisse. Secundò, quia fœmina corrupta semel nō potest inposterum *incorrupta* nuncuparit si ergo Sanctissima fœmina Maria aliquando originalem maculam fuit perpessa, nequibit in posterum *Immaculata* vocari. Quomodo ergo Concilia prædicta (prætereo nunc Patres de quibus postea) eam *Immaculatam* vocarint. Nec silentio inuoluere æquum est verbum illud *irreprehensibilis*, quo septima generalis Synodus *Synod. 7.* piè Mariam compellat: si enim originale contagium admisisset, cùm per illud Deum offensum, iratum, & inimicum haberet, non esset omnino *irreprehensibilis* vocanda. Vt ergo rectè, piè, & prudenter, hoc nomine à Patribus grauissimi Concilii appellatam esse dicamus asserere oportet omne crimînis contagium radicale, vel actuale, penitus à se abdicasse.

Nec prætereire possum Concilij Cantuarienſis decretum a Baccone nostro lib. 3. quodlibetorum q. 13. relatum per hæc verba: *Quia inter omnes sanctos memoria Beatissimæ Virginis, & Matris Domini, eo frequentius agitur, atque festiuius, quò maiorem gratiam apud Deum, quietius Conceptionem prædestinatam, ad vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit.* Vbi cùm Virginis Conceptionem prædestinatam, & ordinatam dicat à Deo, manifestè supponit eam Sāctam, & Immaculatam extitisse. Omitto etiam Oxonienſe Concilium ann. 1200. *Cō. Oxo.* celebratum, vbi can. 1. inter festa celebranda *Festum Cōceptionis Beatæ Mariæ* reponitur, quo Anglici Theologi, & Patres qualem, ac quantam in Dei Matrem pro tunc temporis deuotionem haberent, maximè subindicant. *Con. Cā. Baceo. in quodlib. quæst. 13*

Accedim⁹ iam ad posteriora Cōcilia, è quib⁹ Basilien se, è plurimis orbis Christiani partib⁹ cōgregatū, post varios super hac re inter Doctores cōgressus scholasticos

habitos, & cũm rationum monumenta vtrimque ponderata essent, totus ille doctissimorum hominum cœtus, in hunc modum ann Domini 1439. in sessione 36 eiusdem Synodi, sic loquitur: *Nos diligenter inspectis authoritatibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriusque doctrinæ coram hac sancta Synodo allegatæ sunt, aliisquè plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam asserentem, gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam (præueniente & operante Diuini numinis gratia singulari) nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa: sanctamquè & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectèquè rationi, & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus; nulliquè de cætero licitum esse in contrarium prædicare, seu docere.* Hæc sola sufficerent verba ad nostram fulciendam sententiam. Et si enim Fidei assensum non mereantur, quia Concilium hoc, quantũ ad hoc decretum Romanæ Ecclesiæ calculum nondũ meruit, quia sessione 34. verum Papam Eugenium deposuerat, aliumquè de nouo elegerat: vnde quantum ad sessionem 36. in qua est hoc decretum, à Christi Vicario non est approbatum. Magnum tamen authoritatis robur apud Sapientes habere debet, cũm constet à pluribus, & selectissimis variarum nationum Episcopis, & Theologis esse profectum. Quis autem tot, & tam grauissimis Patribus opponere se audeat? Accedit etiã Synodum hanc Basilienſe n à multis Prouincijs receptam esse, nec à Sede Apostolica reiectam omnino, vnde quoad præsens decretum, etsi non fidei authoritatem, maximam tamen reuerentiam meretur.

Cõ. Basi.

Grauis-

Grauissimê quoque Tridentina OEcumenica Synodus in sessione quinta, & decreto de peccato originali ann. 1546. Immaculatæ Virginis Conceptioni adstipulatur, & fauet. Sic autem loquitur Concilium: *Declarat tamẽ hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem, sed obseruandas esse Constitutiones fælicis recordationis Sixti Papæ 4. sub pœnis in eius constitutionibus contentis, quas innouat.* Mirificê certé, & multipharìam sententiæ, quam tuemur, patrocinatur Concilium. Primô quidem, dum Sanctissimam Deigenitricem *Immaculatam* nominat, & antiquiora æmulatur Concilia, vt vidimus. Secundô, quia licet clarê Concilium non definiat Dei Matrem sub generalibus Scripturæ locutionibus, in quibus omnes homines sub peccati originalis vinculo constrictos esse, dicitur, non includi: nobis tamen facultatem ad id affirmandum tribuit. Si namque existimaret sub illis generalibus regulis comprehẽdi, quo iure posset nõ modô eam excipere, sed nec asserere, *non esse suæ intentionis comprehendere Beatam Virginem Mariam*? Si autem in sacris literis non continetur oppositum nostræ assertioni, quis eam audebit negare? aut qua facie talem, ac tantam dignitatem, tam eximiê Dei Matrem decorantem diffiteri audebit? Quantum etiam ex hoc decreto Deigenitricis purissima Conceptio fauorem accipiat, domestico hoc exẽplo liquescet. Si Rex, aut Princeps publico legis edicto statueret omnes ibi subditos, cuiuscũque honoris, & honestatis sint, alicui oneri, vectigali, tributo, impositionivê adstrictos esse: cum hoc tamẽ expressê declararet, non esse suæ intentionis Reginam sibi desponsatam, sub hoc edicto comprehendere; quis

Trid. sess. 5. decreto de peccato originali.

tam

tam improbus exactor existeret, vt à Regina Regis sponsa tale vectigal exigeret? Aut quis non putaret Regiam voluntatem esse, vt Regina omnino libera, immunisque à tali soluendo tributo permaneret? Hoc igitur pari passu in præsenti accidit euentu. Spiritus namque Sanctus, qui per Patres Tridentinæ Synodi loquitur, omnes homines sub originalis iugo mansisse declarat; sub hoc tamen decreto Dei genitricem consociam, & sponsatam sibi comprehendi penitus prohibet. Qualiter ergo licebit alicui, aut tali Reginæ, tale crimen impingere, aut eam non omnino liberam, & immunem putare?

Sed iam ex Pontificia authoritate Dei Matris vndequaque perfecta, & illibata sanctitas innotescat; ex innumeris autem, qui nostræ adstipulantur sententiæ, Pontificibus, afferam aliquot. Sit primus Innocentius Septimus, qui circa annum Domini 1404. degens, adeò propitius Dei matris Illibatæ Conceptioni extitit, vt Theologum doctum quendam, qui eam suis concionibus nitebatur euertere, & rigidè puniuit, & instante ad hoc Parisiensi Gymnasio, vt palinodiam caneret, fecit. Quem casum ex Reuerendissimo Gaguino sanctissimæ Trinitatis Religionis Generali in lib. 9. fol. 185. refert Doctor Luzerus in discursu primo Conceptionis capit. 5. Ex quo facilè credi potest, quantum Pontifex iste illibatæ Conceptionis Mariæ protectorem se gesserit: nisi enim nostræ sententiæ adhæreret certò, nequaquam signa talia amoris in eam ostentaret.

Innocent. 7. circa ann. 1404

Gaguin. D. Luzerus discur. 1. Concept. c. 5.

Pontificem hunc (solo Greg. 12. qui per duos annos, & dimidium Pontificatum habuit, mediante) sequutus est Alexander Quintus, ante Pontificatum Petrus de Candia nuncupatus. Is autem, cùm ante-

lex. 5. in 3. d. 3.

quam

quam ad Pontificiam eueheretur dignitatem, noſtræ ſententiæ præclarus ſectator eſſet in 3 diſtinct. 3. ſuimet non oblitus in ea dignitate conſtitutus illam approbauit, ſic enim ex Ioanne de Barzo Scoti Magiſtro in 3. diſtinct. 3. referunt aliqui hæc verba: *Sanctiſsimus Dominus Papa Alexander Quintus approbauit opinionem Minorum, quoad Immaculatam Virginis Conceptionem.* Libenter tamen crediderim approbationem hanc huius ſententiæ, non eſſe definitionem eiuſdem, cùm ex Pontificum poſteriorum decretis conſtet, numquam eſſe vt de fide ab Eccleſia propoſitã. Sed cùm hoc dubitet nullus, quin Pontifex eam vt in fide ſecuram, piam, & probabilem ſuſceperit, & declarauerit. Ex quo mirificè habetur quantùm Pontificia hæc authoritas illi adſtipuletur. *Ioãnes de Barzo Scoti Magiſter in 3. diſt. 3.*

Sed qui multipharìam inter Pontifices ſummos Virginis ſanctiſsimæ puriſsimam Conceptionem amplexari viſus eſt, fuit Sixtus Quartus, qui circa annum. 1471. Petri ſedem aſcendit. Is autem ferè totum huic ſanctiſsimæ deuotioni ſe dedit: Primò enim in Extrauaganti: *Cum præexcelſa*, quæ eſt de reliquijs, & veneratione ſanctorum, fideles omnes ad celebrationem huius feſti, exhortatione, & largitione indulgentiarum inuitauit. Quin ſecundò huius feſtiuitatis Officium, per Magiſtrum Leonardum de Nogarolis Veronenſem clericum editum, promulgare fecit. In eo autem ſcopus præſertim intentus fuit, Deiparam Mariam præſeruatione peccati originalis inſignire, vt ex eius Officij Collecta conſtat; in qua ſic dicitur: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum filio tuo habitaculum præparaſti, præſta quæſumus, vt ſicut ex morte eiuſdem filij tui præuiſa, eam ab omni labe præſeruaſti, ita nos quoque mundos* *Sixtus 4.* *Mag. Leonardus de Nogarolis Veron.*

(excommunicationis nimirum ſententia) ſe opponit: ſed etiam pluribus verbis ipſi auxiliares manus præſtat.

Nec minus certè quatuor alij Pontifices, qui poſt Sixtum Quartum Eccleſiæ clauum tenuere, noſtræ adiutores ſententiæ exiſtimandi ſunt. Omiſſo namque Pio Tertio, qui per ſexdecim dies tantùm Pontificatum geſsit, Innocentij Octaui authoritate inſignis quædam fæmina poſt habitam è cælo reuelationem, cuidam Monialium Religioni in honorem, & ſub nomine *Immaculatæ Conceptionis* Mariæ initium dedit. Quam poſtea Alexander Sextus, Iulius Secundus, & Leo Decimus approbarunt, priuilegijſquè (vt fieri ſolet) exornarunt. In huius autem Religioſi Ordinis regula Iulius Secundus ſic dicit: *Eiuſdem genitricis Dei Immaculatam Conceptionem venerantes, &c.* Et capite ſecundo formulæ profeſsionis ſic præſcribitur: *Ego Soror N. ob amorem, & ſeruitium Domini noſtri, & Immaculatæ Conceptionis eiuſdem genitricis voueo, &c.* Et capite tertio forma habitus Monialium deſignatur, qui illibatam ſanctitatem Deiparæ denotet. Fuit autem ſine dubio huius inſtitutio Religionis Deo gratiſsima, quod euentus ipſe clarè demonſtrat, cùm plurimi, deuotiſsimiquè ſacri huius inſtituti Conuentus per orbem Chriſtianum ſint diffuſi, ita vt ſolùm in Hiſpania noſtra, & Nouo Orbe anno nilleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, quadraginta, & amplius ſint numerati, Vincentio Iuſtiniano teſte in ſuo tractatu de Conceptione Virginis. In Bulla quoque confirmationis â Leone Decimo conceſſa, quæ in Toleta no Monaſterio ſororum Cõceptionis habetur, & in alio

Pius 3.
Innoc. 8.
Alex. 6.
Iulius 2.
Leo 10.
Iulius 2.
Vincenti. Iuſti. tracta de Cõcep. Virg.
Leo 10. in Bulla.

Vazquez disp. 117. cap. 5. Fratrum Minorum, vt ex Corduba refert Vazquez disp. 117. cap. 5. Pontifex passim vocat Conceptionem Virginis Immaculatam.

Ex hac verò institutione, approbationeque Religiosi Ordinis in honorem Immaculatæ Deiparæ Conceptionis, quis non colliget fortissimum pro nostra sententia telum? Si enim Pōtifices isti illi toto animo non adhærerent, qualiter, aut quomodo sub talis deuotionis respectu talem Religionem approbassent? Numquid Ecclesiæ caput (Papam dico) in finem inhonestum, rem confictam, aut non satis firmam veritatem, Religiones instituit? N[illegible]æci simus, conspicere licebit semper in aliquo bonum, & pium opus, imò excellens, Religionum fundationes admitti. Alij namque Religiosi, ad mendicitatem exercendam, alij, vt operibus charitatis inseruiant, alij, vt contemplationi diuinæ vacent, alij, vt prædicationis Euangelicæ ministerio assistant, à Romana Ecclesia instituti, & approbati sunt. Cur ergo dicemus Immaculatam Mariæ Cōceptionem, huius fæliciſsimæ religionis scopum, non esse rem veram, piam, Deoque gratissimam?

Clemēs 7 Post hæc Ecclesiæ capita Clemens Septimus Pōtificatum gesit, qui non minùs cæteris paternam benedictionem Immaculatę Conceptionis deuotis exhibuit. Officium namque ab Illustrissimo Cardinali Quiñones compositum deuotè promulgauit. In ipso autem eadem Oratio, ac in officio Leonardi de Nogarolis habetur, & matutinum Inuitatorium sic dicit: *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus, Christum eius præseruatorem adoremus Dominū*; quin

Episcopus Gardiēsis Leo 10. hymnos ab Episcopo Gardiensi compositos (quod & fecit Leo Decimus) approbauit, in quibus Deipa-

ram

ram ſanctiſsimam in ſtatu gratię à Deo creatam fuiſſe denotatur. Hinc autem quis non inferet Pontificiam deuotionem, & circa illibatam Cõceptionem Papalem aſſenſum?

Veniamus modò ad poſteriores alios (nõ quidem ſanctitate & pietate) Eccleſiæ Põtifices, Pium Quintum, & Gregorium XIII. de quibus, quamuis multa fortè in fauorem noſtræ theſis afferri poſſent, hoc tamen vnicum non prætermittam. Hi igitur ſupremi Pontifices, in Bulla quadam ánno Domini 1579. data, cuiuſdam Louanienſis Academię Doctoris, qui Michael Baius nũcupabatur, propoſitiones aliquot condemnarunt; inter quas 73 hæc erat: *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali, hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum.* Huius autem, & cæterarum propoſitionum damnatio à Pontificibus facta ſic dicebat: *Quas quidem ſententias* (ideſt propoſitiones illius authoris) *hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectiuè, authoritate præſentium damnamus, circumſcribimus, & abolemus &c.* Ex quibus elici videtur has propoſitiones: *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali*, item: *Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum*, eſſe hæreticas, vel erroneas, vel ſuſpectas, vel temerarias, ſcandaloſas, aut in pias aures offenſionem immittentes. *Pius 5. & Greg. 13. in Bulla Michaelis Baij.*

Inſcitiam meam libenter confiteor, etſi enim, nulla ex his, aut alia quauis cenſura, ſententiam affirmãtem Deiparam peccatum originale contraxiſſe, inurere auderem, aut vellem; cùm Sixtus Quartus in Extrauagãti, *Graue nimis*, imò & ipſe Pius Quintus in motu proprio qui incipit, *Super ſpeculam*, edito anno 1577. id prohibeant, quod tamen ad hanc Põtificiam Bullam *Sixtus 4. in Extrauag. Pius 5. in motu proprio.*

Bullam responsum præbeam, penitus ignoro. Aliquot Theologos scio, qui illi satisfacere conati sunt, dicendo, propositiones istas ex eo solùm à Pontificibus damnari, quia Baius, vt constat ex prædicta Bulla suarum damnatarum propositionum, affirmabat, quòd *omnes Mariæ afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum vltiones fuerunt peccati actualis, vel originalis.* Quis verò non videat solutionem hanc penitus difficultatem effugere, nullatenusque illius vires infringere? Tria namque asserebat Baius in prædicta propositione 73. primum est: *Nemo præter Christum est absque peccato originali*, secundum verò: *Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum*, tertium denique, *omnes afflictiones Mariæ vltiones fuerunt peccati actualis, vel originalis.* Hæc omnia videntur in sua Bulla Pontifices reprobare. Quo ergo iure solùm tertium condemnari dicetur? Insuper si primum, & secundum damnare noluerunt Pontifices, cur illa inter damnatas propositiones numerarunt? Facilius namque esset solùm tertium Baij assertum in Bulla transcribere, illudquè penitus abolere, non alia, quę censuram non merentur. Tandem ex hac quoque solutione vires accipit argumentum, si enim damnant Pontifices Baium, quia Mariæ afflictiones effectus esse peccati actualis, vel originalis affirmabat; sentiunt igitur talia peccata in Maria non fuisse.

Baius.

Idem.

Quare doctiorum iudicio huius nodi solutionem remittens, nec alteri solutioni, quàm cùm argumentum hoc in publico Theologorum consensu proponerem, ab aliquibus audiui, nimis fidens: duo mihi certa sunt; primum est, in aliquo sensu has propositiones, ab eius assertore intento fuisse damnatas. qui ta-

Digitized by Google

tamen mihi non constat, cùm huius Baij librum, in quo prædicta docebat, nanciscinequiuerim. Secundò pro comperto habeo, Pontifices istos in aliquo sensu, qui Ecclesiæ Catholicæ, & veritati, aliorumquè Pontificum dictis contrarius non sit, nostræ fauisse sententiæ. Qui verò huius Pontificiæ Bullæ mẽtem percipere velit, quia difficilè fortè aliquod nanciscetur exemplar, vnum ipsius apud Magistrum Petrum Lorcam Cistercienſem in 2. tom. ad primam 2. S. Thom. in fine, à Procuratore Generali sui Ordinis missum reperiet. *Mag. Petrus Lorca Cisterc. in 2. tom ad 1. 2. S. Thom.*

Tandem vltimò in hoc capite, quantum sanctissimus Dominus noster Papa Paulus Quintus, qui modò Petri Cathedram meritissimè tenet; nostræ opinioni adhæreat, manifestè liquet. Et vt alia præteream, hoc non silebo. Anno igitur 1615. decima die Iulij, recitantibus hanc Antiphonam: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit*, & Orationem, *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem &c.* Quam suprà in hoc capite retulimus, cẽtum dierum indulgentias concessit, vt Ioanetin Niño Franciscanæ familiæ secretarius testatus est. Per hæc verò sanctissimi Pastoris indulta, quãtum nostra thesis robur accipiat, omnes conspiciãt, cũ pro falsa opinione numquã Pontifices indulgẽtias concedãt. *Paulus 5.* *Ioanetin Niño.*

Ex reuelationibus à Deo factis sancta, & Immaculata Deiparæ Conceptio roboratur. Cap. 14.

CVm in capite præsenti reuelationes de Immaculata Deiparæ Conceptione quærimus, non eas, quæ fidem Catholicam, & Christianam exigant in-

inquirimus, cùm huiusmodi reuelationes solùm Ecclesiæ fieri debeant: &, vt constat ex præcedentibus, quamuis ex dictis, factisquè Pontificum, & Concilio rum grauissima pro nostra sententia tuenda argumēta sint adducta, adhuc tamen illam esse veritatem de fide non conuincunt. Eas igitur reuelationes in præsenti inquirā, quas peculiaribus personis à Deo factas esse piè creditur, quales in diuersis materijs multas esse, & fuisse, & antiqua historiarum monumēta, & noua etiam experientia comprobat. Quas, si recto prudentium examine, sapientiumquè virorum disquisitione, & maximè si authoritate Pontificia approbatæ fuerint; venerandas, reuerentia dignas, & ab omnibus in pretio habendas, & non nisi ab audaci animo repelli posse, vt certum constituo. Harum autem reuelationum exēpla duæ inter alias nostræ Carmeliticæ familiæ fœminæ celeberrimæ præstant, quarum prima est sancta Angela Regis Bohemiæ filia, quæ abhinc quadringētos annos librum reuelationum conscripsit, vt approbat Delrius Disquisit. Magic. lib. 4. cap. 2. quæst. 3. sect. 4. Secunda est Beata Theresia de Iesu, sanctitatis, & Religionis portentosum miraculum, cuius etiam reuelationibus libri sunt pleni. Huius igitur generis reuelationes, ad Dominicæ Matris sanctitatem purissimam comprobandam adducam.

Delrius disquisit. Magica. lib. 4.

Et vt ab antiquioribus gressum capiamus, fortè antiquissimæ omnium in hac materia, sunt tres, quas ex Diuo Anselmo in Epistola ad Coepiscopos Angliæ, noster Carmelitanus Ioannes Bacco affert in 4. sentent distinct. 2. quæst. 4. art. 2. Huiusmodi autem reuelationes, etsi expresse Deiparæ Immaculatam Conceptionem non contineant: quatenus tamē reuela-

D. *Anselm. in Epist. ad Coepis. Angliæ.*

Ioannes Bacco Carmel. in 4. sent. d. 2. q 4. ar. 2.

uelatur per illas, quòd Virginis Conceptio celebretur, & inde plusquam probabiliter inferatur, eam sanctissimam, & purissimam fuisse (non enim videretur decens, vt alio titulo eius festiuitas coleretur) ideò hinc inde, ad veritatem præiactam confirmandam, non leue argumentum adduco. Has verò reuelationes, quia miracula etiam continent, in sequenti capite proferam.

Aliquot rursus annis post Anselmum vixit sanctissimus Bernardus, quo tempore, vt ex Epistola eius 174. ad Canonicos Lugdunenses constat, quædam de Beatæ Mariæ Immaculata Conceptione vulgò circumferebatur reuelatio. Cùm enim in ea Epistola dictos Canonicos reprehenderet, quia sine Romanæ Ecclesiæ facultate festum purissimæ Conceptionis celebrarent, quasi pro eis respondens in medio dictæ Epistolæ sic dicit, *Sed profertur scriptum supernæ (vt aiunt) reuelationis*, id est, afferunt aliquam reuelationem etiam in scriptis, in qua Virginis sanctissimæ Conceptio purissima declaratur. Fateor equidem reuelationem hanc non penitus à Bernardo approbari, vt constat ex sequentibus, vbi dicit: *Ipse mihi facilè persuadeo scriptis talibus non moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere authoritas.* Verumtamen negari non potest, talem reuelationem non parum ponderis habuisse. Primò quidem, quia non solùm inter plebeios, sed etiam apud sapientes, qualiter existimandi sunt Ecclesiæ illius Canonici, talis reuelatio locum habebat. Secundò, quis crederet nobilissimam Lugdunensium Ecclesiam, quā, vt Bernardus in initio Epistolæ testatur, *inter Ecclesias Galliæ constat profectò præeminuisse, sicut dignitate sedis, sic honestis studijs, & laudabilibus disciplinis*, leui aliqua, aut incerta

D. Bernard. Epistol. 174.

Idem.

Idem.

ius reuelationis credulitatem conuincens, cùm Sanctus Doctor oppositæ pro tunc fautor sententiæ, eam non reiecerit.

Insuper perdoctus Scholasticus Marsilius in secundo quæstione vigesima articulo primo §. *qua protestatione*, tres quoque reuelationes, suo tempore haud dubiè celeberrimas, narrat. Quarum secundam dicit factam fuisse, Guillielmo Normandorum Duci. Cuius authoris doctrina, insignisquè Ducis dignitas, hanc, & alias reuelationes maximam authoritatem habere, sufficienter declarat. Tandem, vt ad celebriorem reuelationem de hac re breuiter progrediar, quarundam reuelationum etiam, in Officio de Immaculata Conceptione Quarto die infra octauam, & alibi fit mentio. Ex quibus, vt moraliter certam, veritatem nostram, authenticis reuelationibus fulciri elicitur. *Marsil in 2. q 20. articulo 1.*

Ad celebriorem iam, cunctisquè sæculis venerandam, virgineam sanctitatem digito demonstrantem, reuelationem accedo. Hæc verò Beatæ Brigittæ Scoticæ viduæ facta est. Et, vt verùm fatear, non semel huic sanctissimæ fœminæ veritas, quam tuemur, per reuelationem declarata fuisse videtur. In primis enim libro primo reuelationum capite nono refert: *Mariæ carnem ex Patris, Matrisquè congressu procreatam, sed haud sine singulari diuinæ Charitatis virtute compaginatam fuisse. Deum verò animam à se peculiariter creatam, illi corpusculo indidisse, moxquè animam vna cum corpore sanctificatam fuisse, quam Angeli postea sedulo, & assiduè custodierint.* Clariùs lib. 5. reuelat in fine sic dicit: *Maria de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta, vt filius Dei* B. *Brigitta lib. 1. reue. c. 9.* *Eadē lib. 5. reuela.*

Bedē lib. 6.c.49. *de ea ſine peccato naſceretur.* Sed clariſsimè lib.6. capit. 49. Deipara Virgo ipſam alloquens Brigittam hæc protulit verba: *Veritas eſt, quòd ego concepta ſui ſine peccato originali, & non in peccato.* Ne tamen miraremur; quòd multis multo tempore, obſcura, vel ignota hęc veritas manſerit, hunc nodum eadem Deigenitrix Virgo ſequentibus diſſoluit: *Scito, quòd Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod ſicut ante legem ſcriptam præceſſit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & poſtea veniret lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus: ſic placuit Deo, quòd amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret tempore præordinato.* Hanc reuelationem omnium grauiſsimam eſſe puto, ſequè ſola ſufficientiſsimam, & nullo alio interuenien te, ad veritatem, quam in toto libro conamur defendere, confirmandam, ideò ſpecialiter, quæ aliqui ad illam reſpondent, apponam, exquo magis, ac magis, hæ, ac aliæ reuelationes robur accipient.

Primò igitur huic argumento aliquis audaciter reſpondebit, non eſſe cur de huiuſmodi fœminarum viſionibus aliquid curemus. Quia illarum ſexus imbecillis, maximè propter Dæmoniacam ſuggeſtionem, multa ſibi ſomnia fingit, quod maximè circa ea contingit, quæ vel diligunt, vel deſiderant, iuxta illud paræmicum: *Agnus quæ vult ſomniat*, quòd Hiſpanè dicitur: *Soñaua el ciego que veia, &c.* Ad quod etiam accedit, quòd ipſæ præter communia vitia, maximè garrulæ, laudis cupidæ, aut cerebroſæ eſſe ſolent. Vnde prouenit, quòd nimis credulis viris, ſua figmenta perſuaſerint, vt de aliquibus teſtis eſt noſtra Hiſpania, & de antiquioribus Tertullianus, qui dum illis nimis

Tertul.

mis confidit, in aliquot falsa delapsum fuisse refertur.

Nescio tamen an rectè Catholicus sit, qui hæc de hac Brigittæ reuelatione dixerit. Primò, propter huius fœminæ sanctitatem notissimam, & à Christi vicario declaratam, & toto mundo, non solùm apud Christianos vulgares, sed, & apud Ecclesiæ Principes, & Magnates, celeberrimam. Nec morabor dicere, quæ de hac muliere sanctissima, aliqui grauissimi referunt authores, dicunt enim Christum cum ipsa loquentem dixisse: *Tu mihi sponsa eris, & te tamquam canali vtar, per quod gratiam meam alijs communicabo, bene faciens illis, videbis, & audies cœlestia & spiritualia secreta.* Secundò etiam, quia huiusmodi Beatæ fœminæ reuelationes, ita communi applausu, Ecclesiæ calculo, & sapientium iudicio approbatæ sunt, vt non nisi à toruo spiritu reprobari queant. Vt enim constat ex prologo Illustrissimi Cardinalis à Turrecremata, libris reuelationum huius sanctæ præfixo, non semel, aut bis, sed iterum, atque iterum, reuelationes istæ in recta examinis statera fuerunt appensæ. Primò in Basilienſi Synodo, à qua ipse cum alijs designatus est. Deinde summorum Pontificum Gregor. XI. & Vrbani VI. iussu, harum reuelationum causa pluribus Cardinalibus, Episcopis, virisque grauissimis, commissa fuit, & approbata. Demumque post hæc omnia in sanctæ Canonizatione, à Bonifacio IX. & à Martino V. confirmatæ sunt, vt ex Bullis, quas ibidem Turrecremata refert, constare poterit.

Ludouic. Blosius.

Turrecremata lib. reuela hius sanctæ

Greg. 11. Vrban. 6.

Bonifa. 9. Marti. 5.

Ex qua doctrina facilè ruit Caietani solutio. 2. to. Opusc. in tractat. de Conceptione Virg. ad Leonem X. & Antonin. 2. part. tit. 8. capit. 2 quæ etiam dicitur esse Ioannis à Neapoli, quòd scilicet (vt inquit Caietanus)

Caietan. Antoni. 2. par. tit. 8. cap. 2. Ioannes à Neapoli.

tanus) *Nouæ reuelationes, aut Phantasias, vel etiam figmenta sapientibus ingerere videntur.* Addit etiam Caietanus, cap 5. illius tractatus: quòd *Sanctæ Brigittæ è regione opponitur Sancta Catharina de Senis, quæ dixit sibi reuelatum esse oppositum, vt refert Archiepiscopus Florentinus in prima parte Summæ, titulo septimo, capite secundo, circa finem, & maiori fide videtur digna Santa Catharina, quia canonizata est sicut cæteri sancti; sancta verò Brigitta canonizata est tempore Chismatis, quo nullus habebatur certus, & indubitatus Papa, â Bonifacio in sua obedientia nono.* Hæc tamen omnia talia sunt, quæ (vt omittam aliorum censuras) indigna sint, quòd à sapientibus dicantur. Et vt singula corruant. Primò, reuelationem istam non esse *Phantasiam, aut figmentum* ex dictis facilè liquet. A grauissima namque Basilienſi Synodo, & summorum Pontificum approbatione, quibus in re tam graui se opponere, audacia magna est, calculum meruit. Deinde, quòd ait Caietanus de Brigittæ canonizatione, dictu, & auditu indignum est. Nam quamuis beata Brigitta priùs â Bonifacio IX. qui indubitatus Pontifex non fuit, canonizata fuerit. Postea tamen propter scrupulum â Martino V. qui verus, & indubitatus Pontifex erat, eius canonizatio confirmata fuit, vt in dicto prologo Turrecremata refert, vbi & Bullam confirmationis affert. Vnde de tali Brigittæ canonizatione modò dubitare nullatenus decet.

Caiet. c. 5

Archiepiscopus Florent. in 1. p. summæ tit. 7. c. 2.

Bonifa. 9.

Marti. 5.

Turrecremata.

Postremò, quod de reuelatione Sanctæ Catharinæ facta referunt isti, maiori inquisitione dignum est. Sunt enim, qui dicant eam deceptam, & falsam reuelationem pro vera habuisse. Sed tale dicere in sanctissimam Dei sponsam nullatenus licet. Quare dicunt alij, huiusmodi reuelationem post obitum Sanctæ Catharinæ (ne scio quo zelo) â defensoribus oppositæ sententiæ, & ad

infir-

infirmandam reuelationum contrariarum fidem, fuisse confictam. Sic Ambrosius Catharinus Dominicanus, lib. 3. pro Immaculata Conceptione circa principium, & fauet Suarez secundo tomo in tertiâ partẽ disputatione tertia sectione quinta, cui etiam congruit Poeticum illud: *Ambros. Catharin. Suar. 2. to. in 3. d. 3. sect. 5.*

—— —— *Qui amant, sibi somnia fingunt.*

Mihi tamen modestius videtur huic reuelationi, quam Beatæ Catharinę factam dicunt, respondendum, nullatenus nobis de eius veritate constare, neque vlla ratione probari posse. Quia nec frater Raimundus, nec Stephanus Carthusiensis, nec frater Thomas Senensis, neque vllus alius, qui vitam ipsius scripsit, aut qui Beatæ Catharinæ reuelationes collegit, huius reuelationis mentionem facit. Imô nec Diuus Antoninus vbi de vita Sanctæ Catharinæ egit, vllum talis reuelationis verbum habuit. Ex quo significari datur, numquam Beatissimam hanc fœminam talem reuelationem accepisse. Id etiam hoc maximè confirmat, quòd in opusculis eiusdem sanctæ nihil talis reuelationis reperitur. Si verò aliquis opponat, quôd in fine orationis 16. sic legitur: *Tu scis Domine, quia ista est veritas.* (Præcesserant autem nonnulla de Concepta Deipara in peccato originali.) Hoc facilè corruit, quia non ea, quæ in orationibus Sanctarum habentur, ipsis factas reuelationes indicant: sed ea, quæ, vel ipsæ credunt, vel existimant ita esse. Quôd idem de Beata Catharina dici potest, nimirum, quòd ab aliquibus sui Ordinis Fratribus edocta, virginem sanctissimam originalem labem contraxisse, existimarer. Nec malè Martinus del Rio vbi supra, suspicatur verbũ illud: *Tu scis Domine, quia ista est veritas,* ab aliquo superadditũ fuisse. Primô, quia *F. Raimũdus. Stephan. Carthus. Fr. Tho. Sen. Mart. del Rio.*

sine

sine his verbis tota oratio antecedēs integra,& perfecta manet. Secundò,quia si voluisset Beata Catharina hæc verba addere,non fuisset illi necesse ponere illud *subiunxit*, quod immediatè his verbis videmus à librario præponi:tandem tertiò,quòd orationum eius nulla alia sic terminatur. Crediderim ergo Beatam Catharinam ex propria sententia locutam fuisse.

Ex varijs miraculis comprobatur assumptū. Cap.15.

ABs dubiè iniurius Illibatæ Marię sanctitati essem, si miracula,quę pro ipsa sunt à Deo patrata,quēadmodum graues authores retulere, silentio inuoluerem. Absit tamen,vt tepidè,aut frigidè, intentum assumptum prosequi videar;dum ea, quæ pro eius confirmatione afferre possim, sciens omittam. Et pro dicendis præmitto,miracula multa, quæ per Sāctos Dei in Ecclesia sunt facta,etiam si, vt fidei dogmata recepta non sint,absque crimine magno negari non posse. Pro quo egregiam nobis Parisienses Doctores censuram contra Erasmum obtulere. Propositio Erasmi erat in hunc modum: *Quòd Sanctorum historiæ & similes narrationes non sunt magnificandæ,neque ea,quæ de eorum miraculis scripta sunt.* Parisiensium autem censura sic habet: *Quòd licet non omnia, quæ de Sanctis leguntur,pari gradu certitudinis amplectēnda sint: ipsa tamen propositio quoad eius primam partem pias aures offendit,& ad irreuerentiam in Sanctos,& Ecclesiasticī officij cōtemptum prouocat, Wuiclephistarum insaniæ conformis. Et si quid in Officijs diuinis minus dignum Christiana pietate com-*

Erasmus.
Doctores Parisienſ.

compertum fuerit non quærimus, sed illorum tantùm authoritate, id corrigendum est, ad quos potissimùm spectat. Secunda verò pars ex Porphyriano trahitur errore. Ex qua Parisiensium doctrina ad propositum nostrum colligo, miracula, quæ de Deiparæ Mariæ Conceptione adducta fuerint, si tamẽ iure approbata, nullatenus negari posse. Aliquot autem ex grauissimis authoribus deprompta in medium producam.

Et primò tria, quæ ex Diuo Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo in Epistola ad Episcopos Angliæ Baconitanus noster refert in 4. distinct. 2 quæst. 4. artic. 2. afferre non grauabor. Vtar verò Baconis verbis: hæc sunt: *Primum est de Helsino Abbate Ramensi Hic enim dirigebatur per Regem Angliæ ad Daciam ad tractandum de pace, quia iam præparauerat Angliam armis sibi subducere, quasi iure hæreditario debitam. Sed pace fæliciter obtenta, maximam maris partem redeundo transierat. Mox horrida tempestas orta est, & remis fractis, funibus ruptis, cadẽtibus velis, spes salutis amittitur. Inuocantibus verò Beatissimam Dei Genitricem Mariam, quasi inter medias undas, naui proximum prospiciunt quendam, insula Pontificali decoratum. Qui ad Abbatem dixit, Si vis sanus ad patriam redire, diem Conceptionis Matris Domini nostri Iesu Christi octauo die Decembris deuotè celebra, & prædica celebrandum. Quod cum deuotè promisisset Abbas cum sociis, concito flatu ad littora Anglicana applicauit.* Insigne hoc miraculum plures referunt, inter quos Mantuanus noster tom. 2. de sacris diebus dulcibus illud versibus decorauit:

D. Anselmus.

Baconitanus in 4. d. 2. q. 4. art. 2.

Mantuanus to. 2. de sacris diebus.

A Dacis veniens Abbas Helsinus ad arua
Anglica, &c.

Subdens postea:

Fluxit ab hac maris irati formidine festum.

Luzerus lib. cit. discur. 1. c. 5

Illud etiam affert Doctor Luzerus in libro iam cita-

to

Carthag. hom. 19. to diſcurſu 1. capit. 5. & Pater Carthagena citata hom. mil. 19.

Baco. Secundum Miraculum ex Anſelmo retulit Baco his verbis: *Secundum eſt de ſacerdote, qui ab adulterio rediens, in fluuio Secane à Diabolo eſt ſubmerſus, licet pro tũc horas Beatæ Mariæ Virginis, ore promeret. Die autem tertio ad locum, vbi eum Dæmones affligebant, venit Beata Dei genitrix Maria, & dixit eis: Vt quid mei famuli animam afflixiſtis? Reſponderunt: Quoniã capta eſt in opere noſtro. At illa: Ergo noſtra debet eſſe, quoniam matutinas noſtras, dum vos eum peremiſtis decantabat. Fugientibus Dæmonibus animam detulit ad corpus, & per brachium arripiens hominem reſuſcitatum, de profundo fluuij ad ripam incolumem adduxit. At ille pedibus eius eſt proſtratus dicens: Quid pro tot beneficijs retribuam? Reſpondit Mater Dei: Conceptionis meæ feſtum octauo die Decembris celebres, & prædices ad celebrandum.* Ecce inſigne miraculum Immaculatam Mariæ Conceptionem approbans.

Baco. Ad tertium accedo ex eodem Anſelmo â Bacone relatum hiſce verbis: *Tertium eſt de quodam Diacono germano Regis Hungariæ, qui de conſilio parentum voluit nubere. Cum verò horas Beatæ Dei genitricis decantaret, & antiphonã, Pulchra es, & decora filia Ieruſalem, diceret, ſubitò ei apparuit Beata Dei genitrix, dicens: Si ego pulchra ſum, cur me dimittis, & aliam accipis? At ille: Quid vis Domina mea vt faciam? At illa: Si Conceptionis meæ feſtum octauo die Decembris annuatim celebres, & celebrandum prædices, in regno vnigeniti mei eris laureatus. At ille monachalem habitum accipiens, & tandem Patriarcha Aquilegiæ, feſtum Conceptionis celebrauit, & celebrandum prædicauit.* Hoc quoque miraculum refert doctus Carthagena vbi ſuprâ.

Carthagena.

Luzerus. Inſuper, vt Doctor Luzerus vbi ſuprâ relatus narrat, horridum miraculum ſub Martino V. accidit. Cũ enim pontificia

Pontificia authoritate docti viri congregati essent, vt Theologum quendam Tholosanũ conuincerent, quôd Deiparam sanctissimam peccatum originale habuisse in Tholosæ gymnasio determinasset. Accidit, vt die disputationi designato, integer, & sanus, vt suam opinionẽ defensaret, è lectulo consurgens, subitó, mirantibusquê Pontifice, & Romana Curia, corruerit mortuus. Quem euentum clarè verum esse confirmat, quod (teste Carthagena vbi suprâ) Doctor Ioannes Americius in sermone Conceptionis, quem coram Synodo Tridentina habuit, plures cõcionatores refert in graues morbos incidisse, aliosquê mortem obijsse, propterea quôd cõtra Immaculatam Conceptionem concionati fuerint. E cõtra verò illam defendentes â languoribus liberati credam. Vnde sapientissimus Iesuita Pineda in concione de Immaculata Cõceptione ad vrbem Hispalensem habita, Didacum Lainez Beati Ignatij indiuiduum comitem, â febre, qua laborabat, liberatum esse refert, eo die, quo coram sacra Tridentina Synodo publicam concionem de Immaculata Mariæ Conceptione habuit.

Carthagena.

Pineda in concio. de Immacul. Conc.

Sed antiquiora quærens, insignia alia miracula silentio non inuoluam. Primum sit, quôd Reuerendissimus Episcopus Sosa in approbatione libri Doctoris Luzeri ad Illustrissimum Toletanum Antistitem refert. Narrat enim, quôd cum subtilissimus Ioannes Duns Scotus Parisijs morans, ex Franciscano Cœnobio ad huius mysterij, quod versamur, disputationem in locum designatum accederet, imaginiquê Deiparæ sanctissimæ, quæ supra ianuam Regij sacelli extat, flexis genibus humiliter dixisset: *Dignare me laudare te virgo sacrata.* Imago ipsa caput inclinauit. In cuius signum modô sic perseuerat, durante apud Parisienses huius miraculi traditione, & virginei capitis inclinatione, quæ aliâs contra rectas

Episcopus Sosa.

Scotus.

S archi-

architectandi regulas esset, nisi ab hoc miraculo principium habuisset. Ex quo miraculo manifestè liquet, quãtum Beatissimæ Virginis eius Immaculatæ Conceptionis defensio placeat, cùm tale suæ voluntatis signum ostentauerit.

Huic etiam miraculo proxima sunt alia â Carthagena vbi suprà relata, quibus constare videtur, quantum opposita sententia Deiparæ sanctissimæ displiceat. Primum est, quod Franciscus de Mairon in sermone de Conceptione Virginis refert. Dicit enim, quòd Magistro cuidam volenti contra Deiparæ illibatum Conceptum concionem publicè agere, apparuit sanctissima virgo, dicens: *O Magister, quid ego vnquam tibi feci, quia hoc mane vis contra meum honorem prædicare?* Quo visu sententiam reuocans, Immaculatam Conceptionem Virginis Parisiensi ciuitati promulgauit. Secundum refert Pelbartus in Stellario lib. 4. part. 2. artic. 3. ait enim, quòd cùm concionator quidam post concionem contra Deiparæ Conceptionem habitam ad missam celebrandam in altari, vbi pulchra erat Imago Virginis accederet: illa veluti irata vultum suum retro conuertit, vsque hodie in Conuentu Tholosano Minorum sic perseuerans. Quo miraculo stupefactus, & cæcus concionator factus, continuò votum emisit retractandi, quæ dixerat: sicquè ex Virginis clementia sanatus est.

Carthagena.

Franc. de Mairõ ser. mo. de Cõcep. Virginis.

Pelbartus in Stella. lib. 4. p. 2. art. 3.

Afferam quoque alia duo, quorum primum adducit Baconius noster vbi supra ex Alexandro, quòd cum quidam singulis annis in die Conceptionis legere voluisset, cum alijs legebat, semper repentino morbo extitit vexatus, ita quòd nec legere potuisset, vnde postmodũ dictum festum celebrandum cunctis prædicauit. Cui etiam proximum vel prorsus idem videtur: quòd ex Alẽsi in libro de Beatæ Virginis Conceptione doctus Carthage-

Baconius.

thagena recitat. Affirmat enim ipſe Alenſis miraculum, quòd ſibimet contigiſſe, per quod primò inductus fuit ad defendendam Immaculatæ Virginis Conceptionem: nam cum ſæcularis exiſtens illam grauiter impugnaſſet, graui quoque morbo correptus eſſet, de eâ in poſterum defendenda votum emiſit, quo ſubito ad priſtinam ſanitatem reuocatus, acerrimus fuit Immaculatæ Conceptionis propugnator. *Carthagena.* *Alenſis.*

Et quamuis, vt verum dicam, Prouinciam magnam capiant, qui omnia ſanctiſsimæ Deiparæ miracula referre voluerint, plurimaquè mihi occurrant, quæ narrare poſſem, ita vt liceat Ouidianum illud de remedio amoris 2. vſurpare. *Ouid. lib. 2. de remedio amoris.*

Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?

Miracula tamẽ alia, quę in Hiſpania noſtra acciditſſe, approbãt aliqui, non inuoluam ſilẽtio. Primũ eſt, quôd vnũ ex miraculis, quod ſedẽ Apoſtolicã maximè ad canonizationem ſancti Didaci Complutenſis inſtigauit, factum fuit media Imagine Conceptionis Deiparæ, vt refert ex Peña ſacræ Rotæ auditore, Vincentius Iuſtinianis ex Prædicatorum familia tractatu iam citato. Secundum refert idem Vincẽtius, vt Hiſpanis notum, factum quê in Oppido Vulgo *Cañabate*. Publicè quoquê vniuerſa Hiſpania nouit (vt teſtatur ſæpê adductus Carthagena) quód cùm ſereniſsimus Catholicus Rex Caſtellæ multo tempore, pro capienda â Mauris inclyta Granatenſi vrbe, in vanum laboraſſet. Tandem ad ſanctiſsimæ Virginis adiutorium fugiens deuotê vouit, ſi ei de prædicta ciuitate victoriam daret, primum illius templum in honorem ſanctiſsimæ eius Conceptionis dedicãdum fore. Quo emiſſo voto glorioſam de inimicis victoriam reportauit. *Peña.* *Vincent. Iuſtinia.* *Carthagena.*

Moleſtum tandem eſſet miracula alia perquirere:

quibus enim hæc sufficientia non erunt, plura alia cur referemus? Sufficiat nunc ista à viris grauissimis tradita fuisse, nec credibile esse eos, vel latum vnguem veritatem excessisse, cûm constans sit Theologorum sententia, miracula fingere, grauissimum esse peccatum. Ex illis autem validissimè roborari nostrum intentum negabit nullus, quomodo enim, aut imaginari potest, miracula aliqua pro falsa confirmanda opinione, à Deo patrata fuisse? Cûm ergo pro Virginis Immaculata Conceptione miracula plura à Deo sint effecta, vt colligi potest ex dictis, negari nequit, eam veritatis scopum attingere. Quod argumentum validius apparebit, si oppositæ partis defensores consulas: illi enim nullum (quod sciam) pro illa miraculum ostendent. Nec credibile est profectô pro Deipara sanctissima peccati macula inficienda, miraculum aliquod eius filium effecisse.

Ex Christi Apostolorum testimonio, eorumquè discipulorum dictis, qui in primo, & secundo annorum centenario post Christum vixere, confirmatur nostra sententia. Cap. 16.

Caiet opus. de Cõcep. Virg.

TEnaciter adeô & obnixè, Cardinalis Caietanus (existimans sine dubio se obsequium præstare Deo) in dicto Opusc de Conceptione Virginis, contrariæ sentẽtiæ adhæsit, vt de nostra loquens dixerit: *Propterea non est mirum, si nullus sanctus, nullus illustris Doctor antiquus pro hac parte afferatur, nisi fortè à falsarijs.* Vt tamen huius dicti falsitas innotescat, simulquè constet sententiam nostram,

ſtram, non modò â pluribus, & illuſtribus, ſed Illuſtriſſimis etiam Patribus, & Doctoribus antiquis, & neotericis doceri, ad modum Chronologiç procedens, per ſingula ſæcula, ſeu annorũ centurias â Chriſto nato diſcurrens, dicta ſanctorum Patrum, & Doctorum, qua potuero fidelitate ſedulò referam. Et quia Caietanus exigit à nobis, *vt authoritates ſanctorum, & antiquorũ, non in genere, ſed in ſpecie, peccati originalis maculam negantes à Beata Virgine*, proferamus, importunus in hoc exactor apparet. Si enim ad myſteria fidei grauiora comprobanda, non ita ſpecialia Hæretici petũt teſtimonia, cur Catholicus Theologus tam ſcrupuloſè nobiſcum agere vult, vt ſolùm clariſſima, & ſpecialiſſima teſtimonia nobis fauere velit? Quare diuerſi generis teſtimonia proferam, alia, quæ clariſsimè, & ſine vlla probabili tergiuerſatione originale crimen â Maria relegant. Alia etiam, quæ generaliter ab ipſa ornne peccatum tollunt, quæ noſtro fauere inſtituto manifeſtum erit, cùm ſub generali regula, præſertim ſi negatiua ſit, particularia omnia contineri nemo dubitet. Cùm ergo aliqui Patres dixerint in Maria *nullum fuiſſe peccatum* ſi ſub hac vniuerſali locutione cuilibet Theologo licebit, veniale etiam comprehẽdere, cur originale etiam, quòd multò peius crimen eſt, non comprehendemus? Præſertim quia vox *originale*, non ita applauſibilis Patribus eſt: in paucis enim ante Auguſtinum illa reperietur; quare vt hoc crimen à Deipara denegaſſe Patres exiſtimentur, ſufficiet ſanè, peccatum omne ab ipſa relegare, vt ſub hac vniuerſali, originale etiam ambiri credamus. Inſuper teſtimonia alia ſanctorum affirmantiũ omnium gratiarum plenitudinẽ, & abundantiam, omniaquê priuilegia in Dominica Matre requieuiſſe, cur in mediũ nõ producam? Aut quare inde non eliciemus priuilegiũ præſerua- *Idem.*

tionis

tionis â communi peccato naturæ? Omnia igitur, quæ hoc, vel alio probabili modo noſtræ adſtipulentur ſententiæ, afferre curabo, & in hoc capite, Apoſtolorum, eorumquè dicta Diſcipulorum, qui primis ducētis poſt Chriſtum annis floruere, adducam

S. Andr. Horum primus eſt ſanctiſsimus Andreas Apoſtolus, Petri germanus, & primus qui Apoſtolorum ſecutus

Abdias Babyloni cus. eſt Chriſtum; quem Abdias Babylonicus lib. 4. ſuæ hiſtoriæ refert dixiſſe: *Sicut de Immaculata terra, & nunquã mal. dicta factus fuerat primus homo, ita ex ſemper Immaculata Virgine formatus fuit ſecũdus Adam.* Quę verba Proconſuli Egeæ dixiſſe Andream narrant Presbyteri Achaiæ, in libro de paſsione ſancti Andreæ, vt referunt

Card. Bellarminus aliqui. Videatur Cardinalis Bellarminus lib. 4 de ſtatu peccati cap. 15. & Caniſius lib. 1. cap. 7. Hæc verò vel ſi-

Caniſ. lib. 1. c. 7. milia, non ſolùm maximę authoritatis, incomparabiliſquè dignitatis ſpecimen præbent, cùm à ſanctiſsimo Andrea, & initio orientis Eccleſiæ ſint dicta; ſed & magni ponderis eſſe debent, cum in illis Deipara ſanctiſsima, terræ, ex qua Adamus primò creatus eſt, comparetur: cùm enim hæc terra nullam à Deo maledictionem ſubierit, quando corpori Adamico fabricando deſeruijt, ſic de Maria auguſtiſsima, quæ ſecundo Adamo Chriſto ſuppeditauit materiam, nullam peccati incurriſſe maledictionem, ſentiatur. Nec difficultatem fugiet, qui dixerit, nullam actualem maculam incurriſſe, neutiquã verò originali caruiſſe. Nam præterquam quòd hæc doctrina non rectè cum illis verbis: *Ex ſemper Immaculata Virgine*, congrueret: adhuc tamẽ huius fugę authores interrogare uelim, an ex eis colligant Deiparam non habuiſſe veniale peccatum, an non? Si ſecundum dicant: parcè nimis de Deigenitricis dignitate ſentiunt. Si verò primum (quod & ego affirmo) cur ex eiſdem, peccato origi-

originali caruisse non inferent, cùm multô maior macula originalis, quàm venialis sit?

Proximus huic Apostolo alter est, etiam Christi Apostolus Iacobus frater Domini, qui primus Hierosolymorum Antistes anno Christi 34. iuxta Eusebium in Chronico, aut 35. iuxta alios, ordinatus est. Scripsit autem Lythurgiam, quam agnoscit, & probat Proclus Constantinopolitanus Patriarcha, qui in Synodo Ephesina contra Nestorium dimicauit, & sexta Synodus Constantinopolitana, cap. 32. Huius autem sanctissimi Iacobi verba, ut videre est in Christophoro Castrensi in historia Deiparæ cap. 2. hæc sunt: *Dignum est, vt te verè Beatam dicamus Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis irreprehẽsam, & Matrem Dei nostri.* Et etiam: *Commemorantes sanctissimam Immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei.* Si hæc verba pio animo pensitentur, comperiemus certê per ea â sanctissima Dei Matre peccatum originale relegari. Quomodo enim cum maximo illo crimine stare posset eam esse *omnibus modis irreprehensam*, & esse *Immaculatam*, quemadmodum Iacobus testatur? Ex his autem, & ex dicendis mihi probabile est, illius temporis Christianos, talem de Dei Matre existimationem habuisse, vt neutiquam originalem labem contraxisse crederent.

Iaco. Apostolus.

Euseb. in Chro.

Procl. Cõstantinop.

Christop. Castrens.

Iacobus.

[redacted]

de Ephes.

[redacted]

Luzerus vt sup. [illegible]

Phosphō. [illegible]

Luzerus vbi sup. [illegible]

Hanc quoque veritatem Apostolorum Discipulis omnino infixam extitisse, ex vno illorum Beato Ignatio elicere licebit. Fuit autem Ignatius simul cum Papia, & Polycarpo Euangelistæ Ioannis auditor, sedemque Anthiochenam ab anno 71. Christi vsque ad [illegible] tenuit. Extant verò huius præclarissimi viri [illegible] mæ quoque Epistolæ ad diuersos, inter [illegible] Apostolum Ioannem leguntur. In [illegible] betur: *Quidam notificauere eandem* [illegible] *gratiarum abundantem, & omnium* [illegible] *nis, virtutis & gratiæ fæcundam.* [illegible] cat

Ignatius in 1 Epistola ad Ioannem.

cat mihi Ignatius illius temporis Christianos, hanc de Maria existimationem habere, vt eam originali crimine caruisse, pernoscerent. Aliàs quo modo eam *omnium gratiarum abundantem*, & rursus *virtutis & gratiæ fœcundam* appellaret, cùm hoc præseruationis priuilegium illi deesset? Et postquam innumera de virtutibus Mariæ cõcinnauit hæc protulit in eadem Epistola: *Præterea multi multa referunt de eadem, tamen omnibus per omnia, non audemus fidem concedere, nec tibi referre.* Per quæ quoque olfaciam ego incredibilia hæc apud Ignatium de Maria, priuilegium, quod intendimus continere, nihil enim magis incredibile videtur, quàm filiam Adæ, Adæ labe non fuisse infectam, sed subdit rursus: *Sed sicut nobis à fidedignis narratur, in Maria Iesu humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* Verè hinc inde intentum el. c o, nõ enim sociata Angelicæ naturæ esset humana Mariæ natura, nisi sicut in Angelis beatis, nullum peccatum fuisse cognoscimus, sic quoque idem de ipsa Maria affirmemus. *Idem.* *Idem.*

Prosequitur Ignatius in eadem Epistola, sic dicens: *Hæc talia excitauerunt viscera mea, & cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas sit fari, cælestis prodigij, & sacratissimi monstri* Dulcissima certè verba, & pijssimæ Sancti deuotionis viscera indicantia. Et, vt verum fatear, non leuiter nostrum confirmant intentum. Rectiùs enim (si pij esse volumus) Mariam Beatissimam, *Cælestè prodigium, & sacratissimum monstrum*, esse declarabimus, si hoc priuilegio præseruationis potitam fuisse, existimemus. Monstrum enim significat illud, quod singulare aliquid ignotum, & inauditum monstrat. Qualiter Virgilius Aeneidos 3. dixit. *Ignatius, vt sup.*

Horrendum, & dictu video mirabile monſtrum

Idē Aeneid. 2. & Aeneid. 2.

Nec dubijs ea ſigna dedit Tritonia monſtris.

Prodigium quoque aliquid nouum, miraculoſum, & ſupra ordinem naturæ exiſtens denotat. Vndè Mantua-

Idē Aeneid. 3. nus ipſe Aeneid. 3. ſic concinit:

Sola nouum, dictuque nefas Harpyia, Celeno
Prodigium canit.

Quid igitur nouum, inauditumue, aut ignotum, in Maria, niſi ab originali immunitatem reperiemus? Numquid in vtero ſanctificationem? At iſtam Ieremias & Baptiſta poſſederunt. Numquid in gratia confirmationem? At iſtam quoque Apoſtoli habuerunt. Numquid ab omni peccato immunitatem? Iſta etiam Angeli beati ſunt potiti. Nouum igitur hoc, ſingulare, inaudi tum, & miraculoſum eſt, quòd, cum ſeminali propagatione Maria fuerit concepta, neutiquam tamen originalem labem admiſerit. Quo etiam ſenſu alia eiuſdem Ignatij etiam ad Ioannem in Epiſtol. 2. verba intelligo,

Ignatius. quibus Mariam *Vniuerſis admirandam compellat.*

Ex Patribus, qui vſque ad quadringentos annos poſt Chriſtum floruere approbatur ſententia Cap. 17.

CApite præcedenti ex Apoſtolis, Apoſtolorumquè diſcipulis intētum cōfirmaui, nunc verò (ſic liceat loqui) ex Apoſtolorum nepotibus, illis ſcilicet, qui Apoſtolorum diſcipulis, diſcipuli aſtitere, vſque ad quadringenteſimum annum poſt Chriſti ortum, noſtram roborabo ſententiam. In hoc etenim patientiſſimi Iobi

Iob c. 18. conſilium deſumo, dum cap. 18. dicit: *Interroga generationem*

tionem priſtinam, & diligẽter inueſtiga Patrum memoriam: & poſtea: *Ipſi docebunt te, loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia.* Ab antiquioribus autem initium ſumam. *Idem.*

Sit primus celeberrimus ille Adamantius Origenes Martyris filius, & Eccleſiæ Doctorum Magiſter, qui anno Chriſti 189. natus, per aliquot degens, innumeros ſcripſit libros. Hic igitur hom. 1. ex varijs, quæ conſcripſit, de Deipara ſanctiſsima hæc profert: *Mater eius Mater Immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta, Mater eius, cuius eius, Mater Dei Vnigeniti, Domini, & Regis omnium plaſmatoris, & creatoris cunctorum: illius, qui in excelſis eſt ſine matre, & in terra eſt ſine patre. Huius itaque Vnigeniti, dũ dicitur hæc Mater Virgo Maria, digna digni, Immaculata ſancti Immaculati, Vna Vnius, Vnica Vnici.* Hæc verò noſtræ ſententiæ probationi deſeruire, & cæci videbũt: *Immaculata* namque vocatur, quia nullã, neque actualẽ, neque primordialẽ labem poſſedit. Per vltima quoque verba, *digna digni, Immaculata Immaculati, Vna Vnius, Vnica Vnici,* omnigena quoque puritas Mariana elicitur, qua Dei digna eſt Mater effecta, & qua, ſola, vna, & vnica, inter humanas creaturas peſtiferum ſerpentis hauſtum (hoc eſt) originale crimen anfugit, in quo quia ſoli Chriſto ſimilis eſt, ideó *Vna Vnius, Vnica Vnici,* vocatur. Cui etiam teſtimonio aliud eiuſdem Origenis quod à pluribus etiam ex hom. 1. in diuerſos adducitur, mirificè cõſonat, & ſe ſolo veritatem intentam demonſtrat, ait enim *Mariam fuiſſe, quæ neque perſuaſione ſerpentis decepta eſt, nec eius afflatibus venenoſis infecta.* Quibus verbis clariora non deſidero. Vnde eiſdem vtuntur Carthagena vbi ſuprà relatus, & alij. *Orig. ho. 1. de Dei para ſanc. Origenes. Carthagena vbi ſu prà.*

Origeni adiungitur Gregorius Neoceſarienſis eius diſcipulus, in expoſitione ſalutationis Angelicæ dicẽs: *Gregor. Neoceſ.*

Solam Virginem fuisse sanctam, & prorsus impollutam, corpore, & spiritu. Quæ quoque verba mirificè nostrum sonant intentum: neque enim, si aliquod peccatum commisisset, *prorsus impolluta, corpore, & spiritu* compellari rectè posset.

Hippoly. Trithem. Tertius, quem non incongruè afferunt aliqui cum Suarez in nostrę Thesis firmitatē, est Hippolytus, qui teste Trithemio de scriptoribus Ecclesiasticis, sub Alexandro Principe anno Domini 220. degebit. Huius autem antiquissimi Patris hæc feruntur verba: *Qui dixit, Honora patrem, & matrem, vt decretum promulgatum à se obseruaret, omnem gratiam Matri, & honorem impendit.* In eis autem duo pro nostra sententia reperio: primum quòd asserat Deum *omnem gratiam & honorem Matri impendisse.* Cum hoc autem, quomodo stet eam dedecus peccati originalis admisisse, contrarios arbitros constituo: satis enim dedecoris sanctissimæ Matri permisisset filius, si eam sub diaboli potestate, vel per instans solum reliquisset. Secundum est, hanc gratiam debitam esse Mariæ, quia Mater Christi erat, quam rationem latiùs in sequentibus prosequemur.

D. Cypr. Quartus, quem ex recentioribus plurimi ad hoc propositum afferunt, est Carthaginensis ille Antistes Cyprianus, qui abhinc circa mille quadringētos annos de Deipara sanctissima protulit ista verba, in tractatu de operibus Christi cardinalibus serm. de Nativitate, siue alius, qui sit huius nobilis libri antiquissimus author, loquitur autem de Maria: *Spiritu sancto obumbrante incendium originale extinctum est* (scilicet ab ea.) Hoc autem nescio quare aliqui Theologi, etiam ex his, qui nobiscum sentiunt, solum ad partum virginis accommodent, cùm enim tunc, nullo contradicente,

cente, non fuerit peccatum originale à Maria oblatum, quomodo pro tunc verificari poteſt, quòd *incendium originale extinctum eſt*? Quare cùm Cyprianus ſine vlla diſtinctione, aut determinatione loquatur, pro omni differentia temporis vſurpandum eſt, ita quòd ſemper de Maria prædicare poſsimus: *Spiritu ſancto obumbrante incendium originale extinctum eſt* Id eſt, nunquam originale incendium fuit perpeſſa. Confirmant hoc ſequentia: *Nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus* (non cum omnibus, vt aliqui legunt) *laſſaretur iniurijs.* Idem. Hæ autem iniuriæ communes, commune peccatum originis in ſe claudunt, quod negat Cyprianus affeciſſe Deiparam. Quod corroborat, addens: *Quantam plurimũ à cæteris differens natura communicabat, non culpa*, hoc eſt, quamuis eiuſdem ſpecificæ eſſentiæ Mariam cum cæteris hominibus iudicemus, cum illis tamen conueniebat, natura ſolùm, non culpa, quia nullam, neque actualem, neque originalem habuit. Superabundè hoc quoque explicat, ſubdens: *Vnde matri plenitudo gratiæ debebatur.* Idem. Id eſt, tota poſsibilis gratia Mariæ congruebat. Quare alijs interiectis, ait: *Quòd Spiritus ſanctus non receſſerat à venerabili pectore Matris. Poſsidebat domum ſuam, & templum, quod ſibi conſecrauerat, adornabat: ſeruabat ſacrarium ſuum, & ſanctimoniæ thalamum honorabat: lætificabant conſolationes huiuſmodi animam benedictam.* Idem. Quæ omnia mihi hanc ſanctiſsimæ matris dignitatem præ licant, non enim clariora verba à Patribus antiquis poſtulare debemus.

Sit quintus Sanctus ille Alexandrinus Epiſcopus Athanaſius, qui ſicut pro Verbi diuinitate contra Arrianos feliciter dimicauit, ſic quoque eius Matris ſanctitatẽ, his verbis cõmendauit in Euãgelio de ſanctiſsima Dei para, vt ad noſtrũ propoſitũ attulit Valencia. Appellat S. Athan. autem

autem eam *sanctissimam, & sanctissima ossa, nam ex carne* (inquit) *eius, & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit.* Vbi Mariam, & Christum primis parentibus pro statu innocentiæ comparare videtur: quare sicut in illis pro eo statu nulla fuit macula, sic neque in Maria. Prosequitur clarius: *Dicimus eam igitur, atque iterum, & semper, & vndequaque Beatissimam.* Quomodo quæso *semper, & vndequaque Beatissima*, quæ aliquando, scilicet cum concepta est, miserrimam peccati seruitutem subijt? Inferius vocat Mariam *assistentem Christo, nobis quidem terribili, sibi autem dulci.* Idest nobis irato, quia multa perpetrauimus mala, *sibi autem dulci*, idest, semper placido, & læto, cùm nullam contra illum offensionem in vllo vitæ suo momento admiserit. Quod ne incredibile videatur, adiungit: *Quæ de causa factum est, vt plena gratia appellata sis, vtpote, quæ omni gratia abundares.* A contrarijs ego petam, an gratiam istam præseruationis ab originali, Mariæ denegent, vel concedant? Si secundum? non aliud quærimus. Si primum? Contradicunt certè Athanasio, qui omnigena gratia abundantem Mariam prædicat.

Idē Athanas.

Idem.

Idem.

His adiũgam Magnum illum Monachorum Patrem Basilium, qui circa annum 374. degens, dum laudes Mariæ intonat, in hæc verba ad hoc propositum â Gregorio de Valencia adducta prorumpit, in concione in sanctam Christi Natiuitatem: *Id sæculum, in quo Maria viuebat, nihil cum puritate Mariæ comparandum habuit.* Cum igitur in illo sæculo Baptista vixerit, cuius sanctitas â sanctificatione in vtero cœpit, aliquid amplius præter hanc vterinam sanctificationem, scilicet ab originali præseruationem videtur Basilius Mariæ concedere. Rationem quasi tradit addens: *Vt Spiritus sancti operationem susciperet electa est.* Quasi diceret, nihil mirum hanc

Basilius.

Valencia.

Idem Basilius.

gratiam

gratiam Mariæ concessam fuisse, quæ Christi Mater esset futura. Clariùs id docet subiungens: *Ex sanctitate igitur compacta caro digna erat, vt Deitati vnigeniti vniretur.* Ecce vbi carnem Mariæ *ex sanctitate compactam* vocat, & *dignam, vt Deitati vnigeniti vniretur.* Quod nullatenus cum sententia asserente in illa fuisse originalem maculam stare posset. In hac namque sententia, non diceretur caro Mariæ *ex sanctitate compacta*, cùm dicere posset cum Psalte Regio: *Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Neque diceretur *caro Mariæ digna, quod filio Dei vniretur*, quia originale peccatum eam Deo exosam, & talis muneris indignam reddidisset. *Psal. 50.*

A sancto quoque Basilio eius charissimum Fratrem Gregorium Nyssenum non seiungam, cuius homil. 13. in Cantica, prout Valencia retulit, hæc dicta nostro subministrāt proposito: *Oportebat* (inquit) *Matrem vitæ tam Conceptionem à lætitia inchoare, quàm partum in lætitia perficere.* Vbi supponere videtur Marianam Conceptionē à lætitia inchoatam fuisse: si verò peccati labe inquinatam esse dicamus, mæstam, tristem, & miseram affirmabimus. Hoc etiam sensu intelligo, quæ superius dixerat, videlicet, *Christum de puritate Virginea electum esse.* Vbi non solum Mariam puram in concreto, sed puritatem ipsam in abstracto compellat. Differunt autem abstracta, & concreta, quia illa nihil formæ contrariæ admittunt, quod bene recipit concretum: frigiditas enim nihil caloris secum compatitur, frigidum verò rectè gradus aliquot contrariæ formæ secum comites habere potest. Sic ergo Mariam *Puritatem* appellat Nyssenus, vt credamus nullam peccati labē admisisse vnquam. Quo etiam sensu virgo sanctissima *Vitiorum expers conditio, & puritas incorrupta* ibidem à Nysseno dicitur. *Greg. Nissenus. Valencia. Idem Nissenus. Idem.*

Neque

Neque horum temporum (scilicet ante annũ qua-
Ephrem. dringentesimũ Christi) nobilissimũ testem, Ephrem Syrum, Edessenæ Ecclesiæ Diconũ prætermittam: huius enim verba nostro cohærere proposito testes sunt multi. In oratione autẽ de laudibus virginis de ea loquens, sic vocẽ extollit: *Intemerata prorsusquè pura, Virgo Deipara, Regina omniũ, sublimior cælicolis, purior solis radiis, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & cæteris omnibus superis exercitibus glorioſior.* Hæc autẽ Mariana epitheta adeò insignia sunt, vt ni si in eam nimiũ parci esse velimus, ex eis priuilegiũ immunitatis ab originali macula eliciemus. Põdero tamen singula, *intemerata prorsusquè pura.* Certè verbũ *intemerata*, inuiolatam, incorruptam, nullaquè vitiatam macula Mariam significat. Sic enim Virgilius
Virgilius Aenei. 2. Aeneid. 2. fidem intemeratam vocat eam, quæ nulla infidelitatis nota fuit corrupta:

Si qua est quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides.

Idẽ Aeneid. 3. Vnde etiam Aeneid. 3. sacrificia ritè perfecta iuxta sacrificij rationem, intemerata vocat:

Corripio è stratis corpus, tendoquè supinas
Ad cælum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis.

Ephrem. Sic ergo Ephrem Mariam *intemeratam* compellat, quòd nulla macula, corruptione, aut vitio, viam suam corruperit vnquam. Perpendo etiam sequen-
Idem Ephrem. tia. *Regina omnium, sublimior cælicolis, purior solis radijs, & splendoribus.* Si enim Christifera nostra originalem labem admisit, quomodo *Regina, & sublimior Cælicolis*, in quibus peccatum hoc non exrat? Similiter qualiter *purior solis radijs, & splendoribus* vocari potest, quæ secum tenebrosam peccati caliginem habuit?

Sequen-

Digitized by Google

Sequentia autem, videlicet, *Honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, &c.* ponderatione non indigent, nisi enim nimis diminutè capiantur, sensum, quem intendimus, clarè prætendunt.

Adijciam rursus eloquentiæ flumen Ambrosium, qui teste Castro in Catalogo authorum, ad annum Christi 399 peruenit. Huius igitur augustissimi Doctoris grauissima aliquot referuntur verba proposito nostro conducētia: cuiusmodi est illud Mariæ encomium, *In qua nec nodus originalis, nec cortex venialis peccati fuit.* Sed quia hæc fortè in Ambrosio non reperiuntur, certiora alia quæramus. Et primò, sermone 22. in Psal. 118. circa illa verba: *Quære seruum tuum Domine*, sic loquitur: *Suscipe me, non ex Sara sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.* Quæ posteriora verba, quamuis Vazquez dicta disputatione 117. cap. 3. contēdat, ad Mariam referri non posse: id tamen non credo, quia optimè contextui quadrat, quòd ad ipsam referantur: vndè plures alij hoc testimonio ad nostram cōfirmādam thesem non abutuntur. Ex quo iam liquet, quā clarè pro illa loquatur Ambrosius, cùm ab eo prædicetur Maria, *ab omni integra labe peccati*, quod est totius nostræ disputationis scopus. Hinc etiā idem sanctus Doctor libro de institutione Virg. cap. 5. inquit: *Non de terra, sed de cælo vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit*: vt significaret absdubiè Christiferāvirginē, etsi de terra nata sit, terreum tamen, aut lutulentum peccati puluerem, neutiquam ei adhæsisse.

Ambros.

Idē Ambrosius.

Vazquez dis. 117. cap. 3.

Idē Ambrosius.

Nec omittā os aureū, eloquētiæ flumē, & vtriusq; Ecclesiæ celeberrimū Doctorē, Chrysostomū, qui in Hy popāte Dñi mira dixit de Maria, quæ Latinè versa, hæc sunt: *Magnum re vera Virgo hæc mūdi miraculum*

Chrysost.

est, ecquid enim in rerum vniuersitate queat, ac maius, & sublimius inueniri? Sola hæc cælum, & terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique quidpiam, inter creatas res visibiles, aut inuisibiles, vna hac maius & excellentius inueniri potest. In Lyturgia quoque à Canisio lib. 1. de Deipara cap. 2. allata, sic loquitur. *Verè dignum, & iustum est, glorificare te Deiparam, & semper beatissimam, & penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubim, & gloriosiorem incomprehensibiliter Seraphim.* Quę verba adeò aurea sunt, aureamquè Mariæ sanctitatem indicantia, vt, sine vllo interprete, veritatem à nobis quæsitam clarissimè propalent.

Idem in Lyturg. Canisius.

Ex alijs Patribus, qui in duabus alijs annorũ cẽturijs floruere, fulcitur intentũ. Cap. 18.

INter ea, quę Deigenitrix beatissima in suo illo decachordo Cantico (quia decem versibus constat) *Magnificat* cecinit, hoc vnum est: *Ecce enim ex hoc*, ideò postquam ad Christi maternitatẽ sum euecta, *beatam me dicent omnes generationes.* Quia omnia sæcula, ætates omnes, omniumquè annorum centuriæ, Patrum dicta Marianam excellentiam prædicantibus, sunt refertæ. Constat hoc iam de tempore quadringentos Christi aduentus annos ambiente, nunc autem posteriora consulamus sæcula.

Luc. 1.

Offert se autẽ nobis primus Sophronius celeberrimus, Hieronymo familiaris, græceq; peritissimus, qui in Epistola de Assũptione Mariæ ad Paulã, & Eustochium cõscripta (quã potiùs Sophronio, quã Hieronymo, quia stylus Hieronymũ non redoleat, adscri-

Sophron. in Epistola de Assũptio. Mariæ. Hieron.

adscribēdam esse censeo) sic loquitur quemadmodū ad hoc propositū attulit Castro de Beata Virgine c. 2. *Etsi in sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Maria vero, totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquā aliter; & ideo inquit, Benedicta tu in mulieribus, id est, plus benedicta quā omnes mulieres, ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euā, totū abstulit benedictio Mariæ.* Egregiū hoc Sophronij testimoniū, aurea multa, pro Deiparæ omnigena sanctitate cōprobanda, vtilissimaquè cōfert. Primū est, quòd *in Maria totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit.* Quæram enim à cōtrarijs, an gratia præseruationis ab originali defuit Christo, an non? Si primū dicant, aduersantur fidei. Si secundum asserant, cur idē (quamquam aliter, vt inquit Sophronius) Mariæ nō concedunt? Expendam secundò, quod in his verbis exprimitur: *Quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum hoc abstulit benedictio Mariæ.* Cùm ergo maledictio præcipua per Euam infusa, fuerit originale crimen: *Totum hoc abstulit benedictio Mariæ.* Hoc est, nec leuiter solum, hæc maledictio Mariam affecit. *Castro de B. Virgi. cap. 2.*

Paulò inferiùs sic prosequitur idem Sophronius: *Sic itaque confidenter vniuersa Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, vt vltra Angelorum & Archangelorum dignitatem meritò transcenderit.* In hoc verò immunitatem, quā intendimus à Maria nō defuisse denotari suspicor clarè. Subdit vltra: *Hoc quippe priuilegiū, nō naturæ est sed gratiæ Beatæ Virginis Mariæ, de qua natus est ipse Deus homo.* Vbi inlig is huius prærogatiuæ rationē tradit. Adiungit amplius: *Ante hoc ipsum* (scilicet ante Assumptionē, vt existimo) *fuit vterus Virginis quāuis mūdus, quamuis impollutus & alienus à cōtagione peccati, quāuis sanctus, &c.* Quæ insignia Mariæ *Idem Sophronius.* *Idem.* *Idem.*

insigne quoque eius priuilegium non leuiter indicant. Subiungit tandem: *Nõ immeritò venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur, erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata nive candidior Spiritus Sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans, quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia & iustitia, quæ de cælo prospexit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Laborent contrarij nostri, vt hæc Sophronij verba sibi non esse contraria suadeãt, eorum namque laborem futilem, & inanem reputo.

Idem

Hiero. Cast. sup.

Ad Hieronymum iam Ecclesiæ facem, & sæculi huius quod peragramus, nec non totius Christianę Religionis iubar accedo. Ex ipso autem, celeberrima duo testimonia affert Castro vbi supra. Primum est, Ecclesiast. 10. *Beata terra Ecclesiæ, cuius Rex est Christus, filius ingenuorum, de Abraham, Isaac, & Iacob, Prophetarum quoque & Sanctorum stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id verè fuerunt liberi. Ex quibus nata est Virgo liberior Sancta Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus eius erupit in florem.* Vbi dum Mariæ *nullum fructum, aut germen ex latere* concedit, sed *totum eius fructum erupisse in florem*, manifestat profectò nullam peccati læsionem animam Mariæ vnquam affecisse. Clariùs in 2. testimonio apud neotericos celeberrimo, nobis adstipulatur, in illa igitur verba Psal. 77. *Et deduxit eos in nube diei*, sic inquit: *Certè nubem leuem, debemus Sanctam Mariam accipere: pulchrè dixit, in nube diei, nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Luce quoque clariùs, lucidissimam Mariæ sanctitatem hæc verba declarant, cum eam semper *die, & in luce* fuisse demostrẽt. Quod clariùs nostro fauet intento, cùm suptâ cap. 4. dum locũ

Hieron. in Psſ. 77.

Iobi versaremur, per *noctem*, & tenebras peccatum originale declarari dixerimus.

Quis non desideret, vt magnum illum Aurelium Augustinum, aureum, augustissimumque Doctorem, totius mundi, sanctitate, ingenio, & sapientia prodigium, nostræ sententiæ fautorem adscribamus? Et verò hoc vnum affirmare queam, hunc vnum sanctissimum Doctorem, si eius dicta piè, & vt decet expendantur, propositæ nostræ Thesis Patronum sufficere. Grauissimorum igitur Theologorum vestigia insequens, ex innumeris Augustini libris (quos millenarium superare numerum fatetur Trithemius de script. Ecclesiast.) egregia testimonia nobis conducentia, consignabo. Et in primis, ab eo, quod in ore omnium versatur, exordium ducam, ex 2. de natura, & gratia cap. 36. vbi dicit: *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agimus, habere volo quæstionem.* Subdit causam: *quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincẽdum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Quæ verba egregiè nostro adstipulari proposito Theologi, qui de hoc puncto egere, quales sunt Ambrosius Catherinus, Episcopus Christopolitanus, Suarez, Vazquez, & Valencia, locis citatis, mirificè confirmant.

D. Aug. 2. de nat. & gratia cap. 36.

Trith. de script. Eccles.

Amb. Ca. Suarez. Vazquez. Valencia

Plurima autem sunt, quæ mihi clarissimè persuadent, per hæc verba Augustinum Mariæ originale peccatum abnegasse. Primum est, generalis locutio, *Cùm de peccatis agimus*, & illa: *Nullam*. Si enim licet hæc, ad actualia peccata solùm coarctare, licebit etiam alicui, quo certè fũdamẽto in his verbis, ad mortalia solũ restringere. Deinde, quia in his verbis cõtra Pelagianos disputabat, qui sui magistri doctrinã amplectentes, originale crimen posteros Adami infecisse refragati sunt: cũ ergo, cõtra hos

Iacob. de Val.

Pelagi.

inue-

inuehatur Augustinus, id genus peccati, intelligendū est à Maria denegasse, quod ipsi in mēte habebant, originale scilicet. Rursus 3. quia præponit eā ibidem Augustinus cæteris sanctis, quos aliquando peccasse ibidem docet, vt autē præfectura hæc Mariæ clariùs præfulgeat, dicendum est ipsam originali caruisse. Quartò, quia ad id significat Augustinus se moueri, *propter honorē Domini*: honor autem Domini infinities magis exigit, vt virgo sanctissima originale crimen nō cōmiserit, quā venialia alia. Si ergo propter honorē Domini Theologi cū Augustino concedūt, venialia peccata nō infecisse Mariam, multò id meliùs de originali affirmare debent. Quintò etiam, quoniā vlterius addit, propterea se nullā habere velle quæstionem de virgine, cùm de peccatis agit, quia scilicet *concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*: nam ad hoc munus obeundum multò magis congruit contagium originale non admisisse, quàm venialia infinita.

Tandem vltimò Augustinū hîc denegasse Mariæ sanctissimæ originale cōtagium, ex eo colligūt Catherinus, Vazquez, Valécia, & alij, vbi suprà. nā constans apud Augustinū doctrina est, cū, qui in infantili ætate originale peccatū admisit, etiā in maiori ætate, aliud peccatū cōmisisse: ex eo enim approbat lib. 5 cōtra Iulianū c. 9. in Christo nullū fuisse peccatū, scilicet originale, quia scilicet grādior, nullū cōmisit actuale. *Profectò enim* (inquit Augustinus) *peccatum etiā maior feciſſet, ſi parvulus habuiſſet nā propterea nullus eſt hominū præter ipſum, qui peccatū nō fecerit grādioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominū præter ipſum qui peccatum nō habuerit infantilis ætatis exordio.* Ex quibus tā validissimū Achillē, & (vt exiltimo) indissolubile argumētū

Cather. Vazquez Valencia Aug. lib. 5. contra Iulianum cap. 9.

pro

prò mente Augustiniana exponēda, nostraquè cōfit manda veritate, sic elicio. Ex mēte Augustini. nullus est, qui peccatū originale habuerit, qui etiā ad maiorē ætatē perueniēs, maiora peccata nō cōmiserit. At Deipara sanctissima (iuxta ipsius etiā Augustini mē- *Augst.* tē) nullū admisit in maiori ætate actuate peccatū, ergo neq; originale cōtraxit. Herculeū hūc nodū cōtrarijs dissoluendū offero: caueāt ne frustra laborēt.

Alia quoque Augustiniana testimonia exquiramus, quorū aliqua offert nobis doctus Ioannes Carthagena. Primum est ex libro contra quinque hæreses, vbi in persona Christi ait: *Si potuit inquinari, Manichæe, cùm ipsam facerem, potui & ego inquinari cùm ex ea nascerer.* Vbi pro cōpērto videtur supponere, Christum, & eius Matrem inquinamento peccati caruisse. Secundùm est ex sermone de Natiuitate virginis, vbi ait. *Magnifica illum, ò virgo beatissima, qui te ab omni peccato super omnes præseruauit, quis enim dicere potuit, Sine peccato sum natus? Aut mundus sum ab omni iniquitate, dicere audebit? Nisi virgo illa prudentissima, animatum templum Dei excelsi, quam Deus sic elegit, & prælegit, ante mundi constitutionem, vt sancta, & immaculata Dei esset Mater, & sic ab æterno præseruata, incorrupta ab omni labe peccati?* Quæ verba non expositione, sed pia lectione indigent. Nec valet effugium, si dixeris Augustinum loqui de Natiuitate, non de Conceptione virginis: in Natiuitate namque, quilibet etiam sanctificatus in vtero exclamare poterat, *Sine peccato sum natus.* Cùm ergo id nullum dicere posse, præter Mariam, asserat Augustinus, de Natiuitate in vtero eius sermo intelligi debet. Tertium testimonium est, à Carthagena relatum, ipsius Augustini super Genesim, circa illa verba: *Inimicitias ponam inter te, Genes.* *Carthag. Aug. in lib. contra quinque hæreses.*

Carthag. Aug. sup. Genes.

Digitized by Google

inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum. Vbi sic ait: *Subiectio originalis peccati caput est diaboli.* At millies diuus Augustinus in sermonibus de beata Virgine repetit, Mariam contriuisse caput diaboli, & ex adductis à nobis capit. 3. id liquescit: caruit ergo originali crimine.

Ioan. Patriar. Hierosolymitanus 44.

Audiatur iã insignis noster Carmelita Ioannes Hierosolymitanus 44. Patriarcha, qui in libro de institutione monachorum cap. 32. vt habetur in 8. tom. Bibliothecæ, sic loquitur: *Per hoc namque, quòd ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam paruulam oriri, reuelauit Deus Eliæ, quòd quædam infantula, scilicèt beata Maria, per illam nubeculam signata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parua, nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare. Quæ infantula iam in suo ortu esset mũda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine.* Vbi loqui Ioannem, non solùm de ortu natiuitatis, sed etiam de ortu conceptionis, constat ex exemplo nubeculæ ascendentis de mari amaro, sine aliqua amaritudine, tum etiam ex his, quæ subdit: *Licet namquè nubecula illa, esset originaliter eiusdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusquè proprietatis: mare quippe ponderosum est, & amarum, sed nubecula illa leuis fuit, & dulcis.* Clarissimè id constat ex sequentibus: *Sic quamuis in quolibet alio homine instar maris natura humana sit in sua origine, ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere pressa, vt fateri cogatur: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me: beata tamen Maria de hoc mari, ideſt natura humana, aliter fuit orta; quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ fuit leuis, per immunitatem peccatorum, & dul-*

& dulcis per plenitudinem charismatum. Vbi cum cæteris hominibus in suo ortu præponatur Maria, quantum ad immunitatem peccatorum, & constet Ieremiam, & Baptistam, natos nō fuisse in peccato, vt hæc verba Ioannis veritatem contineant, clarissimè patet loqui etiam de virginis Conceptione, alias falsam doctrinam continerent.

His Patribus addūt aliqui, (& meritō) D. Maximū sermone Assumptionis Mariæ, qui incipit: *Cū aliquid dilectissimi.* Et quāuis non exponant, quisnā iste Maximus sit, an scilicet Constātinopolitanus quidā, qui sub Principe Gratiano anno Domini 380. teste Trithemio claruit, an verò alius Thaurinēsis Episcopus, qui (eodem teste) sub Archadio, & Honorio Principibus vixit anno 420. crediderim tamen hunc postremum esse. Huius igitur hæc sunt verba. *Ductor mortis Diabolus, per cuius inuidiam mors introiuit in orbem terrarum, omne humanum genus, in primo Parente, veneno nequitiæ suæ potauit, quasi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitiauit. Indeest quòd radix vitiata quotidie frondet, frondesquè eius indesinenter per mortem marcescunt, & sæpe contingit, quòd aurum fulgens reperiatur in luto, & ex pungente spina pulchrè rubens oriatur rosa. Hoc enim operante prouidentia diuina ex radice vitiata, sine vitio prodiit virga, quæ intelligitur beatissima virgo Maria, attestante Isaia, qui dicit, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Hæc Maximi verba, maximè quoque nostro fauere proposito neget nullus, tum, quia admirabili antithesi, virginem sanctissimam omnibus opponit, tum, quia docet *ex radice vitiata sine vitio prodijsse.*

D. Maximus serm. Assump. Mariæ. Trithem.

Isaias.

Sedul. in opusc. Pascha. op.

Claruit per id tēpus Sedulius Presbyter natione Sco-

Scotus, qui prosaicæ, & metricæ doctrinæ insignia edidit opuscula, inter quæ Paschale opus præexcelsum obtinet locum, adeò, vt ex illo Ecclesia Catholica ad officia Deiparæ celebranda carmina mendicauerit, qualia sunt illa:

Salue sancta parens enixa puerpera Regem,
Qui cælum, terramquè tenet per sæcula, &c.

& illud:

Gaudia Matris habens, cum virginitatis honore.

Insuper alia, quæ communi applausu acceptantur, qualia sunt hæc:

Nec primam simile visa est, nec habere sequentem,
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

Et quamuis hæc vltima, non incongruè pro nostro roborando intẽto expẽdi possent, clariora tamẽ alia ipsius Sedulij lib. 2. dicti Paschalis operis ferè in principio, in mediũ producã. Sic autem concinnè canit:

Lib. 2. Pasch. ope.

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat, habens, matremq; obscurat honore:
Sic Euæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua virgo piaret.

In quibus videre liquet nostram expressam sententiam. Primò, quòd Mariam *Rosam inter spinas* appellet. Rursus, quia in ea dicit nihil esse, *quod lædat*, aut *obscuret matris honorem*. Læsionem autem Maria habuisset magnam, si commune peccatum non euitasset, ex quo etiam non leuiter honor Maternitatis obscuratus, & minùs nobilis permaneret. Denique, quia de ipsa confitetur venisse, vt *virginis antiquæ facinus noua virgo piaret*. Nimirum, vt peccatũ, quod prima virgo Eua in mundum inuexit, noua virgo Maria à propria persona penitus amoueret.

Ad magnum illum, celeberrimumquè Antistitẽ, nostræ

noſtræ Carmeliticæ familiæ Alumnum, totiuſquè Eccleſię Patrem, Cyrillum Alexandrinum deuenio, qui non ſolum Deiparæ ſanctiſsimæ honorem in Concilio Epheſino, in quo præfuit, contra Neſtorium defendit, ſed alijs quoque locis virgineam ſanctitatem, præſertim, quoad originalis immunitatem, contra aduerſarios approbauit. Primò enim adduci ſolet adhoc intentum lib. 6. in Ioannem capit. 15. vbi inquit: *Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus eſt, & ſacratiſsima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodijt in mundum, excepta, cum peccato originali naſcimur.* Nec dici poteſt ſolùm de natiuitate virginis, non de eius Conceptione eſſe hîc ſermonem: nam ſi hoc ita eſſet, falſum ad minus aſſertum contineret dictum Cyrilli, cùm conſtet Ieremiam & Baptiſtam, ſine originali natos eſſe. Cùm ergo ſolum Chriſtum, & Mariam ſine originali natos eſſe declaret, abſdubiè intelligit de Natiuitate intra vterum, ſcilicet Conceptione, quæ (vt millies dixi) etiam natiuitas vocatur. *Cyrillus Alexan.*

Bellè quoque hoc ipſum eſſe de mente Cyrilli, confirmant alia ipſius verba à Theologis Immaculatæ Conceptionis defenſoribus adducta. Priora addu cit Suarez iam citatus ex homil. 6. in Cõcilio Epheſino, & habetur 6. tom. cap. 6. vbi Angelica melodia hæc de virgine profert: *Salue ſancta Deipara, pretioſus totius orbis theſaurus, lampas inextinguibilis, per quam Diabolus cælo decidit, &c.* Vbi cùm Maria *inextinguibilis lampas* compelletur, facilè innoteſcit inde ſecundùm Cyrillum numquam à Maria ſanctiſsima gratiam iuſtificantem, & illuminantem abfuiſſe, ac proinde, nec vllum criminis contagium fuiſſe amplexam. Vnde infrà ſubdit: *Quis vnquam de architecto audiuit, quòd ſuum ipſius templum conſtruxerit, & in eo habitare prohibi-* *Idem in Conc. Epheſ.* *Suarez.*

tus sit. Vbi rationem, qua & nos aliquando vsi sumus, vtitur & Cyrillus: si enim Maria templum Dei est, Deique manibus fabrefactum, qualiter à dæmone vnquam vitiata, & possessa fuit, vt in ea sit Deus prohibitus manere? Ex eodem quoque Cyrillo lib. contra Nestorium testimonium aliud affert Carthagena iam adductus, vbi ait: *Propter filium, temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum.* Cùm autem non minùs indecorum filio Virginis sit, eandem crimen originale, quam veniale passam fuisse, si propter filium ab ipsa peccatum etiam veniale relegamus, cur non originale?

Idem contra Nest.

Theo. lib. 3. in cāt. Valencia

Ad Theodoretum quoque insignē antiquitatis Patrem, quem Valencia pro nostra sententia confirmanda affert, iā accedimus: lib. igitur 3. interpretationis in Cantica circa illud cap. 6. *Vna est columba mea, perfecta mea,* sic scribit. *Prospiciens Salomon, & diuino afflatus Spiritu tanto antè cernens verbi sponsi purissimi Incarnationem, & quæ ipsum sine semine genuit Sanctissimam Dei genitricem, Mariam illam immaculatissimam, quam omnes hominum generationes vocibus nunquam cessantibus Beatissimam prædicant, quia totius mundi peperit Saluatorem, hoc in sponsi persona canticum cecinit.* Vbi cognomen illud *Immaculatissimam* (quod fateor apud nullum alium reperisse) quàm sine macula Mariam nostram existimarit, facilè demonstrat. Et infrà sic subdit: *Inter tot animas hominum, qui saluantur, sola vt electa columba est, vna illa, quæ Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, quæ puritate profectò cherubim, & Seraphim antecellit.* Quæ quoque verba (si piè capiantur) aduersarijs aduersai, considerent omnes.

Idē The.

Clarus quoque per id tempus nostræ veritatis fautor extitit illustrissimus Cardinalis Arator: in codice namque in Acta Apostolica Vigilio summo Pontifici oblato, populique Romani cōsensu, & applausu recepto, cir-

Cardin. Arat. in Acta post. li. 1.

ca

ça initium lib. primi hæc carmina dixit:

Porta Maria Dei genitrix intacta creantis
A nato formata suo, mala criminis Euæ
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus,
Restituit, quod prima tulit.

In quibus eleganti nimis lepore sanctissimam Theotocon peccati originalis ruinam passam non fuisse declarat. Primò illis verbis: *Mala criminis Euæ Virgo secũda fugat* Secundò in illis: *Nulla est iniuria sexus.* Acsi diceret, nullis in Maria muliebrem sexum addictum esse peccatis. Tandem illis: *Restituit, quod prima tulit.* Nam si originis labem cõtraxisset, quomodo hæc verificari possent, cũ adhuc restituendũ restaret originalis culpæ malum?

Ex cæteris Patribus, qui ante millesimum Christi annum claruere, confirmatur proposita sententia. Cap. 19.

SVfficerent sanè hæc Patrum, grauissimorumquê Doctorum dicta, vt veritatem, quam intendimus, eô, vel maximè, quòd Deiparæ dignitati decentissima sit, reciperent omnes, nec auderet Caietanus proferre, quôd *nullus sanctus, nullusquè illustris Doctor antiquus pro hac parte asseratur.* Verumtamen non his contenti erimus, sed alia, & clariora fortè, nostro instituto deseruientia testimonia proferemus, ex illis Patribus, sanctisquê deducta, qui inter sexcentesimum, & millesimum Christi annum floruere. *Caietan.*

In qua Doctorum serie, primus nobis obuius est Sophronius 63 Ierosolimitanus Patriarcha, diuersus ab eo, quê capite præcedẽti in principio retuli; ille enim tẽpore Hieronymi vixit; hic verô post ducentos annos vsq; ad Ioannẽ qua rtũ Põtificẽ peruenit, teste Castrẽsi in Catalogo *Sophron. 63. in Epist. Synodica ad Sergium. Castr. in Cat. author.*

Digitized by Google

logo authorum. Hic igitur sanctus Patriarcha in Epistola synodica ad Sergium Archiepiscopum Constantinopolitanum, relata in sexta synodo Constantinopolitana act. 11. posteaquè act. 13. approbata hæc protulit: *Vnigenitus Patris filius, &c. Verum intactũ virginitatis ingressus, castitatem lustratæ Mariæ, sanctæ, præclaræquè, & quæ Dei sunt sapientiæ, & ab omni contagione liberatæ, & corporis, & animæ, & intellectus, incarnatus, &c.* Vbi cùm sanctissimam Christiferam *ab omni contagione corporis animæ, & intellectus liberatã*, seu (vt Turrianus vertit) *liberam*, dicat, meritò hunc Patrem nostræ sententiæ patronum esse affirmabimus. Nec id potest intelligi deliberatione ab omni contagione peccati, postquam illam incurrit. Tunc enim significaret etiam illam actualium peccatorum contagionem admisisse, quod absit à Catholico Doctore.

Sexta Synodus Cõstantino. act. 11. & act. 13. approbata.

Turrian.

Sed ex nostra fæliciſsima Hispania sanctus Isidorus Hispalensis Antistes in medium producatur. Quamuis autem, ex ipsius operibus multa fortè nostro proposito conducentia excerpi possent, ex eius tamen Officio Ecclesiastico, Cõcilij Toletani Quarti (vbi sexaginta sex Episcopi astiterunt) iussu compositio, quod postea Hispani nostri *Oficio Mozarabe* nuncuparunt, aliqua depromam. Primò enim officium Conceptionis 8. die Decembris instituit, in cuius vna ex vltimis orationibus sic dicit: *Domine Iesu Christe, qui sic Virginem matrem honorificasti, quousque Conceptionis eius gratia, eam coram te suffragatricem inuenimus, &c.* Vbi, cùm gratiæ Conceptionis mentionem faciat, manifestè ab ea peccatum originale excludit. Clarissimè in Missa Natiuitatis in benedictione Presbyter sic dicit: *Qui Matrem seruauit à corruptelæ contagio, sinum Vestri cordis emaculet à delicto.* Et in Missa Assumptio-

Isidor.

Digitized by Google

ſumptionis in prima Canonis oratione, ſic dicitur: *Talem, multoque verè creditur mirabilem Matrem creaſſe, qualem diuinitus per eam tranſiens, decus virgineum nõ amiſit.* Tunc ſic: illam incorruptam, & immaculatam reliquit, ergo talem creauit. Vnde addit, *dum ab illo creari, ita eſt ab ipſo concipi.* Affert hoc etiam ex Miſſali antiquiſsimo Bibliothecæ Collegij Societatis Cordubenſis, Pater Oxeda cap. 5. ſui primi tractatus.

Huic quoque nobiliſsimo præſuli ſanctiſsimus alius præſul in noſtra Hiſpania diſcipulus; & coætaneus fuit, deuotiſsimus Illephonſus Toletanus Archiepiſcopus, ſanctitate, & ſapientia inſignis, qui ſi- cut ſanctiſsimæ virginis honorem contra hæreticos vindicauit, ſic quoque eius Immaculatam Conceptionem non ſemel expreſsit. Sermone namque ſecundo de Purificatione, & parturitione Mariæ, ſic inquit: *Ergo, in qua clauſtrum pudoris integrum permanſit, nulla diſruptio interemit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis, ei, in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit.* Quæ vltima verba, me quoque non explicante, meam ſententiam non ſolum indicãt, ſed exprimunt: quid enim aliud in toto hoc Apologetico libro defendẽdum propoſui, quàm *in ea nullum peccatum primæ originis viguiſſe?* *S. Illephõſus Archiep. Toletan. de Purific. & parturit. Mariæ.*

Inſuper Beatiſsimus hic Paſtor in libro aduerſus eos, qui de perpetua virginitate ſanctæ Mariæ diſputant, in 8. tom. Bibliothecæ ſacræ ſic loquitur: *Beata virgo Maria, niſi in vtero matris ſanctificata eſſet, minimè eius natiuitas colenda eſſet, nunc autem, quia authoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato, immunẽ fuiſſe.* Et infra: *Nullis ergo, quando nata eſt delictis ſubiacuit, nec originale peccatum in vtero ſanctificata* *Idem 8. to. Biblio.* *Idem.*

contraxit. Ex omnibus autē his verbis, dupliciter mihi videtur noſtræ ſententiæ Patrem, & Patronum, ſe gerere Illephonſum. Primò quidem, quia ex eo probat ſanctitatem Mariæ in Natiuitate, quia eam celebrat ſolemniter Eccleſia: pari ergo paſſu, & omnino adamuſsim dicam ego, Mariam in Conceptione ſanctam fuiſſe, quia eius Conceptionem ſolemniter colit Eccleſia. Cui argumento, niſi per inualidum effugium reſponderi non poteſt. Expendo ſecundò, quòd in his Illephonſi verbis clarè veritas, quam intendimus declaratam eſſe, conſpicitur, dum dicit: *Conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe*: & dum poſtea ſubdit, *nec originale peccatum in vtero ſanctificata contraxit*. Et quamuis hæc verba, infirma eſſe noſtro propoſito, contendat Vazquez, ex eo quòd ſolū de Natiuitate virginis loquatur Illephonſus: im meritò tamē grauis iſte Theologus, grauiſsimi Patris teſtimonium ad noſtram roborandam ſententiā, nobis infringere conatur: exiſtimo enim in illo illibatā virginis Conceptionem exprimere. Primò quidem, quia ita plures alij Theologi, quales ſunt Catherinus, Carthagena, Caſtro, & alij locis citatis, illud intellexiſſe videntur. Deinde, quia ab aliquo Docto Scholiaſte Illephonſi pro noſtra ſententia in margine ſunt notata. Rurſus quia verbum, *nec contraxit originale peccatum*, quo vtitur Illephonſus (niſi extortè nimis & impropriè aſſumatur) idem ſignificat, quod labe originali numquam fuiſſe infectā. Ac præterea id indicat verbū illud *immunem à peccato originali*: Immunis nāque nō dicitur ille, qui aliquo onere obligatus illud iā ſoluit, ſed ille, qui numquā tali oneri obligatus, & addictus fuit. Hoc nāque ſenſu prophani authores hoc nomine vſi videtur: ſic enim Ouid. 3. Metam.

Vazquez
Catherin.
Carthag.
Caſtro.
Ouid. 3. Metam.

Nullum

Nullum passa iugum, curuique immunis aratri. *Ouidius.*
Et Virgilius Aeneid. 12. *3. Meta.*

— — — — *Aspicit urbem* *Virgilius*
Immunem tanti belli, atque impunè quietam. *Aeneid. 12*

Cùm ergo Illephonsus noster, Mariam sanctissimã, numquam originale crimen contraxisse, & ab eo immunem fuisse dicat, clarè nostræ sententiæ patronũ se exhibet. Quod clariùs innotescet infrà cap. 34.

Nec silentio omittam huius temporis, quod peragramus, Doctorem venerabilem Germanum Constantinopolitanum, qui de adoratione venerandæ Zonæ Deiparæ c. 1. (vt referunt aliqui) vocat Mariã *nulli penitus culpæ affinem*. Ex quo inferri potest, nullatenus originale crimen admisisse. Primò, quia si illud aliquando contraxisset, non solùm *affinem culpæ*, sed & culpæ participem eam dicere possemus: affinis namque culpæ, & particeps culpæ idem est, vt notauit Cicero in Catilinam, dicens: *Huic sceleri si paucos putatis affines esse, vehementer erratis.* Deinde, quia contrahens peccatum originale, iuxta doctrinã Augustini lib. 3. contra Iulianum cap. 9. obnoxius est alicui actuali, ac per consequens illi maximè affinis. In nullo ergo proprio sensu affirmari potest, virginem *non fuisse culpæ affinem*, nisi eam ab originali labe immunem esse dixerimus.

German. Constant. de adora. Zonæ Dei par. c. 1. *Cic. orat. in Catili.* *Aug. lib. 3. contra Iulia. c. 9.*

Iniurius quoque veritati, quam confirmo, haud dubiè essem, nisi magnum illum, omnibusque sæculis venerabilem, Ioannem Damascenum in numerum eorum, qui Deigenitricis immaculatam Conceptionem approbarunt, adscribam. Hic igitur beatissimus Pater in oratione prima de Natiuitate virginis, de eius Conceptione loquens, mirifica hæc protulit verba: *Natura gratiam antenertere ausa non est,*

Ioan. Damasc. ora. 1. de Natiui. Virg.

Digitized by Google

ſed tantiſper expectauit, dum gratia ſuum fructum produxiſſet. Quo, nihil dulcius, nihilquè elegãtius pro Immaculata Mariæ Conceptione dici poteſt: vt enim denotet nullum inſtãs, aut minimum durationis, extitiſſe Mariam ſine gratia, ſed ipſam ſemper eam comitatam fuiſſe, hoc admirabili modo dicendi vſus fuit. Quomodò ergo cum hoc Damaſceni dicto ſtare poterit, quòd peccatum gratiam anteuerterit, cùm nec ipſa *natura gratiam anteuertere auſa ſit?* Vnde infrà ſubdit: *O Beatos Ioachimi lumbos, è quibus immaculatum ſemen effluxit.* Prorſus autem ignoro, quo ſenſu Ioachimi ſemen immaculatum dici poſsit, niſi, quia Marianæ Immaculatæ Conceptionis inſtrumentum extitit. Quo etiam ſenſu ſequentia accipienda ſunt: *O præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis formatus fuit ſanctiſsimus fœtus.* Et infrà: *Forte illud excelſi brachium, obtuſum naturæ ligonem, Spiritu ſancto, tanquam digito ſuo, exacuens, viuam ſchalam ſibi ipſi condidit.* Inferiùs quoque: *O ſanctiſsima, quæ Principatus, & Poteſtates feſelliſti, immaculata conſeruata in Dei ſponſam.* Quibus verbis mirificè myſterium declaratur, Principatus namque, & Poteſtates, hoc eſt Dæmonum caterua, quæ ipſius Conceptionem alijs omnibus ſimilem putabant, decepti ſunt à Maria, dum in primo inſtanti ſui eſſe, *immaculata conſeruata eſt in Dei ſponſam.*

Idẽ infra

Idem.

Idẽ infra

Idem.

Damaſc. orat. 2.

Neque his contentus Damaſcenus, inſignia quoque alia, noſtroquè inſtituto vtilia, in oratione ſecunda dicit, vbi inter alia affirmat, ventrem Annæ fuiſſe *locum, in quo Deus arcam ſanctificationis condidit:* vt hinc conſtet, quanto iure capit. 10. dixerimus arcam teſtamenti typicè Mariam adumbraſſe. Similiter

Idẽ ora. 3 oratione 3. dicit: *Conceptionem virginis fuiſſe, collapſi generis*

neris noſtri excitationem, & integram reſtitutionem. Quomodò autem hæc verificari poſſent, ſi ſicut cæteri homines, Maria etiam maculoſam labem originalis admiſerit? Et oratione prima de Aſſumptione: *Gratiæ* (inquit) *abyſſum inuenit, quæ animam non minùs, quàm corpus virgineum cuſtodiret.* Si ergo corpus nullam admiſit corruptionem, quomodo illam anima paſſa eſt? Clariùs oratione ſecunda inquit; *Adhunc paradiſum ſerpens aditum non habuit.* Et infrà eam appellat *immaculatam, quæ cum terrenis affectibus nihil habet commune.* Et introducit virginem hoc modo ad filium loquentem: *Animam meam tibi charam accipe, quam à peccati labe puram ſeruaſti.* Certè nodum in ſcirpo quæret (vt dici ſolet) qui hæc verba, & ſimilia alia, quæ apud Damaſcenum inueniuntur, conetur diſſoluere. Adde etiam in Martyrologio Damaſceni, *diem puræ Conceptionis* notari, vt cum Galatino lib. 7. de arcanis, doćti alij ſcitè aduerterunt. Ex quibus omnibus, & alijs, quæ in ſermone de dormitione Deiparæ dicuntur, noſtram ſententiam pro ſe habere Damaſcenum luce clariùs liqueſcit.

Idem ora. 1. de Aſſump. *Idē ora. 2* *Idem.* *Idem.* *Martyro. illius.* *Gal. lib. 7.*

Reſtat ſolùm, vt ſapientiſsimum illum nomine tenus Idiotam, huius noſtræ ſententiæ fautorem (parum dico) Patrem, & Patronum eſſe declaremus: adeò enim clarè illi adhæret, vt nullumgloſſema, tergiuerſationemuè, eius verba patiantur. Libro igitur contemp. cap. 2. ſic loquitur: *Tota pulchra es virgo gloriоſiſsima, non in parte, ſed in toto, & macula peccati, ſiue mortalis, ſiue venialis, ſiue originalis non eſt in te, nec vnquam fuit, nec erit: ſed adeſt tibi omnis gratia naturalium bonorum, ſpiritualium chariſmatum, cæleſtium donorum.* Attendat hæc verba Caietanus, & qui eum ſequuntur, videantquè qualiter dicere potuit: *nullam eſſe*

Idiota li contemp. cap. 2.

Digitized by Google

ſanctum, nullumquè illuſtrem Doctorem, qui pro hac parte
afferatur, cùm hic Pater abhinc ferè octingentos an-
Genebra. nos (claruit namque ſub Leone 4. teſte Genebrardo
lib. 4. Chronologiæ) noſtram docuerit clarè ſenten-
tiam. Audiatur etiam cap. 6. per hæc dulciſſima verba:
Idē Idio- *Inueniſti Virgo Mariagratiam cœleſtem, quia fuerunt in te*
ta cap. 6. *ab originis labe præſeruatio, Angelica ſalutatio, Spiritus*
ſancti ſuperuentio, & filij Dei Conceptio: ſed qua literò fæ-
liciſsima Virgo Maria iſtas gratias inueniſti? Certè ò ſuperbe-
nedicta Virgo Maria, ſicut Eua gratiam amiſit per ſuper-
biam, ſic tu è diuerſo, gratiam inueniſti, quam numquam a-
miſiſti. Hæc verba, lectione; ponderatione non
egent.

Ex reliquis Patribus, qui poſt mille annos Chriſti nati vixere, munitur noſtra ſententia. Cap. 20.

PLures ſunt, nec minùs docti, ſanctiquè Patres, poſt
Chriſti mille annos degentes, qui veritati noſtræ
Luc. 1. adhæſere; vt ſic Beatæ virginis Propheticum di-
ctum: *Beatam me dicent omnes generationes*, lucidè inno-
Fulbert. teſcat. Inter quos Fulbertus, ſeu (vt Trithemius vult)
Trithem. Fulpertus, Carnotenſis Epiſcopus, vt poſt Caniſium
Caniſius. alij tradidere, ſanctiſsimam Mariam hoc modo ſalu-
tauit: *Aue Maria electa, quæ immaculata ſemper extitiſti*
ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem to-
tius ſanctitatis. Vbi concluſionem noſtram, ciuſquè
præcipuam rationem clarè ſubindicat. Neque enim
ab exordio ſuæ creationis Maria *immaculata* extitiſſet, ſi
quemadmodum aduerſarij volunt, in ipſo Conce-
ptionis primordio grauiſsimam originalis maculam
ad-

Digitized by Google

admisisset. Idem exprimunt illa ipsius verba in serm. Natiuit. *Anima ipsius, & caro ab omni malitia, & immunditia purissimæ fuerunt.* *Idem Fulbertus.*

Ad octoginta annos post mille à Christi ortu, vixit sanctissimus ille Bruno, arctissimæ Religionis Carthusiensium primus Pater. Qui in expositione Psal. 101. circa illa verba: *Dominus de cælo in terram aspexit*, sic fatur: *Hæc* (scilicet Maria) *est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni prætereà contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnouimus, quæ, quia digna fuit, Dominus de cælo in terram aspexit.* Si aliquis sanctissimi huius Patris verba illa vniuersalia, *ab omni contagione libera*, ad actuale crimen solùm coarctet, nimis parcus, & auarus, in Christi Matrem apparebit. Prudentiùs tamen faciet, qui ex illis omnem maculam à Maria defuisse proclamet. *S. Bruno. in Ps. 101* *Psal. 101*

Claruit ferè per id tempus insignis ille, & Hostiensis Episcopus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Petrus Damianus, sapientia clarissimus, Deiparæ què deditissimus, vt plura, quę de eius laudibus intonuit, declarant. Ex hoc autem illustri Benedictino multa depromi possunt, propositum nostrum nõ leuiter adiuuantia. Primò enim ex serm. 3. de Natiuitate Mariæ hæc verba habentur: *Quid sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit?* Hæc sufficerent, sed attendat lector sequentia: *Quid (rogo) vitij in eius mẽte, vel corpore, vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium?* Respuunt hæc aliqui Theologi, vt incõmoda proposito; ast ego recipio, vt congrua nimis. Subdit quoque: *Nec mirũ si cunctorum merita transcẽdat mortaliũ, quæ & ipsam superexcedit celsitudinẽ Angelorũ.* *Petr. Damia. serm. 3. de Natiuit. Mariæ.* *Idem.*

Circa

Circa quæ expendo, quæ sæpius dixi, non prorsus Mariam excellere Angelicam naturam, nisi quemadmodum ista peccati omni labe caruit, sic & illa. Ex sermone quoque de Annunciatione expendantur hæc: *Germinat virga Iesse de tortuosa generis humani radice, & de Patriarcharum arbore, in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem.* Ecce admirabili antithe si *ex tortuosa generis humani radice*, declarat Damianus Virginem originari, quæ *omnem ignorat nodositatem*, ita vt facilius sit nodum in iunco, quàm in hac sanctissima Matre reperire.

Idē serm. de Annū.

Alia quoque eiusdem Damiani verba ex sermone etiam de Annunciat. profert Suarez, quæ intentum bel lè confirmant. *Cùm fecit Deus omnia sua opera valde bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea reconciliatorium aureū, in quo se post tumultus Angelorum, & hominum inclinaret, & requiem inueniret.* Vbi Maria *melius opus* Dei vocatur, & *aureum reconciliatorium*, in quo Deus *requiem inueniret post tumultus* omnium creaturarum. Sicut enim homo, cui alij molestias afferunt, solùm in dilectissimæ sponsæ, quæ sibi nunquam exosa fuit, amore requiescit: sic Deus, cui omnes nos per peccatum iniurioſi fuimus, solùm in Maria requiem inuenit, quæ incorruptum Dei amorem, nullaquê vitiatum iniuria conseruauit. Sed alia ex sermone de Assumptione cur tacebo? Egregia quippe sunt. Sic ibi fatur: *Sola illa Mater filia creatoris, neque descendit, neque cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens consummatione virtutum vestita est.* Quamuis enim hæc verba non satis, quod intendimus exponant, si tamen cum sequentibus iungamus, clariora alia desiderare nequibimus. *Caro* (inquit) *Virginis ex Adā sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ cōuersa est.* Quæ ita perspicua sunt,

Suarez. Damian. de ser. Annuntiat.

Idem.

Idem.

vt

vt non nisi â nimis oppositæ sententiæ dedito eludi possint.

Audiatur modô Iuo Carnotensis Canonicorum Regularium Augustini egregius filius, qui circa annum nonagesimum post millesimum florens, hæc in honorē Virginis protulit verba in sermone de Natiuitate Domini, quemadmodum aliqui nostræ partis defensores attulere. Sic verô dicit: *Quomodo Matrem carnis suæ Dominus sanctificauerit, audiamus, vt inde lætetur Catholicus, immundus confundatur hæreticus: omne quippe nævum tam originalis, quàm actualis culpæ in ea deleuit, sicquè carnem de carne eius sumens, in eandem munditiam, diuinam transformauit.* Vbi verbum illud *deleuit* non denotare præsuppono in Maria peccatum originale sic coiligo, nam aliâs etiam inde inferre licebit habuisse actualia peccata, siquidem eodem verbo *deleuit* dicit Carnotensis ablatum fuisse â Maria *nævum originalis, & actualis culpæ.* Quare idem valet *deleuit*, ac propulsauit, prohibuit, & detinuit. *Iuo in ser. de Natiu. Domini.*

In testem quoque omni exceptione maiorem producam Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum, qui circa annum Domini millesimum centesimum floruit. Cuius egregia aliquot dicta de Mariæ sanctitate extant, quæ non video qualiter ab aliquibus reijciantur. Et quamuis aliqua ex Anselmo Carthagena referat, fateor tamen illa non reperisse, ideoquè ad certiora properemus. Primô enim in cap. 1. 2. ad Corinth. ita scribit: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, siue originalibus, siue etiam voluntate additis.* Vbi clarissimè peccatum originis à Maria relegat. Celeberrimum quoque est illud de conceptu virginali, & peccato originali, cap. 18. sic dicens: *Quamuis ergo de Beatissima Virginē filius Dei conceptus sit, non* *Anselm. Cantuar. c. 1. 2. ad Corinth.* *Carthag. 2. Cor. 1. Idē Anselm. de Cōcep. Virg. & peccato originali c. 18.*

non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice pariente, iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat vt illius hominis (nempe Christi) *conceptio de Matre purissima fieret: nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & virginis filius.* Quæ verba, sicut ab antiquis sententiæ nostræ sectatoribus ponderata sunt, sic quoque à nobis ponderari debent: non enim Maria *ea puritate niteret, qua maior sub Deo intelligi nequit*, si peccatum originale habuisset: purior enim intelligeretur ea creatura, quæ dona charismatum, quæ Maria habuit, haberet, & insuper originalis maculæ expers extaret. In hoc etiam sensu idem Anselmus in lib. de excellentia virginis Mariæ cap. 12. cum ea loquens ait: *Omnia tibi secum possibilia esse donauit* Quæ verba, quando legi, patenter nimis nostrã declarare sentẽtiam mihi visa sunt: nullus enim adeò barbarus intellectus est, qui Deum hoc dono immunitatis ab originali potuisse Mariam decorare neget. Si autem hoc donum possibile est, audiat Anselmum dicentem: *Omnia tibi secum possibilia donauit.*

Ansel. li. de excelẽ. virg. Mariæ c. 12.

Insuper ex eodem Anselmo asserre etiam possumus primò, epistolam sæpius citatam ad Episcopos Angliæ, quam approbat Bacco noster in 4. distinct. 2. quæst. 4. art. 2 & in quodlibetis quæst. 13 affirmãs; multis in locis Galliæ, & Angliæ reperiri, & à se visam Parisijs. Vnde eam recipiunt Episcopus Equilinus in Catalogo lib. 1. cap. 52. lib. 6. cap. 56. Gerson in sermone Conceptionis, Baronius in notis Martyrologij, Bozius de signis Ecclesiæ lib. 9. cap. 8. & alij.

Idẽ Anselmus. Bacco in 4. d. 2. Episcopus Equilinus Gerson. Baronius. Bozius.

Præter

Præter hanc etiam Anſelmi epiſtolam, conciones duas eiuſdem in fauorem Cõceptionis Mariæ, quas nouiſsimè affert Oxeda in dicto tractatu cap. 12. ex Breuiario Eborenſi, meritò pro nobis proferre poſſumus. In ſecũda autem, quæ incipit *Principium*, cuius meminit Bacco noſter in 4. d. 2. q. 4. ar. 1. habẽtur hęc verba inter alia, quibus omnis ſcrupulus, circa mentem Anſelmi, ab aduerſarijs tolletur: *Sed cum ipſa Conceptio fundamentum fuerit habitaculi ſummi boni, ſi peccati aliquius ex primæ prænaricationis origine, maculã contraxit, quid dicemus?* Et inferiùs. *Quis diſſerere audeat totius ſæculi propitiatorium, & vnici filij Dei omnipotẽtis verũ, ac dulciſsimũ reclinatorium, mox in ſuæ Conceptionis exordio Spiritus ſancti gratiæ illuſtratione deſtitutum?* Concludit inferiùs: *A ſeruitute igitur omnis peccati libera fuit.* Attendant hæc, qui Anſelmum pro nobis non dimicare contendunt. *Oxeda.* *Bacco.*

Ex ſanctiſsimo quoque Bernardo, quamuis prorſus aliqui velint nobis aduerſariũ eſſe, propter epiſtolam 174. ad Lugdunenſes Canonicos, aliqua tamen teſtimonia ipſius depromam, quibus facilè mẽtem ſuam pro nobis declarauit. Sermone igitur 4. *de Salue Regina*, qui eſt inter opera ipſius, ſic dicitur: *Tu naſus Eccleſiæ, ſimilis turri celſæ, videlicet dignitate, firma grauitate turris Libani. Libanus mons quidem dicitur dealbatio. altam præ omnibus ſignat innocentiam tuam: innocens ſuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis: nemo ita præterte.* Et iuxta hoc explicat mentem Auguſtini, dicentis, *Virgini collatam ſuiſſe gratiam, ad vincendum omni ex parte peccatum*: quod ipſe explicat, dicens: *Ex omni parte, hoc eſt ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.* Quę adeo ſunt aperta, vt ea obſcurare potius videre mur, ſi explicare velimus. Vnde inferiùs de ea dicit, *S. Bern. ſermo. 4. de Salue Regin.* *Auguſt.* *Idem Bernardus.*

Idem. natam fuisse *superatis originalibus peccatis.* Quæ quidem quamuis doctus amicus Cisterciēsis Monachus obiecisset mihi, potiùs opus amici ex illo accepi. Si enim Maria vel per instans solum peccatis originalibus inquinata esset, quomodo superior extitit? quomodo *superatis originalibus nata est*? Vnde ibidem dicit Bernardus: *Quis vltra dubitet sanctam te immaculatā huic*
Idem. *mundo progenitam?* Vbi verbum *progenitam* ad Conceptionem quando primò genita est absūdubie alludit. Quia tamen aliquis negabit sermonem hunc de *Salue Regina* esse Diui Bernardi, audiat ipsum in sermone, *Signum magnum*, sic dicētem: *Profundissimam diuinæ sapientiæ penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Ecce qualiter Bernardus, quidquid vltra Deum est Mariæ concedit, ac per consequens ab
Idē Bernardus. originali crimine immunitatem tribuit. In eodem quoque sermone prædicat Bernardus de Maria, eam esse, *in qua nihil posuit esse suspectum.* Quomodo ergo in ea potuit esse originalis macula?

Petrus Comestor. Nobilissimus quoque author, Petrus Comestor nuncupatus, ex eo quod (vt testatur Trithemius) scripturarum authoritates in suis sermonibus, & opusculis crebriùs allegando, quasi in ventrem memoriæ manducarit, præclarus nostræ fautor est sententiæ.

Carthag. Vt enim testatur Carthagena, insignis hic Doctor in libello de Conceptione Virginis, mira pro nostra tuenda thesi affirmauit, ex quibus ego ientacula aliquot accipiam. Primò enim inquit: *Oportuit eam ab ipso fundamenti primordio, præ cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegium, quæ secretiorum Dei, mysteriorumque cælestium in se susceptura erat arcanum.* Et infrà: *Scio in Maria*
Idē Comestor. *plus viguisse gratiam, quàm naturam.* Inferiùs quoque

In

In omnibus quæsiuit Mater requiem, & inuenit, in Conceptione quærit, & non inuenies? Bellè certè. Et post multa alia ad propositum tandem concludit: *Dicat ergo, dicat Ecclesia, Salue festa dies, salue dies veneranda Conceptionis, in qua initiatum est sacramentum nostræ Redemptionis, per quam extincta est framea versatilis.* Quæ verba clarè subindicant nostrum intentum. Cùm enim framea versatilis, illa nempe, qua Angelus Paradisum seruabat, ob primum peccatum introducta fuerit, si Maria extinxit hanc framea, ideò est, quia primi peccati particeps numquam extitit. *Idem.* *Genes. 3.*

Sed quis non magni ponderis, & æstimationis esse credat egregia verba celeberrimi Prædicatorum Ordinis insignis Patriarchæ, & antesignani Dominici? Is autem tantæ Religionis Pater in tractatu de corpore Christi, vt refertur in thesauro Catholico Coloniæ edito, & de quo diximus cap. 2. sic ait: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & numquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adã fieri, scilicet Christo, cuius terra, ideſt, Mater virgo, numquam fuit maledicta.* Hæc verba ex hoc sanctissimo Patre eius filijs (si qui iam sunt, qui oppositam tueantur sententiam) dicere velim, simulquè alia Isai. 51. illis intimare: *Audite me, qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Attendite Dominicani grauissimi ad Patrem vestrum, multarum, nobiliumquè gentium Patrem constitutum. Attendite quoque ad Mariam veram Saram, quæ innumeris beneficijs vestram decorauit Religionem. *S. Dominicus in tracta. de corpore Christi.* *Isai. 51.*

Nec video quid ad hæc Patris Dominici verba, eius filij, qui contrariam amplectuntur sententiam, respon-

Malu. respondere possint. Nisi fortè dicant cum Malvenda lib. de Paradiso c. 60. tractatum hunc non esse sancti Dominici, quia (vt inquit) nec Vincentius, nec *Vincent. Antoni.* Antoninus, nec Theodoricus de Apoldia, nec alij, *Theodori de Apold* tales libri vnquam meminerunt. Sed fallitur certè vir doctus; etenim Vincētius in Speculo Historiali lib. 29. c. 26. & Antoninus 3. p. tit. 19. cap. 1. §. 4. & Theodoricus de Apoldia lib 1. cap. 6. & sex alij, quos no- *Oxeda.* uissimè affert Oxeda dicto tractatu cap 7. huius Diui Dominici tractatus mentionem faciunt.

Habēt quoque hi Patres nobilissimum alium suæ *S. Vincē. ser. 1. de Nativita. Virg.* Religionis alumnum sanctum Vincentium Hispanum, quem nostræ adstipulatorem sententiæ fuisse, clarè constat ex serm. 1. de Natiuitate Virginis, vbi inter alia sic dicit: *Quando corpus beatæ Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, tunc Altissimus sanctificauit tabernaculum suum.* Et vetò in his verbis sermonem non esse de sanctificatione virginis, quæ in illa peccatum aliquod supponat, sed de sanctificatione, prout idem est, quod gratiæ, seu sanctitatis infusio, mihi persuasum est, eò quòd adhuc per omnipotentiam Dei impossibile reputo, in eo instanti, in quo est peccatum, simul esse gratiam: opponuntur enim priuatiuè iuxta receptiorem sententiam, & ita nequeunt simul consistere. Si ergo in illo instanti, quo *corpus beatæ Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem* (vt loquitur Vincentius) *sanctificata fuit Maria*; ergo in eo non habuit originale peccatum: numquam ergo tali macula fuit infecta. Vincentij quoque mentem clariùs *Idē ser. 2.* declarat ipse in sermone secundo de Natiuitate, accommodans namque Mariæ Conceptioni illud Ge- *Genes. 1.* nesis primo. *Fiat lux*, sic inquit, vt ostendat Mariam

num-

numquam in tenebris extitisse. *Non credatis, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur : sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cælo fecerunt festum Conceptionis.* Expendat, quæso, lector verba priora, *non credatis, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur.* Potuit ne aliud clariùs pro nostra affirmari sententia? Quid aliud est quod intendimus? Sequentia quoque intentum subindicant. Si enim *Angeli festum Conceptionis fecerunt* : ergo ea fuit immaculata; immaculati namque Angeli, solùm immaculatis exultant, & nullo inquinamento lętantur, aut gaudent.

Claruit per id tempus sanctus Bernardinus Senensis Minoritarum gloria & decus, qui beatæ Virginis familiarissimus, eius Immaculatam Conceptionem expressit. Et quantis eius opera nactus non fuerim, fidedignis authoribus in hac parte credam. Is igitur tom. 1. in serm. 53. disertis verbis illam docet *Virgo*, inquit, *Maria sine Tyranno concupiscentiæ peccati originalis fuit, quia sine eo concepta est.* Luce clariùs Bernardini pietas in Virginem hinc inde liquescit. Sermone quoque 48. tom. 4. sic inquit: *Magis pium est credere, quod non fuerit in peccato concepta, quam credere quod sit.* Per quæ clarè Bernardini in Christiferam deuotio fit manifesta. *Bernard. Sen. to. 1. serm. 53.* *Idē serm. 48. to. 4.*

Celeberrimum quoque, etsi non antiquitate, sapientia tamen, sanctitatequè Antistitem Venetum Laurentium Iustinianum, nostri intenti clarissimum defensorem in medium producam. Qui solus ita concinnè, & clarè Deiparæ Immaculatam Conceptionē defendit, vt vnus pro mille cōtra aduersarios sufficeret. Libro igitur de Casto cōnubio Verbi, & Animæ c. 7. post multa circa mediū sic inquit: *Hæc est origina-* *Laurent. Iusti. lib. de Casto connubio.*

originalis pœna delicti, à qua nemo (quamuis eximia polleat sanctitate) liber exiſtit. Quotquot enim ex ipſa nati ſunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Dei, & hominum, homine Chriſto Ieſu, & ipſius Matre, ſub hac peccati lege ſunt conditi. Et in Faſciculo amoris cap. 7. in fine: *Nemo ab ipſo mundi initio, vſque ad temporis plenitudinem (dumtaxat mediatore, eiuſque genitrice exceptis) iugum damnationis Diaboli euaſit.* Inſuper ſermone de Annunciatione Mariæ ſic fatur: *Quis huius virginis gratiam ſufficit narrare? ab ipſa namque ſui Conceptione in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chyrographo.*

Idē in Faſciculo amoris c. 7.

Idē ſerm. de Annū ciat. Mariæ.

Proinde eam inferiùs vocat, *Ab omni peccati labe extraneam.* Demum in opere, quod de perfectionis gradibus ante mortem vltimum ſcripſit, quaſi vltimam ſui voluntatem conteſtans hæc dicit cap. 1. poſt medium: *Ab hoc quippe originali peccato nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem.* Hæc ſanctiſsimus, & doctiſsimus Patriarcha. Quibus apertè, & cõſtanter ſuam tradidit ſententiam, vt de ea dubitare non liceat. Vnde penitus abijcienda ſunt aliqua, quę ex hoc Doctore contra nos obijciuntur, quia (vt notauit Suarez) nullam omnino difficultatem habent, & de illis videri poteſt epiſtola Philippi Stancharij; quæ in fine operum eius habetur.

Idē in opere de perfect. gradib c. 1.

Suarez.

Philippus Stancharius.

Vltimus, quem in hoc capite adſcribere volui, quia eximius immaculatæ Conceptionis defenſor extitit, fuit ſanctitatis illud prodigium, Beatus Ludouicus Bertran, inſignis Prædicatoriæ familiæ alumnus. Ipſe enim, vt refert Vincentius Iuſtinianus eiuſdem ordinis in vltimo capite additionum ad ipſius hiſtoriam, aliquoties dixit: *Quod ſi antiqui Patres modò viuerent, dicerent, ſcriberentque id, quod & nos ſentimus de immaculata Reginæ cæli Conceptione, ob nimium, quod Pontifi-*

B. Ludou. Bertran. Vincent. Iuſtinian.

rificis, & Ecclesia in eius fauorem fecere. Ex quibus, & alijs liquidò constat, sanctum hunc Ludouicum, nostræ thesis adstipulatorem fuisse, quin, pro illa omnes antiquos Patres, & Doctores, si vigerent modò, dimicaturos existimasse.

Quòd Angelicus Doctor Sanctus Thomas nostræ sententiæ fautor sit iure censendus, quod idem affirmatur de D. Bonauentura. Cap. 21.

IAm pro comperto manebit falsum fuisse dictum Caietani in opusculo de Conceptione virginis, capit. 5. *Nullum sanctum, nullumque illustrem Doctorem, pro sententia nostra afferri posse.* Quantum autem in hoc excesserit, ex capitibus præcedentibus innotescit. In his enim ferè ad quadraginta Patres, sanctos, illustresque Doctores adduximus, quorum alij nostrã clarè expressêrunt sententiam, alij ea dixere, è quibus non immeritò nobis fauere eliciatur, alij tãdem ita sunt locuti, vt, nisi cæci, aut surdi esse velimus, nobis fauere, & adstipulari dicemus. Quia tamen iure optimo aliquis silentium nostrum suspectum habebit, dum Angelicum Thomam Aquinatem omittimus, affirmareque poterit (quemadmodum vulgus autumat) ipsum aduersarium nobis extare: ideò hoc vnum in hoc capite ostendere conabor, neutiquam nobis opponi: quin potiùs pro nobis stare, non immerito, neque incongruè, affirmari posse. Nec mihi fidem adhiberi poscam, sed pijs lectoribus dicam: Operibus credite. *Caieta. in opusc. de Conce. c. 5*

Primò

Primò igitur loca sancti Thomæ, in quibus nostrã sententiam planissimè, & sine tergiuersatione docuit, in medium adducam, vt inde cõstet, quòd cùm in illis clarè locutus fuerit, per ea quoq; subobscura alia, quæ nobis aduersari videntur, exponenda sint.

S.Tho. in expos. Salutationis Angelicæ

Afferamquè primò ex expositione salutationis Angelicæ locum celeberrimum, vbi sic inquit sanctus Doctor: *Ipsa* (scilicet Maria) *purissima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Quę verba Canisius lib. 1. de Deipara cap. 6. retulit, & post eum alij. Sunt autem à nobis magni facienda, tum, propter ipsa, quæ veritatem nostram sine vlla explicatione demonstrant: tum etiam, quia ex Angelici Doctoris instituto, quod erat agere de verbis Angeli *Aue Maria gratia plena*, colligitur ad illorum veritatem necessarium esse fateri, Deiparam ipsam omni peccato etiam primordiali caruisse. Vnde ad id probandum ijsdem capit. 12 vsi sumus.

Canisius. lib. 1. de Deipar. c. 6.

Luc. 1.

S.Tho. in 1. sent. d.

Insuper adhuc clariora verba ipsius Aquinatis in propatulo ponam: in primo namque Sententiarum distinct. 44. art. 3. hæc verba, vt Canisius, & alij notarunt, egregiè conscripsit: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis sine vlla contagione peccati, & talis fuit puritas beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali fuit immunis.* Clarissima hæc quoque sunt, & sufficientia, dummodò clariora alia ex eodem sancto Doctore non eliciantur, vt dicamus nostram sententiam illi maximè in mente adhæsisse.

Caieta. vt sup.

Quæ quamuis viderit Caietanus dicto opusculo capit. 5. nihilominus, quia sibi in mente proposuerat, oppositam tueri sententiam, quasi nihili faciens ad

alia

alia progreditur. Nobis tamen, vt clarissima, pluris æstimanda erunt.

Ex alijs quoque capitibus, sancti Thomę mentem tenere facilè poterimus. Nam 3. part. quæst. 27. art. 4. dum quærit: *Vtrùm Virgo Maria consecuta fuerit, vt numquam peccaret*, sic respondet in corpore articuli: *Respondeo dicendum, quòd illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniātur idonei, secundum illud 2. ad Corinth. 3. idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Beata autem Virgo fuit electa diuinitus, vt esset Mater Dei, & ideò non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam, eam adhoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dicit, Inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, &c. Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccaßet aliquando, tum quia honor parentum redundat in prolem secundùm illud Prouerbiorum 17. Gloria filiorum Patres eorum: Vnde & per oppositum ignominia Matris ad filium redundasset: tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. ad Corinth 6. quæ conuentio Christi ad Belial? Tum etiam, quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitauit, non solum in anima, sed etiam in vtero: dicitur autem Sapient. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideò simpliciter fatendum est, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Aurea hæc verba sanctus Thomas conscripsit; ex quibus validissima tela contra oppositæ sententiæ defensores, si Thomisticam tueantur doctrinam, sic iacio.

S. Thom. 3. p q. 27. art. 4.

2. ad Corinth. 3.

Luc. 1.

Prou. 17.

2. ad Corint. 6.

Sap. 1.

Cantic. 4.

Præclarissimas has rationes, vt probet Angelicus Doctor, nullum in Maria fuisse peccatum actionis,

in hoc articulo affert. Prima est, *quia non fuisset idonea*
S. Thom. *Mater Dei, si peccasset.* Secunda, *quia sicut honor parentum in filios redundat, sic & eorum ignominia filios quoque pertingit.* Tertia, *quia singularem affinitatem habuit Maria ad Christum.* Quarta, *quia Dei filius, qui est Christus, habitauit singulariter in ipsa.* Quinta denique, vt adimpleatur,
Cant. 4. quod dicitur Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Has verò quinque rationes, vel prorsus futiles, & inefficaces esse, vel si efficaces sunt, nostrum quoque intentum confirmare, sic probo. Nam peccatum originis multò maius, infinities peius, & abominabilius est, quocumque veniali: imo, etsi millia millium venialium coniungas, grauitatem vnius originalis maculæ non pertingent. Originale namque piaculum hominem, Deo inimicum, exosum, satanæ mancipium, æternæ pœnæ addictum, â cælorum Regno perpetuò exulem, Diaboliquê imperio subditum reddit: infinita autem multitudo venialium peccatorum nihil horum efficit. Si ergo, vt Angelicus sanctus voluit, propter peccatum veniale non fuisset Maria idonea Mater Dei, & inde ignominia ad Christum filium redundaret, rursus ignominiosum esset hoc singulari Mariæ ad Christum affinitati, & sapientiæ æternæ in ipsa habitanti: nec illud Canticorum quarto. *Tota pulchra es amica mea, &c.* impleri posset: multo magis, & infinities magis, propter originale crimen id fateri debet: ac per consequens, dum actuale peccatum â Maria relegat, â fortiori quoque originale denegabit. Quod argumentum omnino indissolubile puto, sufficiensquê reputo, non solùm vt nostram sententiam firmissimê construat, sed vt eam quo-
Cant. 4.

que

que esse iuxta Thomisticam mentem abundè satis declaret.

Ex secunda secundæ etiam quæstione 10. articu. 12. in corpore, vbi sanctissimus Præceptor conatur ostendere, filios Iudæorum, & aliorum infidelium inuitis parentibus baptizandos non esse, hæc verba desumo: *Respondeo dicendum, quòd maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda, quia, & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet: Vnde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris.* Quod idem ferè docet 3. parte quæstione 68. articu. 10. Ex his verò Theologorum Principis verbis, hoc argumentum eliciam: Ecclesiæ consuetudo, tam in magnis, quàm in paruis; tam in nobilibus, quàm in vulgaribus; tam in doctis, quàm in indoctis; tam in regularibus (pauciſsimis exceptis) quam in sæcularibus habet, Deiparam sanctissimam sine peccati originalis labe conceptam esse: id ergo iuxta mentem Angelici Doctoris tenendum est, qui tantum tribuit Ecclesiæ consuetudini, vt eam authoritati Augustini, & Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris præponat.

S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 12.

Idem 3. p. q. 68. art. 10.

At nobis vehementer obijciunt, quòd sanctus Thomas 3. parte quæstione 27. artic. 2. clarissimè oppositam sententiam recipiat, quod idem fecit in 3. distinctione 3. quæstione 1. articul. 1. & insinuauit 1. 2. quæstione 81. articul. 3. vbi docet *originis peccatum in omnes homines præter Christum deriuari.* Quæ testimonia tantæ authoritatis sunt apud aduersarios nostros, vt omnino à veritate alienum putent, nostrum assertum doctrinæ Thomisticæ cohærere.

S. Th. 3. p. q 27. art. 2. & in 3. d. 3. q. 1. ar. 1. & in 1. 2. q. 81. art. 3.

Et quamuis ad hæc aliquis fortè respondebit, Diui Thomæ mentē in hac parte amplectendam non esse, quia sibi contrarius, & contradicens est. Quando autē quis dicit oppositā, eius dictū admitti non debet, vt constat ex l. *Vbi repugnantia. ff de regulis iuris.* Sed hæc solutio non placet, ideo tres alias adijcere non grauabor.

l. Vbi repugnantia, ff. de reg iuris.

Sit prima, neutiquam standum fore his testimonijs sancti Thomæ, non quidem propter loca pro nobis adducta, cùm posteriora sint, quæ pro aduersarijs adducūtur, & ita illis magis adhærere oporter: sed, quia re vera sanctus Thomas sententiam istam retractauit, quemadmodum docet Carthagena homil. 19. citata §. 6 & ante eum Insignis Theologus Magister Ioannes Vitalis in tractatu de Conceptione Virginis, attestans se specialem quendam librum retractationum S. Th. vidisse, in quo opinionem, quam contra immaculatam Virginis Conceptionem docuerat, retractabat. Ego quidem fateor hanc Angelici Doctoris retractationem non vidisse, sed non video, cur graui Theologo, qualis est citatus Vitalis, in hoc credi non debeatur. Credibile quoque id mihi videtur propter aliqua. Primò, quia quamuis sanctus Doctor iam senex summam Theologicam cōscripserit, senior tamen factus, cùm pius nimis, Deiparæquè deditissimus esset, & ex sententia, quam docuerat, fortè aliquos admirari conspiceret, hinc inde ansam habere potuit, vt eam retractare voluerit. Secundò, quia & in hoc plurium exemplū habebat, quod sequi posset: eius namque coætaneus Alensis, cùm oppositam sententiā in 3. Sententiarum docuisset, nostram tamē postea in libro, quem de Virgine edidit, & Tholosæ incatenatus reseruatur, fuit amplexus. Quod fortè initium sumpsit ex miraculo, quod ipsi accidisse dixi supra c. 15. Ricardus etiam de Media villa, & Dominus Armacanus, qui con-

Carthag. Ioā. Vitalis in tract. de Concept.

Alēsis in opusc. de Virgine. Ricard. de Media Vil la. Armacan

contrariam ſententiam tenuerant, vt aliqui referunt, poſtea palinodiam decantarunt: ille quidem in expoſitione ſalutationis Angelicæ, hic verò in ſermone ſuper illa verba: *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Si autē hoc grauiſſimis contigit viris, quin & Diuo Auguſtino celeberrimisquē alijs Patribus ſimilis ſententiarum retractatio contigit, cur Angelico Aquinati, qui inter grauiſſimos grauiſſimus, & inter pijſſimos pijſſimus fuit, contingere ſic non potuit? *D. Aug.*

Propter eandē cauſam Seraphicus Pater Bonauentura, noſtræ ſentētiæ fautor eſt iure cenſendus. Quāuis enim oppoſitā docuerit in 3. diſt. 3. ante mortē tamen, vt erat Virgini deuotus, in ſer 2. eiuſdem ait, *Fuiſſe plenam gratia præueniente in ſua ſanctificatione, gratia ſcilicet præſeruatiua contra fœditatē originalis culpæ, quam contraxiſſet, niſi ſpeciali gratia præueniente præuenta, præſeruataque fuiſſet.* Immediatē etiam hæc dixit: *Solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis & ipſa Mater eius Virgo.* Moxquē: *Præſeruauit eam Deus à peccato originali, non quod infuit, ſed quod infuiſſet* In quibus omnibus manifeſtē Bonauentura oppoſitæ ſententiæ valedicit, adhærerquē noſtræ: vnde ipſis, tanquā vltimæ voluntati, ſtandum nobis erit. Pro illis videantur ſapientiſſimus Salmeron ad Romanos 5. diſp. 51. & Pater Oxeda, cap. 15. ſui tractatus. *D. Bonau. Idem. Salmeron Rom. 5.*

Secundā quoque ſolutionē huic nodo S. Th. applicabo; conſiſtit autem in eo, quòd etſi demus Angelicum Doctorē aduerſam ſententiam his locis docuiſſe, his tamen tēporibus nullatenus nobis aduerſarius extat, eo quòd ſine vllo dubietatis veſtigio, noſtram, ſi modò vidueret, docuiſſet ſententiā. Quia tamen Caietanus hoc dictū gloſſam ſtultam appellare videtur, ſubdens: *Hanc ergo gloſſam ita verā putarim, quemadmodū verū puto, quòd ſi Chriſtus nunc in terris conuerſaretur, mutaret doctrinam* *Oxe. c. 15*

B. Ludouicus Ber. Vincētius Iustin. Ioānes de Fenario.

nam fidei suæ: ideò authoritate primò, deinde ratione fulciendum est. Authoritatem verò ex innumeris Theologis, Patribus, sapientissimisque huius temporis viris, qui sibi persuasam hanc veritatē tenent, desumam. Et plures omittens Dominicanos tres nō præteribo, B. Ludouicum Bertran, Vincentium Iustinianum, & Ioannem de Fenario eiusdem Ordinis Generalem Priorem. His addam doctum Canisium lib. 1. de Deipara c. 7. Vazquez dicta disp. 117. c. 5. & sexcentos alios: ita vt dicere possim, cōmuni Theologorum voce recipi hoc assertum.

Canisius lib. 1. cap. 7. Vazquez disp. 117.

Ratio quoq; id manifestat, quia Angelici Doctoris ætate, non ita sententia nostra ab Ecclesia fuerat approbata, nec communi colebatur festo, nec multū pro eius defensione Pontifices dimicarunt: vulgaris vox diuisa erat, affirmantibus quibusdam, negantibus alijs, Ecclesiæ quoque Prælati non nimis illi videbantur addicti. Ast nostro, aliàs infœlici, sed in hoc fœliciſsimo tempore, cōmuni Ecclesiæ calculo, etsi nō, vt dogma fidei, recipitur: annua solemnitate vbique colitur: Episcopi omnes, & Ecclesiarum Prælati eam tuentur: Theologi omnes (paucis exceptis) amplectuntur: defendunt vniuersitates, & gymnasia publica libenter accipiunt Principes, & Magnates omnes: &, quod magis est, Pontificum, Conciliorūque decretis, indulgentijs, approbationibus, & fauoribus, ita roborata persistit, vt sit *contra stimulum calcitrare*, eam vel leuiter lædere. Quomodo ergo pijssimus, obedientissimus, & sanctissimus Thomas, qui tantum tribuit, vt vidimus, Ecclesiæ consuetudini, ab ea, si viueret, vel latum vnguem discederet, Vnde Caietani dictum nec audiatur à Theologo, perperā namque sententiam suam doctrinæ fidei à Christo edoctæ

Caieta. 2. 2. quæst. 64. ar. 7.

edoctæ comparare conatur. Meliori certè iure affirmare posset, quod 2.2.q.64.art.7.dixit. Cùm enim in eo articulo decerneret Doctor Angelicus, eum qui se defendendo alterum occidit, effici irregularem; contrariumquè iam nouo iure in Clem. vnica de *Homicidio* sit determinatum, respondet Caietanus: *Quòd si hæc lex tempore sancti Thomæ extitisset, nõ scripsisset hoc.* Hoc, inquam, potiori iure in proposita difficultate affirmare posset. Si verò aliquis iam instet contra hanc solutionem, quòd saltim opposita sententia olim communior, & applausibilior esset, argumentan li causa id admittens, Mantuani nostri versibus, dum de Conceptione virginea ageret, sic de opposita sententia sentio:

Clement. vnic. de Homici. Caietan.

Iam senio exangui frigens sua robora sensim
Perdit: & amissa iam maiestate recedit
Sponte sua, cedítque nouo Latonia Phœbo. *Mantua.*

Quæ nimis proposito nostro cohærent.

Nec patiar sanè tertiam solutionem testimonijs S. Thomæ non adijcere, quòd scilicet, quando Deiparam sanctissimã originali piaculo infectã esse docet, intelligẽdus sit de debito cõtrahendi illud. Quã quidem expositionẽ ab aliquibus, Dominicanis etiã, approbatam video. Pro qua extat celebris ipsius S. Thomæ apparitio Episcopo Fantino Patauij Præsuli facta, vt refert Carthagena vbi suprà ex Bernardino de Busto sermone septimo de Conceptione. Cùm enim miraretur Præsul, quòd Sanctus Thomas Beatam Virginem conceptam fuisse in originali docuisset, apparuit illi Sanct. Doctor hæc dicens: *Scias, Episcope, quòd quando talem opinionem posui, solùm habui respectum ad diuinum statutum, quo Beata Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum*

S. Tho. ad patritio. Carthag. Bernard. de Busto sermo. 7. de Conce. S. Thom.

suum fuisset præseruata: sed Dei filius Matrem suam ab originali macula præseruauit. Hæc Sanctus Thomas. Et ibidem subditur: *Hæc omnia Vicarius ipsius Episcopi fidelissimè exposuit, asserens se à prænominato Domino Episcopo hãc visionem proprijs auribus audiuisse.* Si hæc ita sunt, quæ nullatenus impugnari possunt, constat mens Sancti Thomæ in præsenti, quam ventilamus, quæstione, quid etiam ad eius testimonia contraria respondendum sit.

Illustria quoque aliorum testimonia proposito congrua afferuntur. Cap. 22.

NOllem certè, dum Virginis Mariæ puritatem demonstro, eamquè grauissimis testimonijs confirmo, ea omittere, quæ proposito conducentia sapiens quisque iudicabit. Scio enim vulgare proloquium affirmans: *Acerbè vituperat, qui tepidè laudat.* Mihi quoque Ambrosianum dictum lib. 1. Offic. cap. 3. compertum est: *Sicut pro otioso verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus & pro otioso silentio.* Quibus consonat poeticum illud:

S. *Amb. lib. 1. Offic. c. 3.*

Nam siluisse nocet, multoſquè silentia damnant.

Poeta quidem.

Ideò postquam sanctissimos Patres, & Doctores nostræ partis adstipulatores adduxi, egregia quoque alia testimonia aliorum non prætermittam.

D Ioa. 1. Rex Aragonũ, & Valentiæ.

Et primò pro Regina mundi, Angelorumquè, sereniſsimus Rex Aragonum, & Valentiæ Ioannes Primus loquatur: hic autem egregium quoddam priuilegium in Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionis fauorem edidit, in quo, quia multa, præclaraquè pro ea dicuntur, aliqua solùm afferam. Sic autem incipit

cipit Regia Maiestas: *Quid mirantur Religiosi quidam (ne dicamus, quamquam verius curiosi, superstitiosique homines) singularem Virginem Matrem Benedictam Mariam, fuisse conceptam sine originali peccato?* Et infrà: *Propriæ genitrici, & Virgini semper, in Conceptione, in Nativitate, in vita, in moribus, & demum in omnibus custodiuit singularia, & perfecta privilegia sanctitatis. Quid rursum de tantæ Virginis gloriosa Conceptione ambigitur, de qua nisi magnalia, & mirabilia magna fides Catholica (certitudo miranda) non recipit?* Et interiectis alijs, sic prosequitur: *Defuit ergo tam excellentissimæ Virgini, in conceptu almifici sui corporis, aliquid puritatis, vel gratiæ ob prætensum originale peccatum? quam missus ad eam cælestis nuncius, pacis Angelus, salutando, Aue Maria gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, prædicauit. Quippè taceant vociferatores inutiles, disputatores stolidi, erubescant de tam præclara, Immaculata, & pura Conceptione Virginis violenta producere argumenta, decuit enim, vt ea puritate niteret, qua sub Deo nequit maior intelligi, &c.* Subdit postea egregijs alijs interpositis: *Huius itaque Beatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis colimus puro corde mysterium, & eius festiuitatem solemnem, quam Regia domus nostra quolibet anno deuotæ exultatione concelebrat, & perinde perpetuam nostri prædecessores illustres memoriæ recolendæ, & nos vtique dedicauimus confratriam.* Idem. Idem. Idem.

Tandem pijssimus Rex pro pijssima quoque sententia sic loquitur; *Disponimus, & iubemus per omnia Regna nostra, & terras annuatim, cum reuerentia maxima celebrari perpetuò ab vniuersis, & singulis fidelibus Orthodoxis, tam Religiosis, & clericis, quam laicis, infimis, atque mediis, & supremis. Nec amodo liceat (imò fortiter prohibemus) quibuslibet euangelizantibus, siue prædicantibus verbum Dei, quidquam exponere, vel proferre in aliquam puritatis* Idem.

ipsius Benedictæ Conceptionis iacturam. Sed potius dicti prædicatores, & qui aliud voluerunt sentire, aut voluerint, stricte digitum ori suo apponant, cùm nulla id exigat fides Orthodoxæ necessitas confiteri. Idem. Insuper rigidissima hæc verba subinfert Christianus Princeps: *Perenniter huius serie statuentes expressè, quòd si fortè de cætero aliqui prædicatores, vel cæteri cuiuscumque fuerint conditionis, vel sexus in nostro Dominio, non seruauerint ordinationem huiusmodi, nullo alio præcedente edicto nostro, claustra, domosque suas prorsus deserant: & quamdiu in contraria opinione, in confessione permanserint, fiant tanquam inimici nostri extra omnes terminos Vniuersæ nostræ regiæ ditionis.* Priuilegium hoc, in quo hæc, & alia deuotissimus Rex constituit, legant impugnatores nostri. Illud autem extractum fertur ex libro cui titulus est: *Aureum opus Regalium priuilegiorum ciuitatis, & Regni Valentiæ.* Huiusquè priuilegij mentionem fecit Vincentius Iustinianus Dominicanus, & in tractatu, quem de Conceptione virginis scripsit, Latino, & Hispano sermone translatum extat. Pro illius etiam explicatione eruditissimè laborauit Ioannes Pineda Iesuita, inter Neothericos Doctissimus.

Vincenti. Iustin. in tract. de Concept. Virg. *Pineda.*

Nec solus Ioannes primus, Immaculatæ Conceptionis Regius Athleta fuit: Ioānes etenim Secūdus, Aragoniæ etiam Rex, ferè simile edictum pro eadē, ann. 1451. promulgari fecit, vt constat ex Recopillatione Constit. Cataloniæ volum. 1. lib. 1. tit. 11. Addit etiam Reges Ioannem, Martinum, Alphonsum, & Reginam Mariam, pro purissimæ Conceptionis honore, & reuerentia sanctiones fecisse. Quin ipsemet Ioannes Secundus apud Bilbilem anno 1461. aliam condidit legem, vt constat ex lib. cui titulus est, Thophæa Regni Aragonum lib. 3. & refert Oxeda

Ioan. 2. Rex. *Oxeda.*

da capite octauo. In quibus omnibus satis manifestè apparet, quam rectè, piè, & deuotè Aragoniæ Principes, pro Mariæ purissimo conceptu dimicauerint.

Imperatores quoque insignes, Imperatricis cælorum puritatis egregij defensores extiterunt. Leo namque sapiens, in sermone de Annunciatione edito à Iacobo Gretsero, sic loquitur de virgine: *Cùm adhuc in lumbis paternis contineretis, progenitor tuus clamabat, Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Audisti verè ô filia cõmonitionem, & oblita es populi tui, & sortis, & domus paternæ, sortis videlicet illius, quam Eua progenitrix tui, toti generi distribuit.* In quibus Imperator celebris, in Mariæ Immaculæ Conceptionis veritatẽ, deuotionem præsefert. Extat etiam nostri Inuictissimi Imperatoris Caroli Quinti celebre edictum, vbi tot, ac tãta supremus Imperator, pro Immaculata Cõceptione, eiusquè Regia Confratria profert, vt eisdem armis, quibus vniuersum subiugauit Orbem, pro ea dimicaturum præostentet. Celebre hoc edictum, egregiamquè eius expositionem, apud Patem Oxedam cap. 9. sui tract. reperiet Lector.

Leo Imperat.

Iacobus Gret. ser.

Imperat. Carol. 5.

Oxed. c. 9

Post Regia priuilegia, Regiæ quoque Vniuersitates huic parti adiutrices existunt. Et ab antiquissima gressum capiens, Parisiense decretum (referente Canisio libro primo capite septimo) sic de Maria sentit: *Quòd per nullum instans, vel momentum originali culpæ subiecta fuit, sed speciali priuilegio ab omni macula immunis fuit, & præseruata.* Vndè (eodem Canisio attestante) in ordinem Theologorum neminem Parisienses admittunt, nisi sanctè iurantem, se in asserenda Virginis Matris illibata Conceptione

Decretũ Parisiense.

Cani. lib. 1. cap. 7.

constanter perseueraturum. Quod idem de Vrsaonensi Vniuersitate refert noster Carmelita Sobrinus suprà relatus. In nostra quoque apud Hispanos nobilissima Valentina Academia, quicumque ad Doctoratus gradum recipiuntur, Immaculatæ Conceptioni numquam aduersaturos, se iurant. Quin hæc insignis ciuitas, publico est maiorum suorum iuramẽto constricta, quòd perpetuò Conceptionem Immaculatam defendet: in cuius signum quotannis, Sabatho primo post conceptionis festum, Clerus, & quatuor Mendicantium Religiones solemnem processionem faciunt. Et quia de vniuersitatibus sermonem facio, Complutense nostrum Gymnasium non prætermittam: ocularis namque testis sum, quòd tam Religiosi, quàm sæculares Doctores, adeò ipsius defensores se gerũt, vt nec pro opposita sententia argumentum proponere permiserint, quin doctum quendam pro illa arguere conantem, nec mutire passi sunt.

Acade. Complut.

Nec muliebris sexus, vt inualidus testis in hac causa reijciendus erit, sed pro toto illo Angelica Paula multis sæculis celeberrima Immaculatam Mariæ Conceptionem prædicet. Hæc igitur illustris fœmina, in secunda epistola partis secundæ nostram concinnè nimis adstruit sententiam, ita, vt superfluum sit eius recensere verba. Hanc autem epistolam cum cæteris authoritatem habere liquescit nimis, tum ex authoritate scribentis, tum etiam ex approbatione diputatorum Tridentinæ Synodi, qui fuerũt Aegidius Euscarius, Leonardus Marinus, Archiepiscopus iste, & Episcopus ille, Franciscus Forerius, Dominicani omnes, & Didacus Lainez. Posteaquè per Cardinalem Teanum, & fratrem Paulum Constabilem,

Paula in epistol 2. 2. part. *Aegidius* *Euscarius* *Leonard. Marinus.* *Francisc. Forerius.* *Didacus Lainez.* *Teanus.* *Paulus Constabi.*

lem, rursus approbatæ sunt; vt refert Vincentius Iustinianus in tractatu iã adducto. Cui fœminæ si Beatam Brigittam, eiusque reuelationes iam adductas addas, pluresque alias, sanctitate, religione, & nobilitate insignes; reperierur sanè, in hoc etiam verũ eiusdem Mariæ assertum: *Beatam me dicent omnes generationes.* *Vincentius Iustinian. B. Brigit. Luc. 1.*

Nec mulier illa fortis, totius mundi prodigium, nostræque Carmelitanæ familiæ decus, Teresia de Iesu, Immaculatæ Conceptionis deuotionem occultare potuit. Cùm enim cap. 5. lib. suæ vitæ, cuiusdam conuersionem describeret, illius causam reddens ait: *Deiparam sanctissimam illi auxiliatam fuisse, quia nimium suæ Conceptionis deuotus erat, ipsoque die magnum celebrabat festum.* Vbi manifestè, quantum, & quàm rectè de illibata Mariæ Conceptione sentiat virgo Mater protulit. *Mater Teresia c 5. suæ vitæ.*

Nec grauabor certè, quæ verè castus, & Christianus Poeta Vidas à Canisio sæpius repetitus, inter illustres nostræ partis authores dixit, fideliter recensere, Carmina autem eius ex hymno ad magnam Matrem virginem decerpam. Quondam enim sic dixit de Maria:

Regia progenies genus alto à sanguine Iudæ,
Cui Pater omnipotens pleno se numine fudit,
Gratiaque accepta matres super extulit omnes.

Vidas in hymn. Canisius.

Alibi quoque clariùs veritatem, quam intendimus sic prosecutus est: *Vidas alibi.*

—— —— Postquam diuino fœdere rupto
Primus in orbe parens hominum se perdidit ipse,
Sequè suumque genus veniens corrupit in æuum,
Sola malo exorta est, vetereique imperuia noxæ.

Omitto alia, vt aliorum etiam percipiamus mentem.

Ex

L. sacris. C. de proximis sacr. scrin. l. 12. Ex Iurisconsultorum quoque authoritatibus muniri debet nostrum intentum, multaquè prætermittens, alia, quæ docti quidam aduerterunt, silentio nõ inuoluam. Primum est, quod in l. sacris. C. de proximis sacrorum scriniorum, lib. 12. dicitur: *Quod Mater gaudet priuilegio filij.* Et in l. *bene à Zenone*, C. de quadrip. habetur, quòd *Augusta gaudet priuilegio Principis.* Additurquè in l. Princeps. ff. de legibus: *Imperator eadem priuilegia tribuit Augustæ, quæ & ipse habet*, & vt Glossa explicat: *Quod ad vectigalia non teneatur.* Ex quibus deuotus quisque pro Maria argumentũ eliciet, si enim Christi mater est, & Augusta, ergo gaudet priuilegio Christi, immunitatè scilicet ab originali, licet diuersimodè, nã Christo per naturã id cõpetit, Mariæ verò per gratiã. Insuper vt habetur l. quoties dubium ff. de re iudicata: *Cùm de alicuius libertate dubitatur, semper in libertatis fauorem sententia ferenda est.* Si ergo dubium est inter Catholicos de Mariæ ab originali libertate, *in libertatis fauorem sententia ferenda est.* Cui consonat etiam illud, *cùm iura partium sunt obscura, reo potius est fauendum, quàm actori.* Ream originali piaculo Mariam aliqui accusant, iura partium sunt obscura, cùm adhuc Ecclesia suam non declarauerit mentem. faueamus igitur Mariæ, potiùs quàm actoribus.

L. Princeps ff. de leg. Glossa. L. quoties dub. ff. de reiudica. Regula in iuris.

Tandẽ hoc vnũ testificari possum, quàm plurima scilicet grauissimorum virorum, illustrium, & nobilissimarum personarum, insignium vrbium, oppidorumquè testimonia, quæ huic Deiparæ Immaculatæ Conceptioni fauent, sedulò omisisse, ne libellus in librum grandem succresceret, & multitudo authoritatum suspectam faceret materiam, quam

ver-

versamur, nec mirum sanè laudes virginis omnes recenseri non posse, cùm Beatus Antoninus 3. par: tit. 18. capite octauo suam, & creaturarum insufficientiam ad Mariæ encomia prædicanda, declaret his versibus. *B. Anto. 3. par. tit. 18. c. 8.*

Si fieri posset, quòd arenæ puluis, & vnda
Vndarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia flamma,
Aethera, cælicolæ, nix, grando, sexus vterque,
Ventorum pennæ, volucrum, & pecudũ genus omne,
Siluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Gramina, ros, stellæ, pisces, angues, & aristæ,
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones
Linguæ cuncta forent, minimè depromere possent,
Quæ sit, vel quanta, virgo Regina Maria.

Et certè, si pij esse volumus, hæc creaturarum omniũ indignitas ad laudes Mariæ promendas declarant satis, hoc priuilegium immunitatis à piaculo originali illi non defuisse.

A prauis etiam, & suspectis hominibus Mariam à peccato originali liberam decantari. Cap. 23.

AGesilai Lacedæmoniorum Regis sententia celebris est, qua dicebat: *Quòd cùm quis ab aliquo laudatur conditio, & mores laudantis attendendi sunt, quia boni bonos, mali malos soliti sunt laudare.* Hinc eloquentiæ parens Tullius dixit: *Laudabile est laudari, sed à viro laudato.* Quod melius Iesus Sirach expresit cap. 15. dicẽs: *Non est speciosa laus in ore peccatoris* Quod diserte nimis indicauit Socrates, dum à pluribus *Cicero. Eccle. 15*

lau-

laudatus dixit: *Quid mali feci?* Quod verè affirmauit, quia inter multos, multi quoque sunt praui, qui non nisi praua laudare consueuerunt. Hinc etiam Psalm. 49. peccatorem increpat Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Verumenimuerò, quamuis hoc ita sit, eam tamen virtū efficaciam veritas, & iustitia obtinet, vt quantumuis prauos homines suo iugo deuincat. Quod egregiè Alciatus Emblematographus Alciatus Embl. 28. cui titulus est: *Tandem iustitia obtinet*, hisce depinxit versibus:

Victi sti Telamoniade tu dignior armis:
Affectus fas est cedere iustitiæ.

Liuius. Menander Opportunè etiam dictum est à Liuio: *Veritatem labora re semper, extingui numquam.* De quo Menander.

Tempore omni, quod iustum est vincere par est,
Vnus vir iustus infinitis non iustis
Præstat, Deo, & iustitia adiuuantibus.

Sic igitur in præsenti nostro casu philosophari possumus. Quamuis ab inimicis nostræ fidei plurima dogmata labefactari, exprobrariquè videamus: tamen adeò clarum, verum, & iustum existimant Mariam à peccato originali liberari, vt in eam deuenerint, qua si coactim sententiam. Eos igitur producamus, quia S. Chrys. (teste Chrysostomo) *veritatis maximum argumentū est, cùm quis inimicos ad testimonium adhibet.*

Mahometes. Audiatur primus Mahumetes ille, naturæ pestis, mundi corruptio, & omnium hominum Christianæ Religioni exitiosissimus, ex cuius verbis docti quidam, cum Dionys. lib. cont. Alchor. depromunt: Immaculatum Mariæ conceptum receptissimum pro tunc in Ecclesia fuisse, siquidem ab infestissimo Ecclesiæ hoste receptum constat; igitur teste Galatino lib. 7. de Arcanis in hæc verba prorupit: *Nullus nasci-*

Dion. lib. cont. Alchora. Galatin. lib. 7.

tur

tur de filijs Adam, quem non tangat Satan (& ideò plorat vociferans ex tactu illius) præter Mariam, & filium eius. Si autem, quia solùm Dei prophetam Christum æstimabat Mahumetes, hoc affirmare voluit, si Christum verum Deum (vt nos fatemur) cognosceret, quantò maiori iure Christi matrem à seruitute originalis maculæ liberã assereret? Vnde Mahumetanos, qui Deiparæ Mariæ puram Conceptionem negant, à suis superioribus puniri, affirmauit quidam filius Soldani Armeniæ Auinione in Curia Papæ Ioan. 22. anno 1322. scandalizatus, eò quòd oppositum ab aliquo ibi prædicari vidit. Casum refert Episcopus Christopolitanus super Canticum *Magnificat.* Insuper communiter apud Mahumetanos dicitur: *Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla perfecta vnquam ex mulieribus, nisi Maria Mater Ysæ, sicut Ebumuce ex Mahomet Propheta cognouit.* Et in Azoara cap. 5. Producuntur Angeli sic alloquentes Mariam: *O Maria, omnibus viris, & mulieribus, mundior, & doctior.* His autem Pseudoprophetarum dictis, consonat etiam Mahumetanarum fœminarum in Deiparam sanctissimam deuotio, quam, quia à meo instituto alienam puto, non recenseo: multi tamen de ea multa dixerunt. Consonat quoque maximè id, quod ex Mahumetanorum quodam Principe referunt aliqui: interrogatus namquè, quid nam de Mariæ Conceptione sentiret; respondit: *Credam certè, quòd si Deus Matrem habuit, vt vos fatemini, non minùs ipsam diligeret, quàm me pater meus diligat; atque ita sicut me omnino liberum reliquit, sic & ipse Matrem suã omnimodè liberam, & immunem faceret.* Sic Mahumetanus Princeps solo lumine rationis ductus locutus fuit.

Iacob. de Valen. super Magnificat.

Azoara cap. 5.

Princeps Mahum.

Monstruosum quoque, & exitiale prodigium, etsi

in alijs indignum, vt audiatur, in hac tamen causa
Luther. in conc. de Concep. Cani. lib. 1. c. 8. dignum, Martinum Lutherum, nostri temporis Hæresiarcham audiamus. Hic enim teste Canisio libro primo, capite octauo, festum Mariane Cõceptionis celebrans, in eoquè verba ad populum habens, mira de ea dixit, inter quæ hæc sunt: *Potuit Maria ab omni originali peccato præseruari, donec anima infundenda esset.* Et vt intelligatur non loqui de potentia solùm, sed de
Idem Lutherus. facto etiam, sic statim: *Mariæ Conceptio pie creditur sine originali peccato facta esse, vt, scilicet, in ipsa animæ infusione, vna etiam ab originali præseruata fuerit, diuinis donibus redimita ad accipiendam sanctam animam à Deo infusam. Atque ita in primo momento, cùm viuere inciperet, omnis pec-*
Idem. *cati expers erat.* Tandem ita concludit: *Sic Virgo Maria quodammodo inter Christum, & alios homines, medium tenet. Siquidem Christus cùm conciperetur, & viueret, eo ipso articulo temporis plenus gratia fuit. Cæteri homines sine gratia sunt, tam in priori, quam in posteriori conceptione. At-qui Virgo Maria, quamuis iuxta priorem Conceptionem non plena gratia erat* (vocat autem Lutherus primam conceptionem, naturalem commixtionem maris, & fœminæ) *tamen iuxta alteram Conceptionem* (scilicet eam, in qua anima corpusculo infunditur) *plena gratiæ erat, atque hoc non immerito.* Et infrà: *Cæteri homines, tam anima, quàm corpore in peccato concipiuntur: Christus autem sine peccato, tam corpore, quàm anima, Maria Virgo, iuxta corpus quidem, sine gratia; iuxta animam autem, plena gratiæ concepta est. Hoc sibi volunt verba illa, quæ Angelus Gabriel dicebat ad eam: Benedicta tu inter mulieres. Non enim ad eam dici posset: Benedicta tu, si aliquando maledictioni obnoxia fuisset. Dignum etiam, & iustum erat, personam hanc ab originali peccato præseruari, de qua Christus sumpturus erat carnem, quæ omnia peccata superaret.* Hæc, & alia

& alia ex peſtilenti Luthero affert Caniſius, quæ eò ſolùm titulo libenter audio, quia quem, in cælum, terram, Pontifices, Sanctos, Sacramenta, Eccleſiamquè oprobria iactantem videò, Mariam Virginem lingua ſacrilega attingere non audentem conſpicio. *Caniſius.*

Et quia Lutherum nominauimus, improbos alios ſimilis farinæ homines non tacebo, non quòd illorum præconijs Deipara egeat, quæ meliores encomialtas profectò meretur, ſed, vt lucidiùs conſtet, quàm bene etiam praui Hæretici de Maria ſenſerint. Caluinus igitur circa principium libri de Harmonia Euangelica, ſic inquit: *Celebrari nequit allata nobis per Chriſtum benedictio, quin ſimul occurrat, quàm honorificè Mariam ornauerit Deus, qui vnigeniti filij ſui Matrem eſſe voluit.* Accinit etiam egregiè impius Bucerus in expoſitione Matthæi primo capite: *Pius animus de Maria, vaſe tam ſancto, atque electo, vt Chriſtum nobis pareret, non niſi ſanctiſsima cogitabit.* Accedit Bullingerus, peſsimus etiam homo in ſermone de Beata Virgine Maria, affirmans: *Eam plurimis, maximisquè chariſmatibus à Deo eſſe donatam, atque adeò omnium gratiſsimam, & chariſsimam Deo, mulieribuſquè prælatam omnibus, membrum Eccleſiæ Catholicæ excellentiſsimum, ab ipſis etiam Angelis, omnibuſquè generationibus benedictam.* Præclarum, & illud: *Excellentiſsima ſunt in Maria omnia.* Aequè luculentum eſt illud: *Oportuit puritate omnium ſelectiſsima illuſtrem, & eſſe, & permanere, quæ ſingulariter electa à Deo, in ſacroſanctum filij ſui thalamum, & templum.* Quæ, & alia encomia ab iſtis Eccleſiæ hoſtibus ſurripuit Maria, vt inde nos, qui Catholici ſumus, *Caluin. li. de Harm. Euang.* *Bucer. in exp. Matth. 1. cap.* *Bullinge. ſermo de B. Virg.* *Idem.*

libentiùs maiora de ipsa proferamus : inter quæ numerari debet sine originali contagio virginem conceptam fuisse.

Hebrei. Perfidissima quoque gens recutita, Hebræa natio, quæ adhuc cæca, nihil nisi tenebras tãgit, nihilo minus, vt Galatinus lib.7. retulit, Messiæ Matris sanctitatem prædicat. Primó namq; Rabbini antiqui illam agnouisse videntur, dum *Primum hominem* (ideſt Messiæ Matrem *absque peccato, & macula constituunt.*

Gal.lib.7

Rabbi Simeon. Idquè Rabbi Simeon ex illo dicto comprobat Cantic.4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et

Cantic.4. Rabbi Haccados (ideſt noster sanctus Magister) loquens de Messiæ Matre, dum nos Psalm.79. dicimus:

Rabbi Haccad. *Perfice eam, quam plantauit dextera tua,* legit ipse : *Perfice*

Psal. 79. *abacum, quam plantauit dextera tua.* Per abacum verò, Messiæ genitricem capit, sicut enim in abacis, principes, & Magnates diuitiarum suarum opulentiam ostentant, dum in eis aurea, argentea, & lapidea vasa pretiosiora reponunt; sic genitricem Messiæ omnibus ornamentis Dei maiestati congruentibus decet ornari. Insuper credunt parituram Messiam, fuisse primum lapidem, id est, primam mũdi creaturam; & quia indecens iudicant purissimam hanc fœminam in Adam inquinatam fuisse, ideò in materia Adami particulam quandam constituunt, quàm dicunt in progenitorum lumbis puram omnino reseruari, vt tandem ex ea genitricis Messiæ mundissimum corpus producatur. Istorum somnia nõ laudo, quin maxima vituperatione digna censeo: eorum tamen affectum in hac parte laudare non sinam, dum sui Messiæ Matrem hoc honore decorandam censent, vt originali piaculo orbam concedant. Censeamus ergo

& nos

& nos idem de veri Meſsiæ parente Maria.

Et quia iam ex omni gente, quæ ſub cælo eſt, Iudea ſcilicet, Hæretica, Mahumetana què, Chriſti matris ſanctitas illibata approbatur: ex cæca quoque Gentilitate, quæ dixit excerpamus. Nec eſt cur clara verba de peccato originali in Ethnicis inueſtigemus, cum id, lumine naturali, non olfecerint. Solùm autem proferemus aliqua, ex quibus, quàm altè de Maria ſenſerint elici poteſt. Et primò de Sybillis Prophetiſsis aliqua producam. Sybilla ergo Lybica, Mariam Reginam mundi appellat: *Syb. Lybi.*

Aequus erit cunctis gremio Rex membra reclinat,
Reginæ mundi ſanctus per ſæcula Virgo.

Samia inuiolatam compellat. *Syb. Sam.*

Humano, quem Virgo ſinu inuiolata fouebit,
Annuit hoc cælum, rutilantia ſydera monſtrant.

Excellentiùs Helleſpõtica ſic de Maria noſtra canit: *Syb. Helleſpontic.*

Dum meditor quondam, Vidi decorare puellam,
Eximio caſtam quòd ſe ſeruaret honore,
Munere digna ſuo, & diuino numine Viſa.

Almam quoque matrem Phrygia nuncupat Mariam hiſce: *Syb. Phrygia.*

—— —— *Quum nunciet Angelus Almæ*
Matri, quæ miſeros contracta ſorde leuaret.

Clariſsimè adhuc Tiburtina hæc profert: *Syb. Tiburtina.*

O nimium fælix cælo digniſsima Mater,
Quæ tantam ſacro lactabit ab Vbere prolem.

Sybilla quoque Erithræa, ſic dicit de Maria lib. 3. *Syb. Erithræa.*

Quod tibi tradiderit, qui & terram, & cõdidit aſtra,
Aeui lætitiam, geſti, ac lætare puella,
Inte habitans, tibi nomen erit nunquam periturum. *Plin. lib.*

Omitto alia. Quæ tamen tradidit Plinius lib. 36 cap. 36. c. 1.

1. (re-

Cedren. 1.(referente Cedreno)non præteribo. Argonautæ igitur(Deo instigante certè)templum instruxere cui dedicaretur ignari,ad quod consultum oraculum respondit post multa:

Huius,cui Mariæ nomen sanctissima Mater
Agnoscet templum proprium sibi ritè dicatum.

Ex his igitur,& innumeris alijs,quæ silentio inuolue re placuit, eliciet virgini deuotus, magnam Mariæ sanctitatem, cùm eam tot sæculis antea non solùm in sacris libris,sed in Gentilium quoque scrinijs depictam cernamus.

Superest,vt Erasmum quoque nostræ fidei inimicum,saltem suspectum, in medium producamus. Is autem (Caniso teste vbi suprà) in Apologia ad libros Alberti Pij, sic de Christifera Maria loquitur:

Caniſius. Eraſm. in Apol. ad lib. Alberti Pij.

Quàm magnificè sentiam de sacratissima Virgine, declarat Pæan meus & obsecratio iam toties excussa, præterea liturgia in concione, quam edidi aduersus obtrectatores Virginis, semperquè sani sententiæ, quæ liberat eam ab omni peccato

Idem. *etiam originali* Et postea:*Profiteor mihi magis probari sententiam illorum,qui Mariam faciunt immunem ab omni peccato.* Ac rursus:*Non desunt, qui in templis suis publicè doceant,illam non fuisse immunem a peccato originis, cùm ego*

Idem. *contrarium sentiam in libris meis.* Demum Pæan Erasmicus Mariam his verbis affatur: *Tu felix illa planta, de Ieſſæ radice ſubnata,nihil tamen inde genitalium ſordium trahens.Tu ſacratiſſimum pacifici Regis templum, tam magnificum,vt in eo Rex Olympi præſideret,tam ſacrum, vt nulla vnquam peccati labè potuerit prophanari.*

Huic tandem capiti vltimam manum imponam, affirmans,quòd nullus,quantumuis Barbarus Ethnicus,Indus,Scytha,aut remotissimæ nationis filius,in terro-

terrogatus si deceat eam, quæ veri Dei Mater est, peccato omni liberam esse, respondebit negans: sed credam omnes, iunctis pedibus id affirmaturos, si ergo hi, qui solo rationis lumine ducuntur, hæc de Dei Matre concedent, nos quoque idem affirmemus, qui lumine etiam supernaturali illustrati sumus.

Duabus rationibus immaculata Christi parentis Conceptio probatur. Cap. 24.

IMmensum Oceanum peragrare esset, innumeras, quæ Dei Matris illibatam Conceptionem adstruunt, rationes percurrere, quare brevitati consulens, & ne libellus in fastidiosum transeat librum, aliquot solùm attingam, hoc vnum præmittens, plus quam quinquaginta, nec inefficaces afferri posse. Neque oportet singulas Mathematicas demonstrationes esse, vt enim docet Aristoteles primo Topicorum & Ethicorum capite tertio: *Non est bene instructi Philosophi in omni arte æqualem certitudinem quærere.* *Arist. 1. Topic. & Ethi. c. 3.* In re ergo quæ ex Dei solùm voluntate pendet, congruentijs vti, euidentijs moralibus argumentari erit: *Ea enim, quæ veniunt ex bona coniectura, vera esse dicuntur* vt docet textus in l. finali de *probationibus*. Præsertim tamen, quia, vt Augustinus in sermone Assumptionis Mariæ docet: *Vbi scriptura diuina nihil de illa commemorat, inquirendum est, quid conueniat rationi*, & libro 3. de libero arbitrio adstruit, *quidquid tibi vera ratio ne faciendum occurrerit, scias Deum fecisse.* Si ergo veris, efficaces *L. finalis. Aug. in serm. Assumpt. Idem lib. 3. de libero arbit.*

efficacibusquè rationibus liqueſcat, Virginem ſanctiſsimam immunem eſſe ab originali crimine decere, iiſdem conſtabit, ita de facto contigiſſe. Aliquot ergo argumenta depromam, & in hoc capite duas, quæ mihi videntur efficaciſsimæ, rationes, in medium producam.

Eſto prima Eccleſiæ (quæ columna eſt, & firmamentum veritatis) authoritati innixa. Vniuerſalis namque Eccleſiæ cultus celeberrimè Conceptionis feſtũ celebrat. Nam in Eccleſia Græca ante mille annos hoc feſtum celebrari cœpit, vt ex Gregorio Nazianzeno affert Galatin. lib. 7. c. 4. Vnde in Græco Kalendario, quod à ſancto Damaſceno creditur editum, nono die Decembris deſignatur, & in eo ipſa virgo *ante Conceptionem pura elicitur*. Inſuper in Eccleſia Latina ante quingentos annos celebrari incepit, vt credi poteſt ex his, quæ de huius feſti ſolemnitate apud Carmelitanum Romæ Conuentum dixi ſup. c. 2. Quod demum in Romana Eccleſia & approbatum, & receptum fuit, vt refert Anſelmus in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ dicens: *Non eſſe verum amatorẽ Virginis, qui non celebrat feſtum Conceptionis*. Quibus addit Illuſtriſsimus Baronius in Martyrologio, in Anglia primùm hoc feſtum celebrari cœpiſſe, eiquè nimis opuſculum Diui Anſelmi de peccato originali fauiſſe: deindequè ab Eccleſia Gallica Lugdunenſi, licet cum magna controuerſia receptum, ac tandem ante ducentos annos ab Eccleſia Romana amplexum, & indulgentijs auctum fuiſſe. Cui additur quoque, quòd in Baſilienſi Synodo iam adducta, à cœtu illorum omnium Patrum, ſic dicitur: *Hoc feſtum antiqua, & laudabili conſuetudine celebrari ab Eccleſia Romana.*

Greg. Nazian. Galat. in lib. 7. c. 4

Anſel. in Epiſto. ad Epiſcopos Angliæ.

Card. Baronius in Martyro.

D. Anſel. opuſcu. de peccato origin.

Conc. Baſilienſe.

Nec

Nec his contentus de antiquitate festi Conceptionis, eruditissimus Oxeda in celebri illo tractatu iam adducto, accuratè nimis, diligentissimequè contendit, festum hoc perpetuam inter Christianos omnes traditionem fuisse. Nam illud ab Ecclesijs Syriæ, Aegypti, & Armeniæ receptum fuisse, bellè probat capit. 2. Insuper idem festum ab Abyssinis Africanis celebrari, ex Fabricio in procœmio translationis Syriacæ noui testamenti, & ex Episcopo Zagazabelo Legato Imperatoris Abyssinorũ, & alijs in c. 3. eruditè confirmat. Præterea ex Græcorum Liturgijs, & decreto Imperatoris Emmanuelis Conneni sub Alexandro 3. Romano Pontifice id comprobat capit. 4. Et (quod nostræ Hispaniæ valdè gloriosum est) festũ immaculatæ Conceptionis, in ea à Iacobi prædicatione celebrari, mirè confirmat capit. 5. ex Dextro Barchinonensi in lib. quem vocauit *omnimoda historia*, quam recipiunt D. Maurus Castella, & D. Ioannes Fernandez de Velasco Castellæ Comes Stabilis, & noster Frater Franciscus Iodar de Iesus in specialibus libris de historia sancti Iacobi. Ex his igitur omnibus, & alijs, quæ omitto, validissimum hoc argumentum pro mea opinione constituo. Ecclesiæ namque præcepto, vel saltem (vt olim fortè contingebat) permissione, & consensu, festum immaculatæ Conceptionis celebratur, & colitur: ergo Deipara Maria in sua Conceptione sancta, & immaculata fuit, sine vlla originalis peccati labe.

Oxeda. *Fabric.* *Episc. Zagazabe.* *Emman.* *Imperat.* *Alexan.* *Dexter* *Barchino.* *D. Maur.* *Castel.* *Comes Stabi.* *F. Franc. Iodar.*

Antequã autẽ solutiones (melius dicã sutiles euasiones) quæ huic argumẽto adhiberi solent, penitus corruant, aduerti debet, nulla securitate cõscientiæ, sed cũ magnæ periculo cẽsuræ, aut Ecclesię offensionis, affirmari posse, Ecclesiã in festorũ celebratione

ab errare. Cùm autem non errare Ecclesiam in illorum festiuitate dependeat, ex eo quòd tale festum, sanctum, dignumquè veneratione reputatur, nullo pacto pronũtiari potest, festum illud ab Ecclesia celebratum, sanctum non esse. Ex eo namque, prouidè nimis Ecclesia, nullius sancti, nisi Christi, Mariæ, & Baptistæ, ortum celebrat, quia omnes alios, præter istos, in die natiuitatis piaculo originali infectos esse credit, ex eo quoque sanctorum omnium celebrat mortem, quia die mortis sanctos esse putat. Sanctitas ergo festi, aut sancti, qui colitur, potissima ratio illius celebrationis est. Ex quo insuperabiles vires argumentum positum capit, si enim Mariana cõceptio colitur; sancta ergo est, & immaculata: rursus si sancta est, & immaculata, ergo peccato originali non fuit obnoxia. Cùm enim conceptio instans animationis fœtus declaret, & in eodem instanti non minus repugnet gratia, & peccatum, quàm lux & tenebræ, si in momento conceptionis fuit Sancta Maria, non ergo peccati labe vnquam fuit infecta.

Vazquez. Porrò ex celebratione alicuius festi, rectè eius sanctitatem inferri, optimè probat Vazquez in 3. partè disputat. 114. cap. 2. Primò, authoritate scholastic o-
S. Thom. rum, Sanct Thom. 3. part. quæst. 27. art. 2. in solut. ad
Durand. tertium, Durando, Alexandro, Bonauentura, Ricar-
Alexan. do, & alijs: præcipuequè authoritate Illephonsi no-
Bonauen. stri Toletani in libro aduersus eos, qui de virginita-
Ricard. te Mariæ disputant, in 8. tom. Bibliothecæ, vbi sic ha-
S. Illeph. betur: *Aliàs autem quomodò Spiritu sancto eam replente, non sine peccato originali fuit, cuius etiam Natiuitas gloriosa, Catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus fælix, & beata prædicatur? Enimuerò si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festiua celebraretur vbiquè ab vniuersis, sed*

quia

quia tam solemniter colitur, constat ex authoritate Ecclesiæ, quòd nullis, quando nata est, subiacuit delictis, nec contraxit in vtero originale peccatum. Vnde si Ieremiæ dies, atque Iob maledicta pronunciatur (dies, inquam, natiuitatis eorum) tamen dies, quandò inchoata est fælix Mariæ Natiuitas beata pronunciatur, & colitur religiosè satis. Quod si in peccato esset, iure maledicta diceretur, & gemebunda potiùs, quàm benedicta, quando nunciatum est patri eius, quòd nata esset in sæculo. Nunc autem, quia vniuersam benedictione sua illustrat Ecclesiam, non immeritò sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda. Hactenus Illephonsus. Qui ita perspicuè vtitur hoc argumenti genere, vt verba eius nullam expositionem admittant. Et certè si hoc Illephonsi argumentũ efficax est (quale esse negabit nullus) efficax quoque argumentum nostrum de immaculata conceptione erit; & qui hoc diluere conantur, attendant ne simul Illephonsi argumentum de medio tollant.

Ast futiles argumenti nostri solutiones attendamus. Primò dicunt aliqui, videlicet Turrecremata Cardinalis in 9 part. lib de Concept. cap. 10. hoc festum non celebrari ab Ecclesia Romana, quia illud solũm ab Ecclesia Romana celebrari dicitur, quod coram Summo Pontifice, & Collegio Cardinalium celebratur. Verumtamen huic solutioni non est fidendum, nec vir pius & doctus, qui eam tradidit, si approbationem Sixti IIII. & Pij V. vidisset, isto modò respondisset, quin potiùs sententiam libẽter mutasset, vt post Catherinum in opusc. de Immaculata Conceptione part. 2. capit. vltimo notant Vazquez disp. 117. cap. 5. Deinde, quis credat innumeros sanctos, quales sunt præcipui Ecclesiarum, vrbium, oppidorumque Patroni, insuper ex Diuis grauissimos,

Turrecre. Card.

Sixtus 4. Pius V.

Cather.

Vazquez disp. 117. cap. 5.

qui in omnibus Religionibus coluntur, quales sunt inter alios, nostri Principes Elias, & Elisæus pro nostro Carmelitano breuiario designati, ex eò quòd coram Pontifice summo non celebrentur, ab Ecclesia Romana non coli, cùm de eius consensu, speciali scitu, & assensu celebrentur? Quamuis ergo Conceptionis festum coram summo Pontifice nequaquam coleretur, non ob id ab Ecclesia Romana non coli, dici posset, si (vt fit) de ipsius consensu, & mandato in vniuersali Ecclesia solemniter celebretur. Adde etiam, quòd retulit Bacco noster in 4. distinct. 2. quæst. 4. artic. 3. nimirum festum hoc Romæ apud Carmelitas, præsentibus Cardinalibus, publica, & diuturna consuetudine celebrari consueuisse.

Secundò quoque fingunt alij, virginis Conceptionem celebrari, non quia sancta fuerit, sed quia initium nostræ redemptionis extiterit. Sic respondent Ioannes de Neapoli, Capreolus, & Antoninus, quos citat, & bene refutat insignis Theologus Vazquez dicto capite quinto. Et quidem primò contra hanc fugam occurrit, quod idem de Natiuitate virginis affirmari posset, coli scilicet, & celebrari, non ob Mariæ sanctitatem in illa, sed quòd initium fuerit sanctificationis nostræ. Deinde secundò, quia non solùm Sixtus Quartus decreuit, vt festum Conceptionis celebretur, sed eam quoque *Immaculatam Conceptionem* compellat: quin etiam officium, Leonardi Veronensis approbat, in quo passim *Immaculata* nuncupatur; rursus exhortatur fideles ad gratias Deo reddendas pro *mira Conceptione Mariæ*. A veritatis igitur scopo aberrant, qui non propter sanctitatem, Conceptionem celebrari docent. Deinde si ex mente Ecclesiæ Conceptio Mariana sancta non est,

Ioannes de Neapoli. Capreol. & Antoninus. Vazquez cap. 5. Sixt. 4. Officium Leonar.

cur

cur eam celebrari permittit? Ne dum permittit, sed iubet, præcipit, & inuitat celebrari? Vt enim ostensum est, sola sanctitas, aut res sancta, celebratione, & cultu Ecclesiastico digna reputatur, sicut generaliter sola virtus honore digna prædicatur: est enim honos (teste Aristotele secundo Ethicorum:) *Reuerentiæ exhibitio in virtutis testimonium.* Vnde pudicus vates: *Aristo.*

—— *Itur, at ignauis gloria nulla datur.*

Hinc quoque præclarè alij de virtuoso dixerunt:

I, bone, quo virtus tua te vocat, i, pede fausto
Grandia laturus meritorum præmia: quid stas?

Quare mirum est, si (quemadmodum aduersarij volunt) solùm in instanti Conceptionis Maria peccati labe inquinata fuit, quòd instans illud celebret, colat, & iubilet Ecclesia, cùm nihil sordidum, aut vitio sum, tali honore dignum reputetur.

Qua propter plures alij oppositæ factionis respondent, hoc festum sub nomine Conceptionis piè ab Ecclesia celebrari, non ratione ipsius Conceptionis, sed relatè ad sanctificationem in vtero, quę paulò post fuit secuta. Mirum tamen est solutionem istam non omnino extortam, futilem, & inanem apparuisse, præsertim Caietano, qui post tempora Sixti Quarti vixit. Cùm enim talis Pontifex in Officio ab ipso approbato, virginis Conceptionem *Immaculatam*, *sanctumque* appellet, & ab ipso *mira* etiam dicatur, qualiter Theologi dubitare possunt, non in honorem Conceptionis, sed sanctificationis hoc festum institui? Numquid proprietatem verborũ sanctificationis, & Conceptionis ignorabat Pontifex? Numquid, si sanctificationem celebrare voluit, rectè nomine Conceptionis vsus esset? *Caieta. Sixt. 4.*

Rur-

Rursus, quid aliud solemnitate celebrari iussit, nisi, quam opinionem pij fideles amplectuntur, quòd virgo Sanctissima in sui conceptione ab originali piaculo fuerit exempta? Quod ergo, vt sanctum, celebrare præcipit, instans est Mariànæ conceptionis. Vnde
Petr. Bur. meritò Petrus **Burus** in Pæan virginis hæc carmina protulit:

Quis modò conceptum dubitet celebrare Mariæ?
Quis renuat festis anua thuradare?
Hunc Petri sedes, caput, & decus vrbis, & orbis,
Et colit, & mandat per pia templa coli.

Deinde hæc solutio omnino aduersatur menti fidelium, & Ecclesiæ, quæ vocabulum sanctificationis reijciens in orationibus, antiphonis, lectionibus, & responsorijs officij, nomine conceptionis millies vtitur. Quin omnes vtriusque sexus id sibi persuasum habent, concionatores omnes id prædicant, Pontificesquè, & primates Ecclesiarum Episcopi sic sentiunt. Omitto, quòd eôtra hanc solutionem affert
Cordu. q. 49. Corduba quæst. 49. §. *Sed contra*: Quòd scilicet Alexãder Sextus euasionem istam damnauerit, dicens:
Alex. 6. *Nos igitur huiusmodi assertiones quorumlibet, qui affirmare præsumerent sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali tantum conceptione, & sanctificatione virginis gloriosæ festum celebrare, falsas, & erroneas, & à veritate alienas, authoritate Apostolica reprobamus & damnamus.* Quibus damnare videtur asserentes Ecclesiam solùm celebrare sanctificationem virginis: id enim denotatur nomine conceptionis spiritualis, non autem conceptionem illius naturalem. Hæc, inquam, omitto, quia talem Bullam Alexandri Quinti non vidi, si autem (vt Corduba vult) ea extat, nescio qualiter à nostris aduersarijs ista solutio assignari queat.

Non

Digitized by Google

Non tamen præteribo, ex ipsius quoque Pontificis dictis, istam solutionem penitus, & euidenter eneruari: asserit enim Sixtus *non esse damnandos eos, qui celebrant festum conceptionis*: redditquè rationem in dicta extrauaganti *graue nimis*, per hæc verba: *Cùm sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperquè Virginis Mariæ Conceptione publicè festum celebret.* Ergo intendit illud festum à Romana Ecclesia celebrari, quod contrarij aliqui damnabant. Sed non damnabant contrarij sanctificationem virginis post lapsum, sed præseruationem ab eo: ergo istam adstruere procurat Pontifex. Rursus addit, non esse damnandos eos, qui tenent contrarium, scilicet virginem in originali fuisse conceptam: ergo cùm Papa dicat, hoc esse cõtrarium illi, quod Ecclesia celebrat, manifestum est Ecclesiam celebrare conceptionem à peccato communi immunem. Nam si solùm sanctificationem in vtero celebraret, dixisset falsò Papa, non peccare mortaliter eos, qui contrarium tenent, cùm id sit error contra fidem, atque adeò peccatum mortale. *Sixtus 4.*

Proximam, & affinem nimis huic rationi secundam aliam apponam ex fidelium omnium mente, sensuquè desumptam. Omnes enim Christi fideles (excipio semper paucos) Ecclesiastici, & sæculares; Prælati, & subditi; Principes, & serui; nobiles, & ignobiles; Religiosi, & voto Religionis non obstricti; sapientes, & rudes: demum omnes, cuiuscumquè gradus, dignitatis, & sexus sint, adeò nostræ sunt affecti sententiæ, vt non solùm oppositę, abhinc multos annos, valedixerint, sed notabilem offensionem admittant, dum de ea, aut etiam loqui conspiciunt. Quod signum, plusquam prudentialiter, euidens esse debet, sententiam nostram veritatis scopum attingere: *Secũda ratio.*

Digitized by Google

gere: oppositam verò neutiquam. Est autem adeò efficax argumentum istud, vt non solùm veritatem nostram satis confirmet, sed ad dogmata quoque fidei roborandà non leuiter deseruiat. Sacra namque concilia, & Pontifices, dum fidei veritates proponunt, populi consensum requirunt, & ad communem vocem inspiciunt. Similiter in sanctorum Canonizatione, Beatificationeue, hoc primum attendunt Pontifices, eoquè argumenti genere, contra hæreticos noua figmenta introducere volentes, vtuntur. Nec minori ponderatione dignum est, quod de se testatur Augustinus libro de vtilitate credendi capite 14. se nimirum, propter populi consensum, fidem recepisse. *Ego* (inquit) *nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ.* Et alio loco contra Epistolam fundamenti capite quarto dicit: *Tenet me in Ecclesia, consensus populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.* Quod idem de hac opinione affirmare possumus: si enim efficax credibilitatis fidei argumentatio apud celeberrimum Augustini ingenium fuit *consensus populorum, atque gentium*, cur ad nostram amplectendam sententiam eiusdem populi consensus non valebit?

Aug. lib. de Vtilit. credendi cap. 14.

Idem c. 4

Nec minori ponderatione dignum puto, quòd Vincentius Iustinianus loco sæpius adducto, ex Episcopo Altisiodorensi, & Bernardo Abbate, altero quidem in cap. 27. altero verò capite septimo libri secundi de vita sancti Bernardi Clarauallensis refert. Quòd scilicet, cum illa annorum tempestate, schisma magnum inter Innocentium Secundum, & Petrum quemdam Leonem exortum fuisset,

Vinc. Iustinia. Altisiod. Bernard.

Digitized by Google

set, vt probaret Bernardus, iurè Innocentio Secundo obedientiam deberi, inter alia affert, quòd Camaldulensium, Carthusiànorum, Cluniacensium, Grandimontensium, Cistercienſium, & Præmonstratenſium Ordines, Innocentium receperint. Cùm igitur præsenti nostro tempore, non solùm Religiosi isti, sed & Carmelitæ nostri, Prædicatorum nobilissima portio, præclari Minoritæ, Doctissimi Augustiniani, Benedictini celeberrimi, Hieronymiani illustres, sanctissimæ Trinitatis, Diuæ Mariæ de Mercede, & Minimorum grauissimi Religiosi, Iesuitarũ insignis societas, Seruitarum, Columbinorum Minorumquè Clericorũ clarissimæ familiæ, aliæquè omnes Religiones (pauciſsimis fortè ex illis exceptis) veritatem, quam tuemur, omnes amplexati sint, quo iure de ea dubitari potest?

At dicunt, popularem vocem esse, &, quemadmodum Caietanus dixit dicto opusculo de Conceptione Mariæ: *Non in multitudine, nec in commotione Dominus.* Sed hoc facilè retunditur, quia etsi soli vulgari multitudini credi non oporteat, cùm tamen sapientium authoritati adhæret, illustrium, nobiliumquè virorum præsidio firmatur, robustissimarum rationum argumentis roboratur, signis, miraculisquè communitur, vulgari voci resistere quis audebit? Secundò, quia Christum Dominum, cùm Scribæ, & Phariæi respuerent, ipsius insultarent doctrinæ, Diabolicum putarent hominem, alijquè tentarent; præsertim simplices, & idiotæ sunt securi; solaquè mulier de turba veritatem agnouit. Non nobiles, sed plebeios elegit Christus discipulos, cùm publicanis, & pauperibus manducabat, à paucis deni-

Caietanus

Cedren. 1. (referente Cedreno) non præteribo. Argonautæ igitur (Deo instigante certè) templum instruxere, cui dedicaretur ignari, ad quod consultum oraculum respondit post multa:

Huius, cui Mariæ nomen sanctissima Mater
Agnoscet templum proprium sibi ritè dicatum.

Ex his igitur, & innumeris alijs, quæ silentio inuolue re placuit, eliciet virgini deuotus, magnam Mariæ sanctitatem, cùm eam tot sæculis antea non solùm in sacris libris, sed in Gentilium quoque scrinijs depictam cernamus.

Superest, vt Erasmum quoque nostræ fidei inimicum, saltem suspectum, in medium producamus. Is autem (Canisio teste vbi suprà) in Apologia ad libros Alberti Pij, sic de Christifera Maria loquitur:

Canisius. Eras. in Apol. ad lib. Alberti Pij. *Quàm magnificè sentiam de sacratissima Virgine, declarat Pæan meus & obsecratio iam toties excussa, præterea liturgia in concione, quam edidi aduersus obtrectatores Virginis, semperquè sani sententiæ, quæ liberat eam ab omni peccato*

Idem. *etiam originali* Et posteà: *Profiteor mihi magis probari sententiam illorum, qui Mariam faciunt immunem ab omni peccato.* Ac rursus: *Non desunt, qui in templis suis publicè doceant, illam non fuisse immunem a peccato originis, cùm ego*

Idem. *contrarium sentiam in libris meis.* Demum Pæan Erasmicus Mariam his verbis affatur: *Tu felix illa plantula, de Ießea radice subnata, nihil tamen inde genitalium sordium trahens. Tu sacratissimum pacifici Regis templum, tam magnificum, vt in eo Rex Olympi præsideret, tam sacrum, vt nulla vnquam peccati labe potuerit prophanari.*

Huic tandem capiti vltimam manum imponam, affirmans, quòd nullus, quantumuis Barbarus Ethnicus, Indus, Scytha, aut remotissimæ nationis filius, in

terro-

terrogatus si deceat eam, quæ veri Dei Mater est, peccato omni liberam esse, respondebit negans: sed credam omnes, iunctis pedibus: id affirmaturos, si ergo hi, qui solo rationis lumine ducuntur, hæc de Dei Matre concedent, nos quoque idem affirmemus, qui lumine etiam supernaturali illustrati sumus.

Duabus rationibus immaculata Christi parentis Conceptio probatur. Cap. 24.

IMmensum Oceanum peragrare esset, innumeras, quæ Dei Matris illibatam Conceptionem adstruunt, rationes percurrere, quare brevitati consulens, & ne libellus in fastidiosum transeat librum, aliquot solùm attingam, hoc vnum præmittens, plus quam quinquaginta, nec inefficaces afferri posse. Neque oportet singulas Mathematicas demonstrationes esse, vt enim docet Aristoteles primo Topicorum & Ethicorum capite tertio: *Non est bene instructi Philosophi in omni arte æqualem certitudinem quærere.* *Arist. 1. Topic. & Ethic. c. 3.* In re ergo quæ ex Dei solùm voluntate pendet, congruentijs vti, euidentijs moralibus argumentari erit: *Ea enim, quæ veniunt ex bona coniectura, vera esse dicuntur* vt docet textus in l. finali de *probationibus*. Præsertim tamen, quia, vt Augustinus in sermone Assumptionis Mariæ docet: *Vbi scriptura diuina nihil de illa commemorat, inquirendum est, quid conueniat rationi*, & libro 3. de libero arbitrio adstruit, *quidquid tibi vera ratio ne faciendum occurrerit, scias Deum fecisse.* Si ergo veris, efficaces *L. finalis. Aug. in serm. Assumpt. Idem lib. 3. de libero arbit.*

efficacibusquè rationibus liqueſcat, Virginem ſanctiſsimam immunem eſſe ab originali crimine decere, ijſdem conſtabit, ita de facto contigiſſe. Aliquot ergo argumenta depromam, & in hoc capite duas, quæ mihi videntur efficaciſsimæ, rationes, in medium producam.

Eſto prima Eccleſiæ (quæ columna eſt, & firmamentum veritatis) authoritati innixa. Vniuerſalis namque Eccleſiæ cultus celeberrimè Conceptionis feſtũ celebrat. Nam in Eccleſia Græca ante mille annos hoc feſtum celebrari cœpit, vt ex Gregorio Nazianzeno affert Galatin. lib. 7. c. 4. Vnde in Græco Kalendario, quod à ſancto Damaſceno creditur editum, nono die Decembris deſignatur, & in eo ipſa virgo *ante Conceptionem pura elicitur*. Inſuper in Eccleſia Latina ante quingentos annos celebrari incepit, vt credi poteſt ex his, quæ de huius feſti ſolemnitate apud Carmelitanum Romæ Conuentum dixi ſup. c. 2. Quod demum in Romana Eccleſia & approbatum, & receptum fuit, vt refert Anſelmus in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ dicens: *Non eſſe verum amatorẽ Virginis, qui non celebrat feſtum Conceptionis*. Quibus addit Illuſtriſsimus Baronius in Martyrologio, in Anglia primùm hoc feſtum celebrari cœpiſſe, eiquè nimis opuſculum Diui Anſelmi de peccato originali fauiſſe: deindequè ab Eccleſia Gallica Lugdunenſi, licet cum magna controuerſia receptum, ac tandem ante ducentos annos ab Eccleſia Romana amplexum, & indulgentijs auctum fuiſſe. Cui additur quoque, quòd in Baſilienſi Synodo iam adducta, à cœtu illorum omnium Patrum, ſic dicitur: *Hoc feſtum antiqua, & laudabili conſuetudine celebrari ab Eccleſia Romana.*

Greg. Nazian.
Galat. in lib. 7. c. 4
Anſel. in Epiſto. ad Epiſcopos Angliæ.
Card. Baronius in Martyro.
D. Anſel. opuſcu. de peccato origin.
Conc. Baſilienſe.

Nec

Nec his contentus de antiquitate festi Conceptionis, eruditissimus Oxeda in celebri illo tractatu iam adducto, accuratè nimis, diligentissimequè contendit, festum hoc perpetuam inter Christianos omnes traditionem fuisse. Nam illud ab Ecclesijs Syriæ, Aegypti, & Armeniæ receptum fuisse, bellè probat capit 2. Insuper idem festum ab Abyssinis Africanis celebrari, ex Fabricio in proœmio translationis Syriacæ noui testamenti, & ex Episcopo Zagazabelo Legato Imperatoris Abyssinorũ, & alijs in c. 3. eruditè confirmat. Præterea ex Græcorum Liturgijs, & decreto Imperatoris Emmanuelis Conneni sub Alexandro 3. Romano Pontifice id comprobat capit. 4. Et (quod nostræ Hispaniæ valdè glorioſum est) festũ immaculatæ Conceptionis, in ea à Iacobi prædicatione celebrari, mirè confirmat capit. 5. ex Dextro Barchinonensi in lib. quem vocauit *omnimoda historia*, quam recipiunt D. Maurus Castella, & D. Ioannes Fernandez de Velasco Castellæ Comes Stabilis, & noster Frater Franciscus Iodar de Iesus in specialibus libris de historia sancti Iacobi. Ex his igitur omnibus, & alijs, quæ omitto, validissimum hoc argumentum pro mea opinione constituo. Ecclesiæ namque præcepto, vel saltem (vt olim fortè contingebat) permissione, & consensu, festum immaculatæ Conceptionis celebratur, & colitur: ergo Deipara Maria in sua Conceptione sancta, & immaculata fuit, sine vlla originalis peccati labe.

Oxeda. *Fabric.* *Epiſc. Zagazabe.* *Imperat.* *Alexan.* *Dexter* *Barchinon.* *D. Maur.* *Caſtel.* *Comes Stabi.* *F. Franc. Iodar.*

Antequã autẽ solutiones (melius dicã futiles euasiones) quæ huic argumẽto adhiberi solent, penitus corruant, aduerti debet, nulla securitate cõscientiæ, sed cũ magnæ periculo cẽsuræ, aut Ecclesię offensionis, affirmari posse, Ecclesiã in festorũ celebratione

ab errare. Cùm autem non errare Ecclesiam in illorum festiuitate dependeat, ex eo quòd tale festum, sanctum, dignumquè veneratione reputatur, nullo pacto pronũtiari potest, festum illud ab Ecclesia celebratum, sanctum non esse. Ex eo namque, prouidè nimis Ecclesia, nullius sancti, nisi Christi, Mariæ, & Baptistæ, ortum celebrat, quia omnes alios, præter istos, in die natiuitatis piaculo originali infectos esse credit, ex eo quoque sanctorum omnium celebrat mortem, quia die mortis sanctos esse putat. Sanctitas ergo festi, aut sancti, qui colitur, potissima ratio illius celebrationis est. Ex quo insuperabiles vires argumentum positum capit, si enim Mariana cõceptio colitur; sancta ergo est, & immaculata: rursus si sancta est, & immaculata, ergo peccato originali non fuit obnoxia. Cùm enim conceptio instans animationis fœtus declaret, & in eodem instanti non minus repugnet gratia, & peccatum, quàm lux & tenebræ, si in momento conceptionis fuit Sancta Maria, non ergo peccati labe vnquam fuit infecta.

Vazquez. Porrò ex celebratione alicuius festi, rectè eius sanctitatem inferri, optimè probat Vazquez in 3. partẽ disputat. 114. cap. 2. Primò, authoritate scholastic orum, Sanct. Thom. 3. part. quæst. 27. art. 2. in solut. ad tertium, Durando, Alexandro, Bonauentura, Ricardo, & alijs: præcipuequè authoritate Illephonsi nostri Toletani in libro aduersus eos, qui de virginitate Mariæ disputant, in 8. tom. Bibliothecæ, vbi sic habetur: *Aliàs autem quomodò Spiritu sancto eam replente, non sine peccato originali fuit, cuius etiam Natiuitas gloriosa, Catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus fælix, & beata prædicatur? Enimuerò si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festiua celebraretur vbiquè ab vniuersis, sed quia*

S. Thom. Durand. Alexan. Bonauen. Ricard. S. Illeph.

quia tam solemniter colitur, constat ex authoritate Ecclesiæ, quòd nullis, quando nata est, subiacuit delictis, nec contraxit in vtero originale peccatum. Vnde si Ieremiæ dies, atque Iob maledicta pronunciatur (dies, inquam, natiuitatis eorum) tamen dies, quandò inchoata est felix Mariæ Natiuitas beata pronunciatur, & colitur religiosè satis. Quòd si in peccato esset, iure maledicta diceretur, & gemebunda potiùs, quàm benedicta, quando nunciatum est patri eius, quòd nata esset in sæculo. Nunc autem, quia vniuersam benedictione sua illustrat Ecclesiam, non immeritò sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda. Hactenus Illephonsus. Qui ita perspicuè vtitur hoc argumenti genere, vt verba eius nullam expositionem admittant. Et certè si hoc Illephonsi argumentũ efficax est (quale esse negabit nullus) efficax quoque argumentum nostrum de immaculata conceptione erit; & qui hoc diluere conantur, attendant ne simul Illephonsi argumentum de medio tollant.

Ast futiles argumenti nostri solutiones attendamus. Primò dicunt aliqui, videlicet Turrecremata Cardinalis in 9 part. lib de Concept. cap. 10. hoc festum non celebrari ab Ecclesia Romana, quia illud solũm ab Ecclesia Romana celebrari dicitur, quod coram Summo Pontifice, & Collegio Cardinalium celebratur. Verumtamen huic solutioni non est fidendum, nec vir pius & doctus, qui eam tradidit, si approbationem Sixti IIII. & Pij V. vidisset, isto modò respondisset, quin potiùs sententiam libẽter mutasset, vt post Catherinum in opusc. de Immaculata Conceptione part. 2. capit. vltimo notauit Vazquez disp. 117. cap. 5. Deinde, quis credat innumeros sanctos, quales sunt præcipui Ecclesiarum, vrbium, oppidorumque Patroni, insuper ex Diuis grauissimos,

Turrecre. Card.

Sixtus 4. Pius V.

Cather.

Vazquez disp. 117. cap. 5.

qui in omnibus Religionibus coluntur, quales sunt inter alios, nostri Principes Elias, & Elisæus pro nostro Carmelitano breuiario designati, ex eò quòd coram Pontifice summo non celebrentur, ab Ecclesia Romana non coli, cùm de eius consensu, speciali scitu, & assensu celebrentur? Quamuis ergo Conceptionis festum coram summo Pontifice nequaquam coleretur, non ob id ab Ecclesia Romana non coli, dici posset, si (vt fit) de ipsius consensu, & mandato in vniuersali Ecclesia solemniter celebretur. Adde etiam, quòd retulit Bacco noster in 4. distinct. 2. quæst. 4. artic. 3. nimirum festum hoc Romæ apud Carmelitas, præsentibus Cardinalibus, publica, & diuturna consuetudine celebrari consueuisse.

Secundò quoque fingunt alij, virginis Conceptionem celebrari, non qua sancta fuerit, sed quia initium nostræ redemptionis extiterit. Sic respondent Ioannes de Neapoli, Capreolus, & Antoninus, quos citat, & bene refutat insignis Theologus Vazquez dicto capite quinto. Et quidem primò contra hanc fugam occurrit, quòd idem de Natiuitate virginis affirmari posset, coli scilicet, & celebrari, non ob Mariæ sanctitatem in illa, sed quòd initium fuerit sanctificationis nostræ. Deinde secundò, quia non solùm Sixtus Quartus decreuit, vt festum Conceptionis celebretur, sed eam quoque *Immaculatam Conceptionem* compellat: quin etiam officium, Leonardi Veronensis approbat, in quo passim *Immaculata* nuncupatur; rursus exhortatur fideles ad gratias Deo reddendas pro *mira Conceptione Mariæ*. A veritatis igitur scopo aberrant, qui non propter sanctitatem, Conceptionem celebrari docent. Deinde si ex mente Ecclesiæ Conceptio Mariana sancta non est,

Ioannes de Neapoli. Capreol. & Antoninus.

Vazquez cap 5.

Sixt. 4.

Officium Leonar.

cur

cur eam celebrari permittit? Ne dum permittit, sed iubet, præcipit, & inuitat celebrari? Vt enim ostensum est, sola sanctitas, aut res sancta, celebratione, & cultu Ecclesiastico digna reputatur, sicut generaliter sola virtus honore digna prædicatur: est enim honos (teste Aristotele secundo Ethicorum:) *Reuerentiæ exhibitio in virtutis testimonium.* Vnde pudicus vates: *Aristo:*

—— *Itur, at ignauis gloria nulla datur.*

Hinc quoque præclarè alij de virtuoso dixerunt:

I, bone, quo virtus tua te vocat, i, pede fausto
Grandia laturus meritorum præmia: quid stas?

Quare mirum est, si (quemadmodum aduersarij volunt) solùm in instanti Conceptionis Maria peccati labe inquinata fuit, quòd instans illud celebret, colat, & iubilet Ecclesia; cùm nihil sordidum, aut vitiosum, tali honore dignum reputetur.

Qua propter plures alij oppositæ factionis respondent, hoc festum sub nomine Conceptionis piè ab Ecclesia celebrari, non ratione ipsius Conceptionis, sed relatè ad sanctificationem in vtero, quę paulò post fuit secuta. Mirum tamen est solutionem istam non omnino extortam; futilem, & inanem apparuisse, præsertim Caietano, qui post tempora Sixti Quarti vixit. Cùm enim talis Pontifex *in Officio* ab ipso approbato, virginis Conceptionem *Immaculatam*, *sanctamque* appellet, & ab ipso *mira* etiam dicatur, qualiter Theologi dubitare possunt, non in honorem Conceptionis, sed sanctificationis hoc festum institui? Numquid proprietatem verborũ sanctificationis, & Conceptionis ignorabat Pontifex? Numquid, si sanctificationem celebrare voluit, rectè nomine Conceptionis vsus esset? *Caieta. Sixt. 4.*

Rur-

Rursus, quid aliud solemnitate celebrari iusit, nisi, quam opinionem pij fideles amplectuntur, quòd virgo Sanctissima in sui conceptione ab originali piaculo fuerit exempta? Quod ergo, vt sanctum, celebrare præcipit, instans est Marianæ conceptionis. Vnde
Petr. Bur. meritò Petrus Burus in Pæan virginis hæc carmina protulit:

Quis modò conceptum dubitet celebrare Mariæ?
Quis renuat festis anua thuradare?
Hunc Petri sedes, caput, & decus Vrbis, & orbis,
Et colit, & mandat per pia templa coli.

Deinde hæc solutio omnino aduersatur menti fidelium, & Ecclesiæ, quæ vocabulum sanctificationis reijciens in orationibus, antiphonis, lectionibus, & responsorijs officij, nomine conceptionis millies vtitur. Quin omnes vtriusque sexus id sibi persuasum habent, concionatores omnes id prædicant, Pontificesquè, & primates Ecclesiarum Episcopi sic sentiunt. Omitto, quòd cõtra hanc solutionem affert
Cordu. q. 49. Corduba quæst. 49. §. *sed contra*: Quòd scilicet Alexãder Sextus euasionem istam damnauerit, dicens:
Alex. 6. *Nos igitur huiusmodi assertiones quorumlibet, qui affirmare præsumerent sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali tantum conceptione, & sanctificatione Virginis gloriosæ festum celebrare, falsas, & erroneas, & à veritate alienas, authoritate Apostolica reprobamus & damnamus.* Quibus damnare videtur asserentes Ecclesiam solùm celebrare sanctificationem virginis: id enim denotatur nomine conceptionis spiritualis, non autem conceptionem illius naturalem. Hæc, inquam, omitto, quia talem Bullam Alexandri Quinti non vidi, si autem (vt Corduba vult) ea extat, nescio qualiter à nostris aduersarijs ista solutio assignari queat.

Non

Non tamen præteribo, ex ipsius quoque Pontificis dictis, istam solutionem penitus, & euidenter eneruari: asserit enim Sixtus *non esse damnandos eos, qui celebrant festum conceptionis*: reddit què rationem in dicta extrauaganti *graue nimis*, per hæc verba: *Cùm sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperquè Virginis Mariæ Conceptione publicè festum celebret.* Ergo intendit illud festum à Romana Ecclesia celebrari, quod contrarij aliqui damnabant. Sed non damnabant contrarij sanctificationem virginis post lapsum, sed præseruationem ab eo: ergo istam adstruere procurat Pontifex. Rursus addit, non esse damnandos eos, qui tenent contrarium, scilicet virginem in originali fuisse conceptam: ergo cùm Papa dicat, hoc esse cõtrarium illi, quod Ecclesia celebrat, manifestum est Ecclesiam celebrare conceptionem à peccato communi immunem. Nam si solùm sanctificationem in vtero celebraret, dixisset falsò Papa, non peccare mortaliter eos, qui contrarium tenent, cùm id sit error contra fidem, atque adeò peccatum mortale. *Sixtus 4.*

Proximam, & affinem nimis huic rationi secundam aliam apponam ex fidelium omnium mente, sensuquè desumptam. Omnes enim Christi fideles (excipio semper paucos) Ecclesiastici, & sæculares; Prælati, & subditi; Principes, & serui; nobiles, & ignobiles; Religiosi, & voto Religionis non obstricti; sapientes, & rudes: demum omnes, cuiuscumquè gradus, dignitatis, & sexus sint, adeò nostræ sunt affecti sententiæ, vt non solùm oppositę, abhinc multos annos, valedixerint, sed notabilem offensionem admittant, dum de ea, aut etiam loqui conspiciunt. Quod signum, plusquam prudentialiter, euidens esse debet, sententiam nostram veritatis scopum attingere: *Secũdara tio.*

Digitized by Google

gere: oppositam verò neutiquam. Est autem adeò efficax argumentum istud, vt non solùm veritatem nostram satis confirmet, sed ad dogmata quoque fidei roboranda non leuiter deseruiat. Sacra namque concilia, & Pontifices, dum fidei veritates proponunt, populi consensum requirunt, & ad communem vocem inspiciunt. Similiter in sanctorum Canonizatione, Beatificationeuè, hoc primum attendunt Pontifices, eoquè argumenti genere, contra hæreticos noua figmenta introducere volentes, vtuntur. Nec minori ponderatione dignum est,

Aug. lib. de Vtilit. credendi cap. 14. quod de se testatur Augustinus libro de vtilitate credendi capite 14. se nimirum, propter populi consensum, fidem recepisse. *Ego* (inquit) *nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ.* Et alio loco contra Epi-

Idem c. 4 stolam fundamenti capite quarto dicit: *Tenet me in Ecclesia, consensus populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.* Quod idem de hac opinione affirmare possumus: si enim efficax credibilitatis fidei argumentatio apud celeberrimum Augustini ingenium fuit, *consensus populorum, atque gentium*, cur ad nostram amplectendam sententiam eiusdem populi consensus non valebit?

Nec minori ponderatione dignum puto, quòd

Vinc. Iustinia. Altisiod. Bernard. Vincentius Iustinianus loco sæpius adducto, ex Episcopo Altisiodorensi, & Bernardo Abbate, altero quidem in cap. 27. altero verò capite septimo libri secundi de vita sancti Bernardi Clarauallensis refert. Quòd scilicet, cum illa annorum tempestate, schisma magnum inter Innocentium Secundum, & Petrum quemdam Leonem exortum fuisset,

set, vt probaret Bernardus, iure Innocentio Secundo obedientiam deberi, inter alia affert, quòd Camaldulenſium, Carthuſianorum, Cluniacenſium, Grandimontenſium, Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium Ordines, Innocentium receperint. Cùm igitur præſenti noſtro tempore, non ſolùm Religioſi iſti, ſed & Carmelitæ noſtri, Prædicatorum nobiliſſima portio, præclari Minoritæ, Doctiſsimi Auguſtiniani, Benedictini celeberrimi, Hieronymiani illuſtres, ſanctiſsimæ Trinitatis, Diuæ Mariæ de Mercede, & Minimorum grauiſsimi Religioſi, Ieſuitarũ inſignis ſocietas, Seruitarum, Columbinorum Minorumquè Clericorũ clariſsimæ familiæ, aliæquè omnes Religiones (pauciſsimis fortè ex illis exceptis) veritatem, quam tuemur, omnes amplexati ſint, quo iure de ea dubitari poteſt?

At dicunt, popularem vocem eſſe, &, quemadmodum Caietanus dixit dicto opuſculo de Conceptione Mariæ: *Non in multitudine, nec in commotione Dominus.* Sed hoc facilè retunditur, quia etſi ſoli vulgari multitudini credi non oporteat, cùm tamen ſapientium authoritati adhæret, illuſtrium, nobiliumquè virorum præſidio firmatur, robuſtiſsimarum rationum, argumentis roboratur, ſignis, miraculiſquè communitur, vulgari voci reſiſtere quis audebit? Secundò, quia Chriſtum Dominum, cùm Scribæ, & Phariſæi reſpuerent, ipſius inſultarent doctrinæ, Diabolicum putarent hominem, alijquè tentarent; præſertim ſimplices, & idiotæ ſunt ſecuti; ſolaquè mulier de turba veritatem agnouit. Non nobiles, ſed plebeios elegit Chriſtus diſcipulos, cùm publicanis, & pauperibus manducabat, à paucis deni-

Caietanus

que ex nobilibus, Primatibusque Iudæorum fuit exceptus. Nũquid inde Christi doctrinæ detrahemus?
Caieta. Numquid cum Caietano dicere possemus: *Non in multitudine, nec in commotione Dominus?* Quid ergo mirum, quòd nostram sententiam amplectatur vulgus?

Tertiò, quia communi proloquio *populi vocem, vocem Dei* dicimus: si ergo hæc est populi vox, ergo Dei erit: & si Dei vox est, sequamur omnes. Nam
Alciat. *qua Dij vocant eundum* eleganti Emblemate prosequitur Alciatus sic concludens:

Omnes in trivio sumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.

Cleantes. Vnde Stoicæ familiæ disertissimus Cleantes his versibus id à Deo petebat:

Duc me Parens, celsique dominator Poli
Quocumque placuit: nulla parendi mora est.

Si ergo media populi voce à Deo, vt positæ adhærea
Act. 5. mus thesi ducimur, pergamus ergo, & credamus Gamalielis Act. 5. dictum attendentes: *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.* Iam ergo rationes alias, proposito nostro congruentes, afferamus.

Alijs rationibus eadem confirmatur thesis. Cap. 25.

CRediderim certè hanc solam rationem, quam modò asseram, sufficientissimam esse, vt firmissimum robur intentum nostrum adquirat: ideoque cum Christi gratia cæteris accuratiùs expendenda
Concil. Ephesin. est. Sumitur autem ea ex principio quodam, fidei calculo recepto, à concilijs sacris (præsertim Ephesino con-

contra Nestorium præside nostro Cyrillo Carmelita) declarato, ac demum ab vniuersali Ecclesia susceptо: virginem videlicet sanctam, Dei Matrem, genitricemque appellandam esse. Ex quo principio insuperabile argumentum sic conficio. Debitum, congruum, decēs, & consentaneum est Dei Matri, quòd à peccato originali fuerit immunis. Maria sanctissima est vera Dei Mater. Debitum ergo, congruum, decens, & consentaneum est, vt ab originali peccato immunis extiterit. Argumentum hoc innumeri fautores nostri meritò magnificiunt. Inter quos Carmelita Mantuanus iam adductus capit. 2. sic canit:

Quod si viderei tanto splendoris honore
Fulget, vt æterno lactauerit vbere dulci, *Mantua.*
Strinxerit amplexu, summoquè vocarit Olympo:
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi infestare luto mortalibus æquas?

Discursus ergo nostri minor, & consequentia certæ sunt; maior autem quod etiam certissima sit, pluribus confirmabo.

Eam verò sic primò corroboro. Nā dignitas Maternitatis constituit Mariam proximam creaturam Deo inter quascumque alias, cælicolas, siue tericolas. Vnde, vt id notaret cælestis sponsus Canticor. 1. dum noster vulgatus dixit: *Ecce tu pulchra es amica mea,* septuaginta senes legunt: *Ecce speciosa proxima mea.* Ob quod etiam Angelicus Doctor Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 103. artic. 4. affirmauit Mariæ debitam esse Hyperduliam *propter specialem affinitatem ad Deum.* Clarissimè quoque Cardinalis Damianus in sermone de Natiuitate virginis ad id. dixit: *In alijs rebus Deus est tribus modis, scilicet per essentiam, præsentiam, & potentiam.*

Cant. 1. *Septuag.* *S. Tho. 2. 2. q. 103. art. 4.* *Card. Damia. in ser mo. de Na tiuit.*

potentiam; in Virgine verò alio quarto modo, scilicet peridem titatem, quia Deus est idem cum ipsa. Quæ verba explicasse videtur Augustinus, dum sermone de Assumptione dixit: *Caro Christi, caro est Mariæ.* Ex quo aliqui receperunt Theologi, eam portionem carnis, quam Diuinum verbum ex Virginea Matre susceptit, retinuisse semper. Quod etiam subindicat Augustinus subdens: *Et quamuis gloria resurectionis fuerit magnificata, eadem tamen remansit, quæ de Virgine sumpta.* Ex quo iam confirmo maiorem: Mater Dei adeò proxima est Deo, & affinis, vt quasi peridētitatem, aliqua saltē pars Mariæ carnis, sit etiam Christi carnis pars, reali distinctione, quæ inter Christum & Mariam versatur, non obstante. Quemadmodum ergo decens, & consentaneum est, Christum Dominum ab originali piaculo liberum extitisse, decebit etiam idē priuilegium, (etsi diuerso modo) Mariæ communicari, vt illi proxima, & affinis sit.

Aug. ser. de Assup. Virg.

Idem.

S. Dionys. de Eccles. Hierar. cap. 2.

Aliàs namque cùm peccatū iuxta Dionysij mentē de Ecclesiast. Hierarch. c. 2 *sit habitus dissimilitudinis ad Deo*, neutiquam Maria, si illud habuisset, Deo proxima esset.

S. Iacob. Apost. S. Ignat. Origines. S. Hippo. S. Cypria. S. Atha. S. Basili. S. Nysse. Sophron. S. Augu. S. Cyrill. S. Theod.

Corroboret secundò maiorem grauissimorum Patrum authoritas, qui hoc immunitatis ab originali priuilegium ex Virginis Maternitate collegisse videntur. Primò enim Iacobus Apostolus cap. 16. adductus ideo vocat Mariam *omnibus modis irreprehensam, sanctissimā, & immaculatam*, quia eam quoque vocat *Matrem Dei*, & *Deiparam*. Similiter Ignatius relatus ibidem, vt eam *omnium gratiarum abundantem, virtutis & gratiæ fœcundam* nuncupet, eā quoque *Matrem Domini* cōpellat. Idē quoque indicāt Origenes, Hippolytus, Cyprianus, Athanasius, Basilius, & clarissimè Nyssenus c. 17. citati. Quibus annector Sophronium, & maiori titulo Augustinū, Cyrillum nostrū, & Theodoretum c. 18. relatos. Nec ab

his seiungam Anselmum, qui ex eo fundamento nostrã approbauit opinionem; Petrum Comestorem, Laurentiũ Iustinianũ. & alios c. 20. recitatos. Merito ergo ex eo, quòd Maria Mater Dei sit, elicimus & nos, tãquã eui denti illatione ducti, peccato cõmuni originis caruisse. *S. Ansel. Pet. Com. Lau. Iust.*

Illam quoque confirmat, quòd ipsa maternitatis dignitas, ex se sola spectata priuilegium hoc, quasi iure debitum exposcere videtur. Est enim maternitatis donum, excellens adeò, & præcelsum, vt citra hypostaticam vnionem, maius non detur. Ex quo euidentissima illatione, priuilegium istud maternitati Mariæ debitum, sic elicitur. Quia Baptista sanctus Christi aduentus Præcursor fuit â Deo destinatus, congruum, & decens erat, vt in vtero sanctificaretur. Cùm ergo maternitatis Dignitas infinitè Præcursoris munus excedat, aliquod aliud beneficium, qualis est præseruatio ab originali, erit illi consentaneè debita. Rursus, quia Angelici Cherubini, & Seraphini domui Dei assistrices intelligentiæ sunt, ipsiquè deseruiunt, decuit, vt numquam diabolo, aut peccato subseruissent, ita vt nec magna, nec parua maculæ nota vnquam fuerint affecti. Si ergo Maria non qualitercumque Deo deseruit, sed carnem, sanguinem, ossa, vitam, alimentum, obsequiumquê præstando, infinities meliori iure dono isto immunitatis ab omni piaculo decorata fuit: Vndé eleganter sanctus Thomas 3. parte quæstione 27. artic. 1. ait: *Rationabiliter creditur, quod ea, quæ genuit vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora dona gratiæ, & priuilegia accepit.* *S. Thom. 3. p. q. 27. Artic. 1.*

Insuper Paulino argumento in Epistola ad Hebræos cap. primo, eadem sumpta propositio vires accipiet. Probat autem Paulus Christi Domini dignitatem excellen- *Ad Heb. 1.*

Digitized by Google

excellentiam, & super Angelicos spiritus prærogatiuam, dicens: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præillis nomen hæreditauit. Cui enim Angelorum dixit: Filius meus es tu?* Vbi ex Christi nomine, quod est esse filium Dei, dictam excellentiam super omnia alia probare contendit. Ex quo etiam argumento, nisi (quòd nefas est) aliquis inefficax reputet, idem pro hac Mariæ dignitate, de qua tractamus, cõficio. Nulli enim creaturæ, Angelicæ, aut corporeæ, tale, tantumquè nomen, scilicet *Matris Dei*, concessum vnquam est. Ergo est *Melior Angelis effecta, quanto differentius præillis nomẽ hæreditauit.* Qualiter ergo patiętur Theologus deuotus, quòd si innumeri Angeli sancti in cælo degentes, hoc priuilegio, vt nullum, neque leue crimen admiserint, sint potiti, Maria sanctissima, quæ innumeris gradibus eos antecellit, eo priuata consistat.

Nec silentio inuoluere possum aliam illius maioris probationem: in eo autem cõsistit. Nam esse Mariam Dei Matrem, est quasi quoddam fœcundissimũ principium, ex quo quotquot in fauorem ipsius excellentiæ dicuntur, tanquam conclusiones elici possunt. Hinc, si à Patribus antiquis quæras, cur Dei Matrem decuerit virginem esse? Respondebunt, quia Mater Christi est. Si, Cur eam in vtero sanctificatam prædicent? Idem respõsum dabunt. Si rursum petas: Quare eius Assumptionẽ in cælum totis præcordijs tu cantas? Augustinus in sermone de Assumpt. Virgi. dicet: *Quia illud sanctissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, escam vermibus traditam, sentire non valeo, dicere pertimesco.* Si rursus cur eam ab omni actuali crimine liberam proponant, inquiras? ad ipsius maternitatem confugient. Et si vlteriùs à Theologis, cur eam

Augus. de Assumpt. Virg.

eam fomite liberatam, iustitiaquè originali præditam, & aliquando in hac vita Dei visione intuitiua fruentem probent interroges? Nihil ferè aliud respõdebunt, quàm quia Mater Dei est. Meritò ergo nostri argumenti maior propositio dicit: *Congruum, & consentaneum est Dei Matri, quòd à peccato originali sit immunis.* Et, si nostrum argumentum efficax non est, neque Patrum, neque Theologorum simile argumentum alicuius ponderis æstimari debet.

Ex hac quoque Maternitatis dignitate quarta ratio desumitur, quæ non minus efficacior viris sapiẽtissimis apparuit. Probat autem directè ipsius ab originali præseruationem, in hunc modum efformata. Virgo sanctissima aliquo modo, saltim indirectè, & remotè, ad generis humani redemptionem, ipsiusque à peccati iugo libertatẽ cooperata fuit. Decuit ergo ipsam omni peccato, originali etiam, caruisse. Antecedens adeò Patrum calculo est receptum, vt de eo dubitare non possim. Etsi enim sciam, solùm Christum humani generis Redemptorem extitisse, iuxta illud Isaiæ. 63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Cùm hoc tamen asserere poterimus aliquo pacto, indirectè scilicet, & remotè, Mariam nostræ Redemptioni cooperatam fuisse. De hoc loquatur Augustinus sermo. 35. de sanctis. *Hæc* (scilicet Maria) *primæ Matris dãna resoluit, hæc homini perdito redẽptione adduxit, Mater generis nostri pœnã intulit mũdo, Genitrix Domini nostri salutẽ intulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidẽdo obfuit, Maria viuificando profuit.* Id etiam testatur Mediolanẽsis Antistes Ambrosius, dũ Epistola ad Sabinũ, quæ est 41. sic ait de Maria: *Operata est salutem, & cõcepit redẽptionem vniuersorum.* Clarissimè quoque antiquissimus Ephrem eandem

Quarta ratio.

Isai. 63.

Aug. ser. 35. de sanctis.

S. Ambr. Epist. 41. ad Sabin.

S. Ephrẽ.

eandem est contestatus veritatem hisce: *Per te reconciliati sumus Christo Deo meo, filio tuo, tu captiuorum redemptio, & omnium salus. Aue pax, salus mundi. Aue mediatrix glorioſiſſima. Aue vniuerſi terrarum orbis reconciliatrix* Dulciter quoque consonat Cardinalis Petrus Damiani in sermone de Annuntiatione sic aiens: *Per ipſam, cum ipſa, & in ipſa totum hominem reſtaurandum decernitur, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine ipſa nihil ſit reſectum.* Deuotissimus insuper Bernard. non minus luculenter hanc veritatem depromit sermo. 98. &, omissis alijs quæ dicit, hæc non omittam: *Per te virgo ſancta cælum repletum eſt, infernus euacuatus, & ruinæ cæleſtis Hieruſalem inſtauratæ.* Accinit Innocentius 3. in serm. 2. de Assumptio. dicens: *Quidquid damnauit Eua, ſaluauit Maria.*

Card. Petr. Dam. in ſermo. de Annunt.

S. Bern. ſerm. 98.

Innoc. 3.

Ratione quoque id concluditur: si enim Mater Domini est, Christusque Redemptor; ergo humani generis redemptioni aliqualiter cooperata fuit: *Quod* enim (iuxta proloquium commune) *eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati.* Ex hoc verò antecedenti, Christiferam nempe aliqualiter nostræ cooperatam fuisse redemptioni, pia consequentia, videlicet nullum habuisse peccatum, neque originale, elicitur. Nam, quia Christus nostræ redemptionis executor fuerat, irrefragabili argumento probat Apostolus ad Hebræos 7. omnigena puritate præditum, & peccati iugo immunem extitisse dicens: *Talis enim decebat vt eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus &c.* Cùm ergo Maria, quia mater Dei est humani generis redemptioni cooperata fuerit, decuit vt esset *ſancta, innocens, impolluta, ſegregata a peccatoribus.* Atque ita nullo crimine dicatur infecta. Insuper *ab immundo quid mundabitur* dixit Eccles. c. 34.

Ad Hebr. 7.

Eccleſiaſt. cap. 34.

cùm

ergo spiritualis mundities vniuersi Mariæ tribuatur, numquam fuit immunda.

Nunc verò quintam superaddam rationem, ex ipsa infinita genitricis Dei maternitate depromptam. Dedecens namque, & indecorum (ne dicam opprobriosum) esset Christo Domino, ex matre peccatrice carnem hausisse: ne ergo tali ignominia afficiamus Christum, asseri oportet eam penitus omni caruisse contagio. Antecedens autem declarant optimè Ecclesiast. 3. verba: *Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria eius confusio, gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.* Quomodo ergo indecens non esset optimo filio omniū, videlicet Christo, Matris dedecus, & confusio? Vnde Augustinus, cùm primo de natura & gratia capite 36. dixisset: *Cùm de peccatis agimus, nullam de virgine Matre habere volo quæstionem*, motiuum subdens addit: *Propter honorem Domini.* Quasi nimis ipsius honor labefactatus maneret, si eam, vel leuiter peccati macula inquinari permisisset. Hinc etiam Carmelita Cyrillus contra Nestorium clamat, quòd Maria *talis debuerit esse, quæ non potuerit argui de peccato.* Optimè quoque Fulbertus Carnotensis de Natiuitate virginis postquam dixit: *Vna est Mariæ, & Christi caro*, subiunxit, *& filij gloriam cum matre non tam communem iudico, quàm eandem*, idem similiter affirmaturus de infamia. Et quis non videt insultare Dæmonem posse filio virginis, ciquè obijciendo dicere: Quam tu Matrem habuisti, mihi priùs ancilla extitit? quæ tibi carnem ministrauit, mihi quoque aliquandiu vectigal impendit: quam, propter tui honorem, in vtero mundasti, priùs inquinaueram ego. Accedit ad hoc, quòd parentum ignobilitas transit in filios, sicut & nobilitas

Quinta ratio.

Eccles. 3.

S. Aug. 1. de nat. & gratia cap. 36.

S. Cyril. contra Nestorium.

Fulbert.

Columel. etiam. Vt enim bellè dixit Columella: *Nihil dubium, quin ipsa natura sobolem matris similem esse velucrit.* Et
Peleus in Andro. Peleus in Andromacha Euripidis de filijs & filiabus affirmare potuit

Eurip. — — — *Imitantur enim*
Materna probra, & id videre mihi, ò proci,
Bona prognatas matre vt ducatis filias.

Iuuenal. sat. 6. Rectè etiam Iuuenalis Satyra 6.

Scilicet expectas, vt tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet?

Vt ergo ex omni parte, omnisquè generis nobilitate honoris, & splendoris Christum Dominum esse dicamus, congruet sanè fateri omnigena puritate, sanctitatequè propriam Genitricem decorasse. Vt sicqué verificabitur
Augusti. Augustini dictum serm. ad Eremitas: *In cælo qualis Pater, talis Filius: in terra qualis Filius, talis mater.*

Sexta. Nec Sextam prætermittam rationem eodem baculo Maternitatis Mariæ fortiter innixus. Si enim Mater Dei est, maximè ergo à Deo supra creaturas cæteras honorata fuit. Adeó enim naturalis est filiorum erga parentes debitus honos, vt Stagyrita Philosophus 2. Eth. *non*
Arist. 2. Eth. *minus stultum, aut supervacaneum esse de honore parentibus tribuendo, quàm de candore nivis disputare*, dixerit.
Cicero pro Milone. Vnde eloquentia Latina Cicero, pro Milone, vocat, hoc, *natam legem, quam non didicimus, aut legimus, verùm ex ipsa natura arripuimus, hausimus, & expressimus: ad quã non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.*
Exod. 20. Accedit hoc esse præceptũ ipsius Dei Exo 20. *Honora patrẽ tuum, & matrẽ tuam.*
S. Hippo. Ex quo bellè probant nostræ intentũ sententiæ, non solũ Hippolytus Martyr iã
S. Metho. allatus, & sanctus martyr Methodius à Hieronymo laudatissimus in oratione habita ob Hypopantem Do-
Episc. Christopolit. in psa. 45. mini; sed Episcopus Christopolitanus in psal. 45. tri-

tribus rationibus id probans. Prima, nam omnis filius debet & tenetur honorare matrem, quantum potest. Secunda etiam, nam legislator prius debet facere, quã docere: Christus autem dedit hoc præceptum. Tandẽ tertia, quia Christus in omnibus *cœpit facere, & docere*: vt patet *Act.* 1. ergo inter cætera hoc præceptum adimpleuit præseruando Matrem suam ab originali. Accedit etiam, quôd, vt habetur in l. *Si quis à liberis.* §. *Si impube.* ff. de lib. agno. *Iniquissimum est, patrem, vel matrem egere, cuius filius sit in facultatibus.* Qualiter ergo ditissimus filius in gratia Christus, egestate peccati pauperrimam matrem reliquisset? Ad quod maximè facit, maiorem multò reuerentiam filiorum esse, erga matrem, quàm patrem. Etsi namque vtrumque nomen patris, & matris, maximam reuerentiam, honoremquè requirat, ad quod fortè denotandum antiqui vtrumque Deo nomen tribuebant. Sic enim antiquus Valerius Soranus apud Augustinum lib. 7. de Ciuit. c. 9. Iouem appellat genitorem, genitricemquê sic dicens:

Act 1.

l. si quis à libe. § si impube.

Valer. Soranus.

Aug. lib. 7. de ciui. cap. 9.

Iupiter omnipotens Regum, rerumquè, Deúmque
Progenitor, genitrixque Deûm, Deus vnus, & omnis.

Hinc ex patre, matrequê, vnum compactum nomẽ *Matripater* ei tribuebant, referente Clemente. 5. Stromatũ his versibus:

Clemẽ. 5. Stromat.

Exitij ex pers, Matripater, voluuntur ab ira,
Cui omnia, qui ventosquè moues, atque omnia &c.

Cum hoc tamen stat bene, nomen matris maiorem reuerentiam exigere. Quare eleganter Origenes hom. 5 1. in Leuit. inquit: *Nomen patris grande mysterium est, nomẽ matris grandis reuerentia est.* Credamus igitur pij Theologi, sanctissimum filium Christum omni possibili honore, & reuerentia, honorasse matrem, atque ita ab originali crimine liberam condidisse.

Origenes hom. 5 1. in Leuit.

Septima ratio.

Ex eadem etiam genitricis Christi dignitate septimam rationem sic efformo. Nam verè Deus est filius virginis, sed amor filij erga matrem quoad beneficiorum obligationem, maximus est omnium amorum plus igitur amauit Deus virginem, quàm creaturas productas, & producibiles cæteras. Cùm autem amor Dei, in hoc, ab amore creaturarum differat, quòd iste in re amata bonitatem supponat, ille verò bonitatem causet, credendum est hac etiam prærogatiua immunitatis ab originali peccato, inter innumeras alias, Mariam ditasse. Et verò liberorum erga parentes, maximum amorem, beneficiaquè deberi, ipsi lapides agnoscunt, feræ prædicant, & inauditum est contrarium assertum. Vnde Ierosolymitanus Cyrillus in Cathec. dixit: *Christianorum est placida prima pietas, honorare parentes, & labores educationis rependere, atque omni studio quæcunque ad eorum quietem pertinent curare.* Egregiè quoque Plutarchus opuscul. de pietate asserit: *Nullam rem facere homines Dijs gratiorem, quàm si genitoribus suis, & altoribus vetera, & nouà fœnori data beneficia benignè, & promptè rependant: neque vice versa vestigium vllum stare impietatis maius, quàm contemptum, & delictum aduersus parentes.* Quod & sensit quidam apud Terentium in Hecyra act. 3. inquiens: *Nãme parenti potiùs, quàm amori obsequi oportet.* Quod adeò verum est, vt nulla præclarior victoria sit, quàm parentes vinci à filijs, in beneficijs recipiendis. Quod notauit Seneca lib. 3. de beneficijs capit. 36. aiens: *Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia, cum vincendi spe venerit.* Et infrà: *Vnde certamen tam optabile, vnde tantam felicitatem parentibus, vt fateantur se ipsos filiorum beneficijs impares?* Quod decantauit Claudianus 4. Consul. Honorij.

S. Cyril. in Cathe.

Plutarch. opuscu. de pietat.

Terent. in Hecyra act. 3.

Senec. lib. 3. de beneficijs cap. 36.

Claudia.

Aspice

Aſpice completum votum, iam natus adæquat
Te meritis, & quod magis eſt optabile, vincit.

Vt ergo pijſsimum, & gratiſsimum maximequè beneficum Chriſtum, erga ſui matrem efficiamus: cùm maximus ipſius erga illam amor hoc expoſcat, quem adeò magnum exiſtimo, vt de illis Ouidianum illud dici poſsit:

Hi duo corporibus, mentibus vnus, erant.

Iunctis pedibus teneamus omnes, hoc illi beneficiũ impendiſſe, vt eam à miſera radicalis peccati ſorde liberam reddiderit.

Ex eodem quoque principio ſanctiſsimæ Maternitatis octauum argumentum deſumo. Peccatum namque originale ſeruitus, captiuitaſquè quædam ignominioſa eſt. Decuit ergo virginem tali iugo nũ quam fuiſſe conſtrictam. Antecedens eſt conſenſus, conſtanſquè ſanctorum doctrina: ideò namque dicunt Chriſtum Redemptorem eſſe, quia nos à peccato originali, quod captiuitas animæ eſt, eduxit, & redemit. Conſequentiæ verò vis multis probari poteſt. Et primò Chriſtus ipſe Dominus Matth. 17. dixit, quòd *tributum non exigitur à filijs propriis, ſed ab alienis.* Ergo multò minùs tributum hoc ſeruorum proprium, quod eſt originalis inquinatio, exigetur à Matre. Deinde, ſi Chriſtus in tantum dilexit Mariam, vt eam præ cæteris dilexerit creaturis, ergo eripuit eã ab hac diaboli ſeruitute, hoc enim ad fælicitatem filij, & matris, maximè pertinet, teſte enim Ouidio,

Octaua ratio.

Mat. 17.

Fælix qui quod amat, defendere fortiter audet.

Rurſus Panormitani doctrina id declarat, in cap. *cum Eccleſia ſanctæ Mariæ*, de conſtitut. affirmans quòd *Papa non poteſt ſe ſubijcere iuriſdictioni Imperatoris, quia cederet in præiudicium ſummi Apoſtolatus.* Quantò ergo magis

Panormi.

Digitized by Google

gis cederet in præiudicium maternitatis Mariæ, si Dæmonis Imperatoris iniqui seruituti, & iurisd. ctioni subdita aliquando mansisset. Præterquam quòd seruitus, & captiuitas ipsa, quæcumquè sit, adeò vilis conditionis est, vt non solùm Deiparæ sanctissimæ, sed cuicumque ingenuo viro dedecens videatur. Hinc Cicero 1. de Officijs: *Est autem infima conditio, & fortuna seruorum.* Et alibi in Phil: *Seruitus postremum malorum omnium, non modò bello, sed morte etiam repellendum.* Quomodò ergo in Reginam Angelorum, & hominum, totiusquè mundi Dominam, tam miserabilem statum cadere licuit?

Cice. 1. de Officijs.

Theologicis alijs argumentis stabilitur nostrum intentum. Cap. 26.

NEc desunt grauissima alia argumentorum tela, ex Theologiæ castris decerpta, & pro defensione illibatæ Marianæ Conceptionis militantia. Erit autem primum, & nonum in ordine hoc. Nam, vel Deus non potuit Matrem suam ab originali piaculo præseruatam seruare; vel si potuit, tamen id facere noluit; vel tandem potuit, & voluit. Et quia hoc tertium mihi pro comperto est, priora duo falsa esse facilè probabo. Equidem potuisse Deum Matrem suã ab originali præseruare, non modò à contrarijs, sed neque ab Ethnicis, & gentilibus, si Dei veram potentiam cognoscant, negari posse existimo. Omnibus namque compertum est Theologorum axioma, ea, quæ non implicant contradictionem potentiæ Dei, denegari non debere. Quantumuis verò aliquis oppositæ sententiæ sit affectus, affirmare nequibit con-

Nona ratio.

Digitized by Google

contradictionem aliquam in virginis præseruatione reperiri. Idquè facile conuincitur contra Theologos ex Iob 14. vbi, vt singulare Dei opus ipsi tribuitur animæ ab hoc peccato emundatio; *Quis potest facere mundū de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Id quoque supponit summus Ecclesiæ Pastor Sixtus 4. dum in Extrauaganti *graue nimis* millies adducta, festum Conceptionis, vt venerabile fidelibus sine vllo peccati vestigio proponit. Si autem impossibile esset hoc mysterium, neque venerabile, neq; ab hoc, aut ab alijs Pontificibus laudatum esset. Quod idem dico de decreto Concilij Tridentini, nolentis circa hoc aliquid decernere, sed Pontificias Extrauagantes in suo relinquentis vigore.

Iob. 14.

Sixtus 4.

Conc. Trident.

Ratione etiam idem conficitur; quia si Angelos omnes, primosquè parentes in statu innocentiæ gratia condecoratos produxit, quis dicet impossibile esse, hoc idem priuilegium concessisse Mariæ? Nec iuuat si respondeas, posito quòd Maria ex hominibus per seminalem propagationem processit, casum esse impossibilem. Primò quidem, quia adhuc posita prout de facto fuit, hac seminali propagatione, festum Conceptionis celebrat Ecclesia, Pontifices nimium illi patrocinantur; Conciliumquè Tridentinum nimis ei addictum esse profiteatur: quo ergo iure dici potest impossibile? Deinde, quia (vt clarius in inferioribus ostendam) præuidēs Deus, quòd Maria eius Mater esset futura à pacto cū Adamo inito de transfundendo peccato in posteros, potuit eam excipere, imò in ipso puncto Conceptionis Mariæ, quando peccatum futurum erat, potuit illi gratiam iustificantem conferre. Omnino ergo possibile est Deiparam ab originali liberari.

Restat

Restat ergo iam secundum reijciēdum, quòd scilicet, etsi id Deum facere possibile sit, noluisse tamē efficere, quod quidem facillimo negotio impugnari potest. Nam quidquid Deus potest facere, si decens sit, vt tale fiat, esse factum credi debet. Quod docuit Augustinus in sermone de Assumptione, dicens: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum.* Decere autem Matrem sanctissimam ab hoc peccato liberari, nescio quomodo negari possit, & omnia adducta in hoc libro satis id confirmant. Spō sam namque Spiritus sancti, Patris filiam, Matremque Filij, numquam ipsis exosam, nec Satanæ iugo subditam, nec Diaboli ancillam, aut æternis cruciatibus deputatam esse, decere, & millies decere, sola etiam ratio naturalis id dictat. Deinde hoc esse decens perspicuè docet Anselmus de Conceptu virginali cap. 18. dicens: *Decens erat, vt ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Quomodo ergo negari potest decuisse hoc priuilegium Mariæ concedi, nisi authoritatem, & verba Anselmi penitus despiciendo? Cùm ergo Deus potuerit id facere, atque vt voluerit decentiam dicat, de facto voluisse existimandum est, ratumquè habebimus tertium, quod in argumento proposuimus, verum esse, nimirum potuisse Deum, & voluisse hoc priuilegium suæ genitrici concedere. Huius argumenti, quod mihi moralis demonstratio est, vires expressit Poeta quidā, canēs:

Poeta incognitus.

Falluntur nimium, qui te contagia diri
Declinare hostis, Virgo, nequisse volunt.
Vrentes potuit pueris extinguere flammas,
Conceptum potuit purificare tuum.
Si decuit luctus sine labe effingere Matrem,
Matrem lætitiæ plus decorare decet.

Augusti. sermon. de Assump.

Ansel. de Conceptu virg. c. 18

Deci-

Decimam rationem sic conficio; nam virgo sanctissima prædestinata fuit ante omnem creaturam, & ante omne peccatum, etiam originale, absolutè præuisum: ergo ab illo fuit verè immunis, & præsernata. Consequentia probabitur postea. Vt verò antecedens probetur, suppono, Christi etiam prædestinationem fuisse non solùm ante omnem quamcumque creaturam, sed etiam ante omne quodcumque peccatum etiam originale præuisum, quòd Theologorum huius temporis Coriphæus Pater Suarez tomo primo in tertiâ partē, disputatione quinta sectione secunda ex innumeris Sacræ scripturæ locis, patrum testimonijs, scholasticis grauissimis, præsertim ex Scotica schola, rationibusquè, & congruentijs efficaciter probat, nosquè alibi, si Deus dederit, latè comprobabimus. Assero igitur sanctissimæ virginis prædestinationem fuisse etiam eo signo rationis, vel alio saltem immediatè sequente, quo Christus Dominus fuit prædestinatus. Id tradunt etiam ex Patribus multi, ex quibus Diuus Bernardinus Senensis sermone 51. virginem alloquens, sic dicit: *Tu ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem procreares.* Cui accinit Andreas Cretensis dicens: *Hæc est declaratio profundorum diuinæ incomprehensibilitatis, hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula.* Ad quod facit, quod refert Franciscus Venetus in Harmonia mundi Cantico primo tomo quinto capite sexto. *Nimirum inter Hebræorum arcana hoc vnum celeberrimum haberi, vnam apud Deum esse primam omnium creaturarum, quæ reliquarum omnium perfectiones contineret, quā illi appellabant Mitraton.* Hanc verò esse Mesiæ Matrē ex eo colligebāt, quod nomē Mariæ Hebræis

Decima ratio.

Suarez in 3. p. d. 5. sect. 2.

D. Bern. Sen. ser. 51.

Andreas Creten.

Franciscus Venet.

constituit numerum 290. quem eumdem reddũt extremæ literæ illius vocis *Mutraton*. Maximè quoque
Gala.lib. 7. cap. 1. fauet Galatinus lib. 7. capit. 1, vbi cælorum stabilitatem, rerumque ordinem & dispositionem, Iesu &
Iere. 33. Mariæ videtur tribuere. Nam cùm Ieremiæ 33. apud vulgatum nostrum legitur: *Nisi pactum meum stetisset diem, at noctem, leges cælo, & terræ non posuissem.* Hebraicè autem (hoc authore teste) sic habetur: *Nisi esset amore mei Iesu & Mariæ, dies ac noctes leges cælo & terræ non posuissem.* Quæ omnia indicant satius Mariæ prædestinationem non solùm ante originalis peccati à primis hominibus commissi præuisionem, sed, & ante omnia creata fuisse confectam, quod latè, & eruditè
Carthag. Prou. 8. his, & alijs comprobat Franciscanus Carthagena lib. 1. hom. 2. ex illo Prouerbiorum 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.*

Consequentia verò euidens mihi est, quia si nullum erat, quando Mater Dei prædestinata fuit, peccatum præuisum, nec originale etiam, quomodo illius particeps extitit? Aut quomodo peccatum originale commisit? Vnde ad hoc denotandum Prouer
Prou. 8. bio. 8. verba: *Nondum erãt abyssi, & ego iam concepta erã*, Mariæ accomodat Ecclesia. Abyssus enim, vt nota-
Archidia co. c. nõne 37. dist. uit Archidiaconus in cap. nonne 37. distinctio. componitur ab, A, quod est *sine*, & à *bysso*, quod genus quoddam lini cãdidissimi significat, quare per abyssum peccatũ intelligitur, quod priuat gratia, quæ est mundissimum, & candidissimum linum. Nec id in-
Psal. 41. solens est. Psalm namque 41. Psaltes dixit: *Abyssus abyssum inuocat*, idest (vt plures cum Gregorio exponunt) vnum peccatum ad aliud trahit. Ecce ergo Maria dicitur *quando nondũ erant abyssi, concepta*, quia nullum pro tunc in humana natura peccatum præcesserat.

Digitized by Google

rat. Vnde quemadmodum, cùm aliquis de crimine aliquo accusatus, illud non commisisse, eo quòd ab eo loco, vel tempore pro tunc abfuerit, optimè probat (quod nos vocamus *prouar la coartada*) sic similiter Maria sanctissima, vt de crimine originali accusata probet numquam illius ream extitisse, ait, *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*, hoc est, ante vllius peccati etiam originalis existentiam, in diuina mente electa, & præelecta fui.

Vndecimum argumentum sic propono: nam Beatissima virgo Maria, ob sui dignitatem excellẽtem, Maternitatisquè venerabilitatem, à pluribus, & communibus regulis, quibus tam ex iure naturali communi, quàm ex Sacræ scripturæ testimonio, cæteri hominum sunt astricti, omnino immunis, liberaquè permansit. Cur ergo in hac sola peccati originalis conditione misera, cæteris æquari fatebimur? Huius autem argumenti consequentia moraliter euidens est. Non enim aliquam, vel probabilem rationem ad uersarij assignabunt, discrimen tradentem. Antecedens verò innumeris declaratur exemplis. Primò enim à communi illa lege Euæ, & alijs fœminis imposita Genesis 3. *In dolore paries filios tuos*, omnino exempta, & priuilegiata fuit. Rursus à communi illo ab Apostolo comminato malo ad Eph. 2. *Omnes nascimur filij iræ*, etiam contrarij nostri illam defendunt; defenditquè Ecclesia, dum festum Mariani ortus cõcelebrat. Item ab actualis peccati contractione, ita hominibus infallibili, vt dicat Ioannes 1. Epist. cap. 1. *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, meritò Mariæ sanctitas immunis existit, vt declarat Tridentina Synodus sess. 5. Præterea ab illa in malum, peccatumquè misera-

Vndecima ratio.

Genes. 3.

Ad Eph. 2.

Ioan. 1. Epist. c. 1

Conc. Trident. sess. 5.

ra propensione, omniquè fomitis inordinato motu, omnibus, etiam sanctissimis hominibus communi, Maria fuit exempta. Rursus ab illa Adamo protoparenti maledictione inflicta, *In pulverem reverteris.* Genes. 3. Ecclesiæ approbata traditio, festiquè celebratione confirmata, Mariam eximit. Denique naturæ plures miseriæ, Conceptio scilicet cum voluptate, partus sine virginitate, & infinitæ aliæ penitus à Maria abfuerunt. Multò ergo meliùs privilegium hoc præservationis ab originali Mariæ concessum fuit. Aliàs, cùm multò minora concessisset Deus Mariæ privilegia, si hoc immunitatis ab originali denegasset, dici posset Deus, *allegador de las cenizas, y desparramador de la flor de la harina.*

Confirmat bellè hoc argumentum, nam si sanctissimæ Mariæ aliquando optio daretur, an vellet innumeris malis pœnæ affici, infinitisquè privilegijs privari, an verò originale peccatum aliquando habuisse: rectè sentiens responderet, maluisse quidem innumeris pœnæ malis, & tormentis affligi, & plurimis destitui privilegijs, quàm originale crimen, vel per instans solùm admisisse. Peccatum namque originale, cùm malum culpæ sit, gratiæquè, & amicitiæ Dei privationem includat, innumeris gradibus quæcumque alia mala, bonorumquè privationes præcellit: meritò ergo omnibus alijs postponendum est. Vnde illuminatus Doctor Mairon in tertio distinctione tertia, quæstione secunda, articulo secundo ait: *Quòd si Christus Matrem suam permisisset incurrere peccatum originale, peius sibi fecisset, quàm si eam perpetuò pœna sensus puniisset; Vnde beata Virgo in puris natura-* D. Mair. in 3. dist. 3. q 2. ar. 2.

turalibus constituta, priùs pœnam æternam elegisset, quàm peccatum originale, quia magis quis debet fugere odium Dei, quàm pœnam æternam. Quis ergo cordatus Theologus tale piaculum in Maria concedet, quo melius illi fuisset æternis cruciatibus in inferno cruciari? Quod intellige, si in inferno in gratia, & amicitia Dei torqueretur, si fieri posset.

Accedat præterea duodecima, nec minùs efficax Theologica ratio, quâ ex eo deduco. Quòd nulla vtilitas, emolumentum nullum, nullumquè commodum, Deo, virgini, aut Ecclesiæ, ex Deiparæ in originali lapsu elicitur, aut elici potest. Ex quo proinde manifestè infertur, neutiquam tale, aut tantum damnum in eius Matre sanctissima permisisse Deum. Nam, iuxta receptum sanctorum omnium proloquium, numquam Deus permittit mala, nisi inde excellentiora eliciat bona. Quod dixit Hieronymus in Epistola ad Philemonem his verbis: *Hominum prava consilia Deus vertit ad rectum* Et antiquissimus Boetius libro quarto de consolatione sub finem secundæ Prosæ: *Sola* (inquit) *est diuina vis, cui mala quoque bona sunt, cùm eis competenter vtendo, alicuius boni elicit effectum.* Quæ est etiam doctrina Dionysij capite quarto de diuinis nominibus, & Augustini sæpius, maximè in Enchiridio capite vigesimoquinto, vigesimosexto, vigesimoseptimo. Et verò nihil vtilitatis ex virginis peccato Deo proueniisse, inde manifestum est, quòd peccatum potiùs ipsi dolorem, tristitiamquè affert. Vnde Paulus ad Ephesios 4. ait: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Et Oseæ 14. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.* Si ergo, cuiuscumque alterius peccatum (mortale præsertim) tristi-

S. Hiero. in Epist. ad Phil.
Boet. lib. 4. de consol.
Dion. c. 4 de diu. nomin.
Augu. in Enchir. c. 25. 26. & 27.
Ad Eph. c. 4.
Oseæ 14.

tristitiam Deo, amaritudinemquè præstat, quid de peccato sanctissimæ eius genitricis dicemus? Quantò enim maiora circa ipsam dilectionis signa dedit, tantò etiam maiorem, peccatum eius amaritudinem Deo conferet. Quæ ergo vtilitas inde Deo eueniet? Ipsi etiam virgini nihil emolumenti inde prouenisse, profectò liquescit ex dictis; si enim in tantum peccatum hoc odisset, vt potius æterna pœna sensus affici vellet, quàm illud perpetrasse, quis nō dicet, nullum illi tale peccatum emolumentum attulisse?

At dicunt, emolumentum Mariæ ex peccato originali ortum, fuisse maximum, redemptionis nimirum Christi participem esse; si enim tale peccatum non habuisset, à Christo redempta non esset. Insuper, vt eius humilitas profunda vrgentius motiuum haberet, dum cogitaret se in instanti Conceptionis sub Diaboli seruitute extitisse. Hæc verò blitea sunt, & straminea, debilitatem oppositæ sententiæ indicantia. Nam, primò etsi peccatum originale Maria non habuisset, nihilominus egregio modo Christi redemptionem participasse inferiùs lucidè constabit. Rursus, si ob humilitatem virginis decens fuit permissio in originale lapsus, cùm actualia peccata (mortalia maximè) eo quòd voluntaria sint, motiuū fortius humilitatis & proprię abiectionis afferrent, potiùs quàm originale, à Deo permitti deberent. Videant ergo aduersarij nostri, si hoc concedunt Marianæ puritati. Insuper Christus humilitatis exemplum fuit, vt dicere potuerit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et tamen sine vllo peccato. Prorsus ergo impertinenter ad veram humilitatem, peccatum se habet. Tandem, quia humilitas innocentis multò maioris ponderis est apud Deum, quàm humi-

litas

litas peccatoris. Vt enim egregiè Bernardus serm: 45. in Cantica: *In eo, qui grauiter peccauit, etsi amanda, nõ tamen admiranda humilitas, at si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne sibi videtur geminum animæ posidere decorem?* Cui accinit Seraphicus Bonauentura de profectu religios. lib. 2. capit. 33. inquiens: *Si humiliatur, & despicit se, qui non habet vnde glorietur, sed multa vnde confundatur, licet bona sit ista humilitas, non tamen admiranda.* Quorsum ergo infimam hãc humilitatem Deiparæ Beatæ contrarij nostri impingunt? *Bernard. serm. 45. in Canti.* *Bonau. de prof. religio. lib. 2. cap. 33.*

Ast verò, nec nobis vtilitatem àliquam ex hac Mariæ macula prouenire, adeò certum est, vt ridendus, vel potiùs irridendus esset, qui oppositum adstrueret. Quin potiùs, maximas vtilitates inde nobis prouenire, facilè comprobabo. Primò namque, ex eo quòd Deiparam originali peccato caruisse sentiamus, omnes ad eius deuotionem, Christiquè amorẽ, qui hoc illi priuilegium concesit, accenduntur, & inardescunt: adeò, vt illibatæ Conceptionis festiuitas, ex solemnioribus Ecclesiæ, frequentatione fidelium, sacramẽtorumquè receptione, sit. Insuper nostræ opinioni assentientes, vtilitatem aliam maximè ponderandam percipiunt Cùm enim Ecclesiæ clara definitione nostra non exprimatur sententia, sed adhuc sub iudice Pontifice, maneat litis contentio, qui illi adhærent, sine dubio propitiam valde habebunt Mariam, vtpote, cuius omnigenam puritatem defendant, cùm tamen sine hæresis nota, oppositæ adhærere possent. Quòd hoc exemplo, iam pridem ab alijs insinuato declaratur. Si de nobilitate alicuius magnatis, in tribunali politico agitaretur causa, qui busdam asserentibus omnigena nobilitate pollere,

(quod

(quod noſtræ Hiſpaniæ vocãt *Hidalgo de quatro coſtados*) negantibus alijs: qui tamen illius Principis partes gererent, haud dubiè ipſius fauorem mererentur, cùm tamen oppoſitum tuẽtibus, nullatenus propitius fore deberet. Sic ergo de Mariæ ſanctiſsimæ fauore credi oportet, vt eam noſtræ aſſertoribus ſententiæ clementiorem, quàm contrarijs, exiſtimare poſsimus. Tandem emolumentum aliud, nec parui ponderis toti Eccleſiæ ex immaculata Conceptione Mariæ redundat, vt poſsit, quemadmodum Apoſtolus ad Epheſ. 5. dixit, eſſe *Sine macula, & ſine ruga.* Cæteri namque homines Eccleſiæ membra, aliqua macula, rugaq; ſunt affecti. Vt ergo verificetur Apoſtolicum hoc dictum, oportet Mariam numquam originalem hanc rugam contraxiſſe.

Ad Eph. 5.

Efficacia quoque alia ſuperadduntur argumenta. Cap. 27.

Tertiadecima ratio.

NOn leue, futile, aut inane erit argumentum tertiumdecimum. Illud verò ex Patrum, Doctorũ, Theologorũque, & (quod magis eſt) Eccleſiæ authoritate, conſtantiquè doctrina, deducam, qua Deipara ſanctiſsima ſuper Cherubim, Seraphim, Principatus, poteſtateſque cæleſtes, ſanctitate, & excellentia extollitur. E quo optima conſequutione elicietur, hoc priuilegium immunitatis ab originali, ipſi non defuiſſe, ſicut neque illis, quibus ſuperior eſt conſtituta. Et quamuis ex Patribus, qui noſtram confirmabant ſententiã, capitibus præcedentibus relatis, plures, qui hãc nobis veritatẽ expoſuere, adduxerimus, quales ſunt antiquiſsimus Antiochenus Ignatius in Epiſtola ad Magiſtrũ Ioannẽ, ſanctus Ephrẽ Syrus in oratione de laudibus Virginis, Sophronius in epiſt.

S. Ignati. S. Eph.

de

de Assumptione Mariæ, Theodoretus lib. 3. in Cant. & Chrysost. in Hypopante Domini, & liturgia; alios tamen non præteribo. Inter quos primus sit Areopagita Dionysius in epistola ad Paulum, vbi Mariam compellat *Deiformem, atque supra omnes cælicos Spiritus Sanctissimam Matrem Christi Iesu.* Cui adiungitur Gregorius ille Nazianzi Theologus in fine Tragœdiæ de Christo patiente; suauissimê modulantis græcê, vt tamen vertit Roilletus, hæc sunt verba:

Theodor. Chrysos. S. Dio. Areopagita. S. Nazi. Roillet.

—— —— —— *Salue puella gratia*
AEquanda nullis, Mater, & Virgo, supra
Omnes decora virgines, & maxima
Quæ vincis omnes Ordines Cœlestium,
Regina, Domina, generis humani bonum.

Cui quoque Gregorio Gregorius alius Romanus adhæret, Pontifex, & Doctor primarijs annumeratus: in primi autem Reg. c. 1. sic loquitur: *An non mons sublimis Maria, quæ, vt ad Conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, vsque ad solium Deitatis erexit.* Adde Rupertum libro sexto in Cantica, Petrum Damianum sermone de Virginis Assumptione, & sermone secundo de Natiuitate Virginis, & sexcentos alios, qui idem nobiscum & cum Ecclesia vniuersali confitentur.

Greg. Pa. in 1. Reg. cap. 1. Rupert. lib. 6. in cantic. Petr. Da. Serm. de Assump. Virginis.

Ex hoc verô Mariano epitheto, eius sine vllius peccati næuo sanctitatē, elicere quibim⁹. Si enim Maria purior est Cherubicis, & Seraphicis Angelis, cū in illis nulla macula peccati extiterit, qua facie id de Maria affirmabim⁹? Si Maria Cœlicorū Regina, & Imperatrix est, quomodo ipsos â peccati omni cōtagione liberos dicem⁹, si eam aliquādo culpæ obnoxiā dixerimus? Nūquid *Seruus est maior domino suo?* Si seruos, & subditos â peccati vectigali, & tributo immunes asserimus, Mariam

sanctissimam eorum Dominã, tali iugo, tributarioquè oneri aliquando obstrictam concipiemus? *Est malum* (inquit Sapiens Eccleſiast. 10.) *sub sole, vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi seruos.* Malum igitur est seruos virginis (Angelicos scilicet cœtus) semper in statu gratiæ insidentes, si ipsam Mariam peccati terram perambulantem dicamus. Quin naturæ dictamen, quòd Principis subditus aliqua excellentia præfulgeat, quam princeps ipse innumeris gradibus non præhabeat, penitus abhorret. Hinc Claudianus in Eutropium:

Eccleſ. 10

Claudia.

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.

Ideſt (vt ego intelligo) nihil asperius hominibus apparet, quàm humilem seruum domino suo altiorem possidere locum: qua ergo rationis vi Angelos Maria sublimiores dicemus?

Quartadecima ratio.

Quartamdecimam iam rationem sic eliciam. Nam Deipara sanctissima, ob eius dignitatem egregiam, sanguinis nobilitate clara, ex generosa stirpe parentum progenita, & proauorum titulis decorata fuit. Orta namque est ex multis veteris testamenti Patribus, Patriarchis insignibus, nobilissimis Regibus & Principibus, fortissimis, & strenuis Ducibus, summis Pontificibus, & sacerdotibus, sanctissimisquè diuinę legis cultoribus. Ob quæ meritò virginem alloquentes Virgiliana Carmina Aeneid. 1. vsurpare poterimus:

Virgil. Aenei. 1

Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula, quæ tanti talem genuere parentes?

Sub qua propositione minorem subsumo: videlicet, veram hominis nobilitatem non in claritate sanguinis, proauorum titulis, maiorumquè stemmatibus versari, quod maximè Christi seruo competere decet,

cet, teste namque Paulo 1. Corinth. 1: *Non multi nobiles, sed ignobilia mundi elegit Deus.* Quod Christus clarè ostendit, dum Ioan. 5. dixit: *Claritatem ab hominibus non accipio.* Quare vera nobilitas in animi moribus, animæ sanctitate, & iustitia, & fuga à peccatis, & vitijs consistit. De quo optimè Hieronymus ad Celantiam dixit: *Sola apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* Et Chrysostomus super Matth. *Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara?* Accinitquè Ouidius primo de Ponto, dicens: 1. *Cor.* 1. *Ioan.* 5. *S. Hiero.* *Chrysost.* *Ouidius.*

Non census nobilem, nec clarum nomen Auorum,
Sed probitas, magnum, ingenuumquè facit.

Et Iuuenalis lib. 3. sat. 2. acumine ingenij in quèdam, qui cum prauis moribus esset, generis nobilitate se glorioſum putabat, his inuehitur: *Iuuenalis lib. 3.*

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictos ostendere vultus
Maiorum, stantes in curribus Aemilianis?
Tota licet veteris exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica, virtus.

Sed Christianè certè à gentili Poeta Nasone in lib. de Vetula hæc dicta non omittam. *Ouid. in lib. de Vetula.*

Nobilitas hominis, mens, & Deitatis imago,
Nobilitas hominis, virtutum clara propago,
Nobilitas hominis, humilem releuare iacentem,
Nobilitas hominis, mentem frænare furentem,
Nobilitas hominis, naturæ iura tenere,
Nobilitas hominis, nisi turpia nulla timere,
Nobilitas hominis, terrenas temnere dotes,
Nobilitas hominis, cælestia carpere regna.

Si ergo Maria sanctissima nobilitate, ingenuitate, perspicuitatequè, omnes creaturas excedit, Angelis superior extat, filijquè nobilitatem, in quantum humana

mana natura capit, adæquat: vt hæc vera sit nobilitas, nulla peccati sorde inquinatam tueamur. Aliâs, si nobilis, ingenua, & clarissima est, quomodo infami peccati originalis vitio labefactatam dicemus? quomodô hac turpi nota, ingenuam eius nobilitatem affici asseremus? aut quomodo ipsius claritatem hoc opprobrio, infamia, turpiditudinequê obscurari affirmabimus?

Decima quinta ratio.

Similis erit quinta decima ratio ex virginea pulchritudine desumpta: fuit enim verê pulcherrima, nullo deformitatis nævo, aut nota deformis, sed omnino speciosa, & amabilis: & vt omittam Nicephorum *Nicepho. S. Epiph.* lib. 2. cap. 23 qui ex Epiphanio ad amussim nimis, Virginis Sanctissimæ pulchritudinem describit; quæ eruditus Bernardinus in Epistola ad Sixtum quartum *Bernard. in epist. ad Sixt. 4* scripsit, non omittam, sic autem canit:

Nulla fuit tanto mulier redimita decore,
Quæ speciem superet, Virgo Maria, tuam.
Candidior veris rutilas Regina colore,
Et radijs cedit clara Diana tuis.
Luna suum perdit tecum sociata nitorem,
Atque comes nullum Sol tibi lumen habet.

Quin Patres addunt ea pulchritudine infusa diuinitus viguisse Mariam, vt intuentium, non solùm libidinem extingueret, sed animos ad castitatem excitaret. Ita Diuus Ambrosius de institutione Vir- *D. Ambro. de institutione Virg. c. 7.* ginis, capite septimo, Sanctus Thomas in tertio *S. Thom.* quæstione prima articulo secundo, Bonaventura *Bonauen.* ibidem distinctione tertia quæstione tertia, Cancellarius Gerson in sermone de Conceptione Virginis, *Gerso in sermo. de Cõ. Virg.* & plures alij ex antiquioribus, & neothericis Theologis. Ex hac igitur Virginea pulchritudine non deforme argumentum in eius fauorem depromam. Nam

vera

vera pulchritudo, non tantùm in corporea compositione membrorum, cùm debita adinuicem distantia proportioneuè, sed præsertim in animæ sanctitate, virtuteque consistit: *Pulchra enim est casta generatio cum claritate, & immortalis memoria illius*, teste Sapiente capit. 14. De quo Poeta canit: *Sap. 14.*

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Decuit igitur virgineam Dei Matris pulchritudinẽ, vt vera pulchritudo sit, hanc animi dotem admisisse, vt nulla macula, deformitate, aut peccato, eius sanctissima anima maculata sit.

Vltimam rationem ex quadam quasi verecundia, animi timore, commotioneuè, quibus oppositæ sententiæ fautores, cùm eam tuentur, aut de ea loquuntur, affici videmus, efformare possumus. Paucos enim his nostris temporibus reperies, qui palàm audeant affirmare, vt verum, peccatum originale in sanctissima virgine fuisse. Quòd si aliquando id asseuerant, solùm inter occlusos parietes, anxij, atque soliciti, ne offensionem audientium incurrant, id faciunt. Si verò ipsis contradicitur, conticescunt illico, pallent vultus, hærent labia, nec ampliùs de ea sententia loqui audent. Vnde, vt notauit Valencia 3. p. disp. 2. q. 1. punct. 2. nec intermittere possunt, quin quædã in fauorem nostræ sententiæ fateantur, vt oppositam opinionem aliqualiter liniant. Vt cùm Melchior Canus lib. 7. de locis capit. 1. scribit, opinionem de immaculata Mariæ Conceptione *probabiliter, & piè in Ecclesia defendi*. Et Medina tertia parte quæstione 27. articulo secundo eandem sententiam *piam, & deuotioni populi accommodatã* vocat. E contra, nostræ sententię fautores, eã publicè in Regũ palatijs, aulis Principũ, Cathedris, vniuersitatibus, cõcionibus, vulgaribusq; ad

Ratio Vltima.

Valen. 3. part. disp. 2. q. 1. punct. 2. Melch. Canus lib. 7. de locis capit. 1. Med. 3. p. q. 27. art. 2.

ad populum allocutionibus, sine metu, timore, aut anxietate prædicant. Quæ omnia mihi signa sunt illius veritatem indicantia. Vt enim egregiè, verissimequè Areopagyta Dionysius in capit. 7 de diuinis nominibus ait: *Nouit is, qui veritati coniunctus est, quàm bene se habeat, etiam si plures illum corripiant.* Oppositam verò sententiam, opposita signa, veritatem non tangere, non obscurè subindicant.

S. Dion. Areop. c. 7. de diui. nom.

Quòd nullum sacræ paginæ testimonium oppositæ sententiæ deseruiat. Cap. 28.

NOn solùm oportet nostram sententiam fortiter, & efficaciter confirmare, sed necessarium prorsus est, vt ea, quæ in oppositum adducuntur, infringere penitus, vel saltem ostendere nullius valoris, efficacitatisuè, esse ad nostram reijciendam sententiam. Quia verò Sacræ scripturæ testimonia, non parum, sed efficaciter nimis nobis adstipulari ostendi, restat modò, vt quæ in oppositum ex ipsa scriptura eliciuntur, omnino diluamus.

Et sanè si prudenter rem examinare velimus, certo certius reperiemus, nihil in Sacra scriptura, quod nostræ aduersetur thesi, inueniri posse. Primò quidem, quia cùm Pontifices summi, Ecclesiæ capita, ita nostræ fauerint sententiæ, vt ferè nihil, nisi eius expressa definitio ab illis desiderari possit: immaculatæ Conceptionis celebrando, instituendoquè festa, eiusquè cultores indulgentijs, & fauoribus alliciendo: insuper contra eius aduersarios, ne aliquod conuitium hæresis, aut erroris, aut aliquid huiusmodi illi impingant, se opponendo; quis credet

Sacræ

Sacræ scripturæ nostram aduersari sententiam? Pōtifices nanique, quòd verbo, Dei scripto, aut tradito aduersari conspiciunt, nec recipiunt, nec amplectuntur, imò illius auersatores maximi sunt. Cùm igitur immaculatæ Mariæ Conceptioni non modò non aduersentur, quin potiùs maximè patrocinari, & adstipulari videantur, neutiquam dubitandum est, quin illa contrarium dogma sacræ paginæ non contineat. Secundò, quia cum tot Patres antiqui, & celeberrimi nostræ partis fautores, aut adiutores extiterint, illamque, vel indicauerint, vel expresserint, quo iure credi posset, oppositum in Sacra scriptura contineri? Si enim in illa illud aduertissent, longissimè à nostra abscessissent sententia. Tertiò, quia loca Sacræ scripturæ, quæ à nobis sunt in præcedentibus adducta, clarissimè Mariam ab hoc peccati iugo immunem concedunt, vt plusquam probabiliter suis locis ostendimus. Nō igitur existimandum est, oppositum alijs locis edoceri, cùm in sacris literis contradictio, sicut nec falsitas, reperiri non possit. Tandem quartò, & principaliùs; nam sacra Tridentina Synodus sessio. 5. iam adducta, cùm omnes, & singulos homines, miserâ peccati originalis macula propter Adami peccatum infectos esse declarasset, simulquè Sacræ scripturæ testimonia illud indicantia, ad hoc propositum adduxisset, tandem concludit: *Non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem.* Quo manifestè ostendit, tam motiua, quàm Sacræ scripturæ loca, quæ omnes homines hac labe affectos esse declarant, neutiquam aliquid contra virgineam puritatem Mariæ definire, ex quo etiam luce clariùs elicitur, nullum esse paginæ sa-

Conc. Triden. sess. 5

cræ

& mulieres, legi lapsus in originale sunt adstricti, sed sola Regina Maria eximitur, quin eius precibus cæteri liberantur.

Insuper secundò ponderanda est Sanctorum gratiissimorum doctrina, quam Canisius libro primo capite sexto, & alij retulere: nimirum vniuersales propositiones, quas sacra Pagina proponit, non semper vniuersaliter vndequaque exponendas esse. Sic enim Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam de filio prodigo exponens illud Lucæ 15. *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*, ait, particulam illam vniuersalem, *omnia*, non semper referendam esse ad totum, sed ad maiorem partem. Quo etiam sensu Matth. 3. dicitur: *Exibat ad Ioannem, Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem.* Cûm tamen credibile sit, innumeros in sua remansisse domo, quin Ioannem viserent. Hinc etiam Photius Constantinopolitanus Patriarcha in responsione ad Amphilochium annotauit, quôd *sæpe in Scripturis figura est vniuersalis, sed non tamen sententia est vniuersaliter accipienda.* Cui adhæret Fulgentius de Incarnatione, & gratia Christi capite trigesimoprimo dicens: *Est autem familiare diuinis eloquijs, vt omnes nõ nunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus, semper intelligi debere commoneant.* Quam quoque regulam optime Cautapetrensis lib. 6. Hypotiposeon cap. 3. mirabiliter probat. Sic ergo sacra eloquia, quæ omnes, nemine dempto, peccato originali infectos esse declarant, necessarium non est ad Beatam Virginem extendi, quæ speciali priuilegio ab hoc misero peccati iugo creditur exempta.

Canisi. li. 1. cap. 6.

Hiero. in Epist. ad Dam. Pa. Lucæ 15.

Matt. 3.

Photi. in respõ. ad Amphil.

Fulg. de Incar. & gra. Christi ca. 31

Cant. lib. 6. Hypo. cap. 3.

Quod vt clarius innotescat, sacræ Scripturæ aliquot vniuersales propositiones afferam, quæ tamen ob

speciale priuilegium Mariæ nostræ adaptari nequeunt. Primò enim omnia illa, quæ actuale peccatum denotant (etiam aduersarijs fatentibus) penitus
Ierem. 6. à Maria relegantur, quale est illud Ieremiæ 6. *A minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur.* Ad
Ad Phil. 2. Philip. 2. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.*
Ioan. 10. Ioan. 10. *Omnes quotquot venerunt fures sunt, & latrones.*
Psal. 13. Psalm. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.*
Psal. 115. Psalm. 115. *Omnis homo mendax.* Ad Rom. 12. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* In-
Rom. 12. super alia multa sunt generalia documenta, etiam si peccatum non claudant, à quibus tamen excipitur
Eccle. 40. Maria, vt est illud Eccles. 40. *Omnia, quæ de terra sunt, in terram conuertentur.* Pariter ergo in Deiparam sanctissimam pios nos exhibere velimus, à generalibus locutionibus de peccati originalis contractione eam eximentes.

Ex quibus iam sole clariùs testimonia Sacræ scripturæ, quæ nobis aduersarij opponunt, penitus cor-
Ad Ro. 5 ruunt. Quale est illud ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes pec-*
Ad Ro. 3 *cauerunt.* Et ad Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & egent*
1. ad Co rinth. 15. *gloria Dei.* Et 1. Corinth 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Et ad Ephes.
Ad Eph. 2. 2. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* Et ad Galat. 3.
Ad Ga lat. 3. *Conclusit omnia sub peccato.* Quibus etiam adiungi possunt testimonia alia. Hæc tamen omnia, quamtumuis vniuersalia sint, non tamen ita vniuersaliter sunt exponenda, vt speciale priuilegium Mariæ concessum excludant. Quare iuxta legem communem, &
S. Tho. 3. p. q. 27. ar. 1. ad 2 ordinariam, exponi debent. Qua etiam solutione vsus est Angelicus Doctor 3. part. q. 27. artic. 1. ad 2.

vbi

vbi arguens, quòd Beata virgo non fuisset sanctificata antequam nata, ex Augustino in Epistola ad Dardanum dicēte, quòd *sanctificatio, non nisi renatorum est:* respondet Sanctus Thomas, *quòd Augustinus loquitur secundum legem communem, secundùm quam, per sacramēta non regenerantur aliqui, nisi priùs nati: sed Deus huic legi sacramentorum, potentiam suam non alligauit; quin aliquibus ex priuilegio gratiam suam conferre posit, antequam nascantur ex vtero.* Quid ergo mirum, quod sancti Doctoris vestigia secuti, similem solutionem in non dissimili causa proferamus? *Augu. in Epist. ad Dardan. S. Thom.*

Tandem testimonia alia Sacræ scripturæ, quę pro contrarijs opponi possunt, eo quòd solùm Christum Dominum à peccato originali excipere videntur, in hunc modum explicari debēt, vt scilicet, solus Christus fuerit immunis abhoc, & alijs peccatis, iure suo, debitoquè suæ naturæ: B. autem virgo, non ita, sed speciali priuilegio filij, vel diuerso modo. Quo sensu Sophronius in Epistola de Assumpt. ad Paulam dixit: *In Maria totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter.* Quare quemadmodum Luc. 8. dicitur: *Solus Deus bonus*, & Apocalyp. 15. *Solus pius*, & 1. ad Timoth. 2. *Soli Deo honor & gloria*, quoniam, quamuis alij boni, pij, & honore, ac gloria digni sint; inferiori tamen nimis, & infimiori modo, quàm Deus. Sic similiter in proposito, propter specialem prærogatiuam, solus Christus dicitur exemptus ab hoc peccato. Addam tamen libenter, si alijs adhærere velimus cum Carthagena homil. 19. in exceptione Christi à peccato originali, B. etiam virginem intelligi excepiam. Primò, quia, vt docet Augustinus sermo. de Assumptione, *Caro filij, est caro virginis Matris*; ergo excepta carne filij Christi ab omni macula, etiam caro *Sophro. in Epist. de Assump. ad Paulā. Luc. 8. Apoc 15 1. ad Timoth. 2. Carthag. homi. 19. Aug. ser. de Assūptio.*

virginis Matris excipi debet. Secundò, quia, vt suprà cap. 22. notaui ex l. sacris. C. de proximis sacrorum scriniorum, & in l. bene à Zenone. C. de quadrip. & alijs legibus: *Mater, & Augusta gaudet priuilegio Principis, & Imperatoris filij.* Quando ergo excipitur Christus ab originali crimine, etiam Maria exempta esse cognoscatur.

L. sacris C. de proximis. L. bene à Zenon. C. de quadr.

Quòd Beatissima virgo Maria perfectissimè dicatur per Christum redempta, etiã si maculam originalem nõ habuerit. Cap. 29.

PRæcipuum argumentum, quo impugnantes immaculatam virginis Conceptionem, contendũt nostram eneruare sententiam, & quo quasi innixi, grauissimam argumentorum machinam pro nobis extructam, effugere conantur, est, quia arbitrãtur quòd si sanctissima Deipara, absque peccato originali cõciperetur, nõ fuisset à Christo redempta. Quod multis probare nituntur. Primò, quia vbi non est captiuitas, non habet locum redemptio, redemptam ergo fuisse virginem, peccatum originale in ea præsupponit. Rursus secũdò ex testimonio Zozimi Papæ apud Augustinum Epist. 157. ad Euodium ita dicentis: *Nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè captiuus.* Tertio Leonis etiam Papæ verbis in sermo. 11 de Christi Natiuitat. dicentis: *Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Tandem, quia Christus est mortuus pro virgine, ergo virgo mortua est originalis noxæ morte. Antecedens est notum, consequen-

Zozimus Papa. Augusti. Epi. 157. ad Euodiũ Leo Papa sermo. 1. de Christi Natiuita.

Digitized by Google

quentia Pauli 2. Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Cùm ergo Christus mortuus sit propter virginem, peccatum ergo originale contraxit Maria, vt Christi morte redempta dici posset. 2. *Cori.* 5.

Verumtamen, vt argumentum hoc infirmum esse conspiciatur, animaduertunt Theologi nostri, duplex redemptionis, seu liberationis genus esse. Primum est, quod redemptionem præseruatiuam appellare possumus, quo aliquis præseruatur, ne in captiuitatem, damnum, mortemue cadat. Secundum genus redemptionis est (quam non præseruatiuam, maioris claritatis gratia, liceat nuncupare) quando aliquis à captiuitate, damno, vel morte, in quod reuera cecidit, eripitur, & eleuatur. Primo modo Maria fuit à Christo redempta, posteriori verò cæteri homines. Quod duplex redemptionis genus adeò verum est, vt ignorem prorsus qualiter ab aliquo negari possit. Et quia de secundo nullus dubitat, de primo quoque neminem dubitare debere, pro viribus, varijs testimonijs enitendum, & comprobandum est. Pro nunc tamen ex aduersarijs nostris celebres duos Scholasticos adducam, Durandum & Caietanum; ille enim in tertio distinctione tertia quæstione prima ait: *Puto, quòd si Beata Virgo peccatum originale non contraxisset, posset tamen verè dici redempta à Deo, pro eo quod in radice sua, ex natura suæ Conceptionis obligata erat ad incurrendum in peccatum, nisi fuisset à Deo præseruata.* Caietanus verò tertia parte quæstione vigesimatertia articulo secundo sic idem fatetur: *Si tenetur Beatam Virginem, non ex vi Conceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animæ præseruatam fuisse ab originali peccato, quod tunc incurrisset, nisi illa gratia adfuisset, nihil contra fidem tene-*

Durand. in 3. d. 3. q. 1.

Caie. 3. p. q. 23. art. 2.

tenetur, sed specialis modus redimendi, ac saluandi à peccato originali, Christo attribuitur respectu suæ Matris. Hæc insignes Dominicani Doctores, nostræque de immaculata Conceptione thesis aduersarij Theologi, fatentur nobis.

Sed iam comprobemus intentum. Id autem manifestè pluribus sacræ Paginæ testimonijs lucescit. Et primò, Regius Psaltes expressit illud Psal. 43. dum dixit: *Qui redemisti seruum tuum de gladio maligno* (ibi enim Hebraicè punctus apponitur.) Ecce Dauid se redemptum à Deo fatetur, à gladioque Goliath, vel Saulis, ereptum, inquem non incidit: sed incidisset, si Dei nõ præseruaretur manu. Insuper Psal. 85. *Eruisti* (inquit Psalmista) *animam meam ex inferno inferiori*, nõ in quem de facto descenderit, sed in quem incidisset, nisi Dei fauore fuisset protectus. Celebris quoque est Exod. 13 locus, vbi sic habetur: *Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes. Cumquè interrogauerit te filius tuus, cras dicès, Quid est hoc? Respõdebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti de domo seruitutis.* Vbi quilibet, etiam post mille annos ab egressu Aegypti, dicitur redemptus, vel eductus de Aegypto, quia quamuis ibi numquam fuerit, ab ea tamen captiuitate in patribus suis fuit præseruatus, & ereptus. Mihi quoque testimonium aliud ex Isa. 41. superaddendũ videtur, vbi Deus dicitur *Redemptor tuus sanctus Israel.* Non modò ob ereptionem Israelis, postquam in aliquod incidisset dispendium, sed propter præseruationem à periculis & hostibus, vt manifestè ex antecedentibus capituli innotescit. Nec omittam etiam quòd Booz Ruth 3. secũdùm septuaginta Interpretũ translationem, ipsius Ruth redemptor appellatur, nõ quidem quia ab aliquo damno, in quod de facto cecidis-

Psal. 43.

Psal. 85.

Exod. 13

Isai. 41.

Ruth 3.

cidisset, eam eripuerit, sed quia illi nubendo, multa, quæ illi incommoda obuenire possent, penitus obuiasset. Sic autem est lectio septuaginta senum: *Verè redemptor ego sum, & quidem est redemptor propinquus super me, si redemerit te, bonum, redimat. Si autem noluerit redimere te, redimam te ego.* Item ad Galatas 3. Paulus ait: *Christus redemit nos de maledicto legis.* Cùm tamen constet nos, in propria persona numquam sub tali maledicto, ideſt, graui illo onere & iugo fuisse. Quæ omnia manifestè declarant, posse aliquem redemptum dici, solùm ob anticipatam præseruationē à damno.

Septuagi.

Ad Galat. 3.

Patrum quoque authoritate id libet confirmare. Et primus à recētioribus receptus est Dionysius, qui c. 8. de diuinis nominibus ante finē, maiori claritate, quàm apud antiquos Patres desiderare possumus, hanc docuit veritatem. Postquam enim iustitiam diuinam salutem omnium prædicat, eo quòd *deflectentia ad deteriora præseruat*, subdit interiectis paucis: *Hāc salutem non præter intentionem Scripturæ sanctæ, vt bonitate cuncta saluante, quæ sunt omnia ab suorum prolapsione bonorum redimentem prædicare meritò possumus.* Et infrà: *Idcirco etiam redemptionem illam Theologi nominant, ex eo quòd non sinit, quæ verè sunt, ad id cadere, vt nō sint.* Quibus verbis clarissimum nostræ sententiæ antesignanum se præbet Dionysius. Eum verò sequitur Augustinus in Psalm namque 85. mirificè nostrum approbat intentum, exemplisquè confirmat. Versans namque illud Psalm. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, inquit: *Eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit, quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere, nam si nō feceris*

Dion. c. 8 de diuin. nomin.

Idem.

Augu. in Psal. 85.

feceris ægrotabis. Tu autem si feceris, & saluus eris, rectè dicis medico, Liberasti me ab ægritudine, nõ in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Subiungit alia, quæ, & ista clarissima adeò sunt pro nobis, vt neque expositione, nec ponderatione egeant, sed lectione solùm: quam si fortè ex aduersarijs aliqui habuissent, neutiquam modum redemptionis à nobis assignatum respuerent.

D. Bern. ser. 21. super Cãt. Adiunge quoque Bernardum, qui serm. 21. super Cãtic. ait: *Angelos fuisse sanguine Christi redemptos*, non à peccato, quod commiserint, sed ab eo, quod commississent, nisi Dei gratia præuenirentur.

L decẽ. ff. de verbo. oblig. L non vti que. ff. de excep. His etiam adiungamus rationes. Sumatur prima ex l. decem. ff. de verborum obligationibus, & in l. non vtique. ff. de exceptionibus, *Vbi miles ab alio milite liberatus, ne in hostium potestatem veniret, etiam si, numquã seruus eorum extitisset, manumissus* (Hispanè dicitur, *libertado*) *censetur.* Pariter ergo redemptus dici potest ille, qui, etsi neutiquam peccati captiuitatem incurrisset, obnoxius tamen illi erat incurrere, nisi à Deo Redemptore præseruatus euaderet. Secundò, quia quilibet fideliũ, qui reuera prædestinatus fuerit, potest

Magist. in 3. d. 19. dici à pœna æterna, ab inferno, igne, &c. per Christũ redemptus, quo in sensu Magister in 3. distin. 19. ait: *Christum Dominum redemisse mũdum à morte æterna.* Sed fidelis prædestinatus, nec est, nec fuit, nec erit vnquã in inferno: nõ ergo ad veram redemptionem requiritur, quòd quis eripiatur de illo malo, in quod cecidit, sed sufficit eripiatur ab eo, in quòd caderet, si nõ adiuuaretur. Et hinc sumitur præcipua ratio: nam ratio redemptionis solùm dicit essentialiter ereptionem à malo, sed non solùm eripitur à malo, qui in illud prolapsus eleuatur, sed & ille, qui in illud, nisi adiutor adesset, laberetur. Ergo, &c. Quod etiam con-

cinnè

tinnè nimis, & aptè ad propositum confirmat exemplum vulgare ancillæ, cuius filius, antequam concipiatur, liberatur ab aliquo, ne in seruitutem actualé deueniat, quod, quia virgineam puritatem, simul cũ perfectissima redemptione declarat, inferiùs proponam.

Quibus iam abundè satis prælibatis, asserendum nobis est, Deiparam Mariam altissimo modo à creaturis cæteris redemptam fuisse à Christo Domino, quantumuis originalis maculæ expers extiterit. Cõclusionem hanc nostri instituti defensores, vt certam supponunt. Eamquè subtilis approbauit Doctor in tertio distinctione tertia quæstione prima. Cuius ratio clara est ex dictis, quia redemptio liberatio est, seu ereptio à malo: sed magis liberatur à malo, qui in illud numquam cecidit, quàm ille, qui postquam lapsus est ab illo liberatur. Nam ille particeps damni fuit aliquando, iste verò numquam. Cùm ergo Deipara sanctissima, ex meritis Christi, à misero in originale lapsu præseruata fuerit (eò enim eius prædestinatio ante omnem creaturam à Deo facta fuit) altiori à cæteris creaturis modo redempta à Christo dici debet. Confirmat hoc aureum Augustini dictum super Genes. ad literam: *Maiorem gratiam impendi illi, cui conseruatur innocentia, quàm cui remittitur culpa.* Perfectius ergo redemptionis genus Mariæ adaptamus, dum eam meritis Christi liberatam credimus à misera peccati originalis seruitute, quàm si post illam contractam, ab ea ereptam fuisse diceremus. Quod ipsum penitus declarat; nam si aliquis ancillæ filium, quem paritura erat, qui (cùm partus sequatur ventrem) seruus nasci deberet, antequam nasceretur, imò nec conciperetur quidem, à seruitute liberaret,

Scot. in 3. d. 3. q. 1.

Aug. sup. Genes.

& omnino immunem faceret, perfectiſsimè illi libertatem dediſſe, ipſiusquè perfectiſsimus redemptor diceretur. Hoc igitur modo nobis philoſophandum erit, vt Beatiſsima Maria, cui (quia filia hominum erat ſeminali propagatione producta) originale crimen adueniret, antequam illud contraheret, Chriſti meritis ab eo immunis, & priuilegiata extitit, veriſsimè, & perfectiſsimè à Chriſto aſſeratur redempta.

Hinc verò facilè perſpicietur, quàm verè Virgo Sanctiſsima, perfectiſsimè à Chriſto dicatur redempta ſupra creaturas cunctas. Quod mihi deſignat Eccleſia dum in officio Conceptionis ſic in hymno canit:

Eccleſ. in Offi. Con. in hym.

Nullam redemit filius
Ex omni gente dignius,
Qui te ſeruauit prouidè
Mundans paterno ſcelere.

Bern. ſer. 51. ca. 3. Quod, & exprimit deuotiſsimus Bernardinus dum (reſerentibus recentioribus) ſermone 51. cap. 3. dicit: *Chriſtum Dominum magis veniſſe in carne pro Beata Virgine redimenda, quàm pro omnibus alijs hominibus.* Et propter hanc cauſam illam vocat: *Primogenitam Redemptoris*, citans gloſſam in id Cantic. 4. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa.* Hinc etiam meritò Eccleſia de eà canens dicit: *Elegit eam Deus, & præelegit eam.* Vbi illud, *præ*, præſeruatiuam hanc redemptionem ſubindicat. Optimoquè iure, ipſa Deipara Sanctiſsima Chriſtum Dominum Luc. 1. *Salutare ſuum* appellat: congruêque illud Iſa. 61. *Exultabit anima mea in Deo meo.* Et Abacuch 3. *Exultabo in Deo Ieſu meo*, effari poſſet: quia nimirum ſpecialiſsimo, & altiſsimo modo, præ creaturis cæteris, redempta fuit à Chriſto.

Canti. 4. *Luc. 1.* *Iſa. 61.* *Abac. 3.*

Penitus iam corruunt argumenta contra noſtram oppoſita ſententiam, ex eo quòd, ſi Maria Sanctiſsima

peccatum

peccatum originale non contraxisset, redemptionis Christi particeps non fuisset. Id namque penitus negamus. Imò dicimus altiori, & præstantiori modo Christi redemptionem participasse, eo quòd, ne in peccatum originale, prout habebat debitum, laberetur, præseruata est. Vnde ad primum nego etiam antecedens, nimirum redemptionem præsupponere captiuitatem, hoc namque solùm verum est de redemptione non præseruatiua; non verò de ea, quam præseruatiuam vocamus: nisi per captiuitatem debitum captiuitatis percipere libeat. Ad testimonium Zozimi dico, intelligi posse de non præseruatiua redemptione. Nisi velis ibi per *seruum, & captiuum*, non modò intelligi eum, qui actu *seruus est*, & *captiuus*, sed eum etiam, cui debita erat captiuitas, & seruitus. *Zozim.*

Ad Leonem verò Papam respondeo, per *reatum* non solùm intelligere peccatum, seu culpam; sed, & obligationem etiam, & debitum culpæ, quod quidē omnibus adfuit, etiam Marię. Qui modus vsitatus est apud Theologos multos, qui per *reatum* intelligunt obligationem aliquam, seu debitum ad aliquid patiendum. Ad quartum tandem dico, Christum Dominum verè esse mortuum pro virgine, nego tamē inde sequi virginem actualiter, spirituali animæ morte, quod est peccatum, fuisse mortuam. Nam ad hoc, quòd Christus mortuus dicatur, Pauliquè consecutio efficax sit, sufficit, quod Maria, debitum, & obnoxietatem, ex vi suæ Conceptionis, contrahendi peccati mortē, habuisset; vt enim inferiùs defendemus, aliquale debitum originalis maculæ contraxit. Neque insolens est modus iste loquendi, vt mortuus dicatur aliquis, solùm propter debitum mortis, quamuis mortem actualem non contraxerit. Quod bene *Leo Papa.*

Valencia Anſel.de Conc.Vir. cap.7. probat Valentia iam citatus ex Anſelmo de conceptu virginali capit.7.& Sacræ ſcripturæ teſtimonijs. Sufficiet tamen nobis quòd illud Domini ad Adam Geneſ.2.*In quocumque die comederis ex eo, morte morieris,* (quod de morte corporis intelligitur) exponi debere,non de morte actuali, quam incurrerit Adamus immediatè poſt peccatum,ſed de debito, aut neceſſitate mortis incurrendæ; quemadmodum hunc locum ex Theodoreto q.38.in Geneſ.& Auguſt. libro 13.de Ciuit.cap.23.interpretatur Pererius tomo 1. Comment.in Geneſ.lib.4.

S. Theod. q. 38. in Gen.

Aug. lib. 13.de Ciuit.c.23. Perer. to. 1.Comm. in Geneſ. lib.4.

Patrum teſtimonia, quæ pro contraria ſententia afferuntur,nihil illi fauere, oſtenditur.Cap.30.

SAnctorum multitudine noſtram obruere veritatẽ contrarij conari videntur.Sunt autem ex grauiſsimis Eccleſiæ Patribus,quos adducunt. Ne tamen, dũ eos quis legit,de noſtra ſententia,vel leuiter ambigat,penitius curãdum eſt ſanctos iſtos Patres,neutiquã nobis aduerſarios extare,exponere.Ad id autem aſſerendum multa me impellunt.Primũ eſt, quia etiam dato,& non conceſſo,plures ex illis oppoſitæ fauiſſe parti antiquis temporibus, in hoc tamen noſtro tempore, ita hæc veritas communita manet, vt non propter illos deſerenda eſſet.In hoc enim Gregorij Magni dictum hom.26.in Ezechi.mihi arridet: *Scientiam ſpiritualium Patrum per incrementa temporum creſcere,ideoque Apoſtolos,pluſquam prophetas, de diuinis myſterijs cognouiſſe.* Grauioribus,& magis ad Eccleſiã Dei(vtpotè ad fidei dogmata)ſpectantibus quæſtio-

Gregori.

nibus

nibus aliqui ex antiquis Patribus intenti, de minoris ponderis quæstionibus parum curabant. Postquam verò iam Ecclesia pacem acquisiuit, his & alijs disputationibus, nobiles nouiores Patres, & Theologi adhærentes, veritatem hanc enucleatiùs inuestigarunt. Vnde etsi diceremus oppositæ sententiæ aliquot ex Patribus, & Theologis antiquis fauisse, nihilominus Mantuani nostri versibus vti possemus, de illa loquendo:

Iam senio exangui frigens sua robora sensim *Mantua.*
Perdit: & amissa iam maiestate recedit
Sponte sua, ceditque nouo Latonia Phœbo.

Secundò mihi etiam pro liquido habetur, quòd si omnes sancti Patres, tam veterrimi, quam nouiores, in hoc nostro sæculo vixissent, eorũ nullus nostræ opinioni, vel leuiter restitisset. Ad id moueor ex dictis in superioribus. Cùm enim illi, ita Romanæ Ecclesiæ fuerint addicti, & dediti, vt nec latum vnguem ab eius decretis decedendum crederent, cùm immaculata Virginis Conceptio ipsius Romanæ Ecclesiæ præcepto solemniter celebretur, innumeris decoretur priuilegijs, laudibus eximijs extollatur, ita vt quidquid citra ipsius expressam definitionem facere potuerit, hoc totum Pontifices sanctissimè decreuerint; qualiter ego credam aliquẽ ex Patribus ipsi repugnaturum? Insuper si illorum vnus, Augustinus nempe, cap. 24. citatus, tantum tribuit *opinioni, ac famæ populorũ, atque gẽtium*, vt propterea affirmet tenuisse fidẽ: quomodo pijssimã sententiã de immaculatæ Mariæ Cõceptu nõ amplecteretur? Nũquid tot miracula, reuelationes tantæ, totq; grauissima illustriũ testimonia virorũ, Patres istos nõ mouerent? Accedit ad hoc, ita deuotũ animũ erga sanctissimã Deiparã hos *Augustin.*

Patres habuisse, vt cuiuscumque priuilegij, si fundamentum aliquod videbant, participem fuisse declarabant. Cùm ergo ita his temporibus nostra fulcita sit sententia, vt prudenter existimari possit omnino verissima, credere non assentiar ab vllo ex illis non recipiendam.

Augusti. Carthag. homi. 19. Præterea ad Augustini, & aliorum Patrum mentē penetrandam, egregiè, & eruditè notauit Carthagena hom. 19. (quod & ego etiam aliquoties mecū pensitaui) moris esse sanctis Patribus, cum aliquem errorem hæreticorum impugnant, ita se cum illis gerere in suis dictis, & argumentationibus, vt in extremum omnino videantur incidere; adeò enim illis cura est ab Hæreticis discedere. Cuius quidem exemplū habemus in illis, qui contra Pelagium disputabāt: cùm *Pelagius.* enim Pelagius necessitatem gratiæ denegaret, ita acerrimè in eum irruebant Patres, vt nonnihil derogare viderentur libero arbitrio. E cōtra verò tem- *Luther.* pore Martini Lutheri libertatē arbitrij penitus tollentis, multi Catholici scriptores contra ipsum scribentes, ita in fauorem libertatis propenderūt, vt necessitatem gratiæ de medio tollere videantur, licet reuera, nec isti necessitatem gratiæ, nec illi libertatē arbitrij, abnegare præsumant. Sic in præsenti contigit Patribus contra Pelagium arguentibus, cū enim *Pelagius.* Pelagius peccatum originale pueris trāsfundi negaret, vt omnino ipsi os obstruerēt, vniuersales propositiones tradiderunt, quibus omnes præter Christum originale crimen, passos esse declararent. Cùm tamē nihil de Deipara sanctissima dicere voluerint, cùm *Augusti.* potiùs illorum vnus Augustinus, *cùm de peccatis agitur*, Mariā excēperit. Ecce ergo, quare vniuersales propositiones sanctorum nihil nobis obesse possunt, cū illi

illi loquantur de lege communi, & ordinaria, nec vir ginē ſanctiſsimā ſub illa lege voluiſſent cōcludere.

Hæc verò generaliter dicta, quamuis ex ſe ſuffice rent, ad ſingula tamen teſtimonia, quæ nobis obijciū tur, reſpondere placet. Placuit tamen ea ad tres claſſes reuocare, in prima ſunt Patres, qui ita in vniuerſum affirmant, omnes homines peccatum originale contraxiſſe, vt ſolùm Chriſtum ab ea regula, excipere videantur. Primus eſt Leo primus Pontifex Maxi. qui, vt capite præcedenti vidimus dixit, quòd *Chriſtus nullum à reatu liberum reperit*. Et infrà: Solum Chriſtum excipere videtur, dum dicit: *Alienum quippe eſt ab hac natiuitate, quod de omnibus legitur, Nemo mūdus à ſorde, neque infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram*. Secūdus eſt Ambroſius, qui lib. 2. in Lucam de Circumciſione Chriſti ſic loquitur: *Solus enim per omnia Dominus Ieſus ex natis de fœmina, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non ſenſerit*, &c. & lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. *Omnes homines* (inquit) *ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt, ſicut habet lectum dicente Dauid, Ecce enim in iniquitatibus cōceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea*. Tertius eſt Auguſtinus, qui lib. de perfectione iuſtitiæ cap. 11. ait: *Quòd eſſe ſine peccato de ſolo in hac vita vnigenito dictum eſt*. Quod idem docet de peccatorum meritis, & remiſsione cap. 29. & lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorū cap. 4. Quartus eſt Fulgētius lib. de fide ad Petrum cap. 2. de Chriſto dicens: *Solus igitur abſtulit peccatum Conceptionis, atque natiuitatis humanæ, Deus vnigenitus, &c.* Tandem quintus eſt Gregorius lib. 11. Moralium cap. 26. aliàs 28. dicens de Chriſto: *Solum eſſe hominem de immundo ſemine non conceptum, qui ſic in mundum venit ex virgine, vt nihil haberet de immunda Conceptione*.

Leo 1. Pa.
S. Amb. lib. 2. in Lucam.
Idem lib. 2. de pœnit. c. 2.
Aug. lib. de perfe. iuſtitiæ c. 11. & ali bi.
Fulg. lib. de fid. ad Petr. c. 2.
S. Grego. li. 11. Moral. c. 26. alias 28.

Secunda

Secunda classis aliorum patrum est, qui ita de Virgine loquuntur, vt eam peccato originali infectam esse, videantur insinuare. Primus est Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 24. affirmans, quôd Christus *peccatum nullum habuit vnquam, neque sumpsit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati,* (vel vt alij legunt) *quamuis de materna carne peccati;* & Ps. 34. Concione 2. in illud: *Ego autem, cùm mihi molesti essent,* dicit quôd *Maria ex Adam mortua propter peccatum.* Secundô Ambros. in Ps. 118. ait: *Venit Dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Vbi, quâ-uis aliqui cum Caietano in opusc. citato referant dixisse Ambrosium, carnem Christi *in Matre* fuisse peccato obnoxiam, illud tamen *in Matre* non habetur, vt rectè obseruarunt aliqui post Catherinum in opusculo de Immaculata Concept. p. 1. c. 6. Tertius allegatur a Caietano ibidem Eusebius Emissenus serm. 2. de Natali Domini per hæc verba: *Ab originalis nexu nemo liber extitit, neque ipsa Genitrix Redemptoris.* Quartus est Bernardinus Senensis serm. 51. sæpius citato, vbi docet per Sanctificationem Virginis, *remotum esse ab illa originale peccatum.* Sit quintus Anselm. qui lib 2. cur Deus homo c. 16. *Virgo* (inquit) *in iniquitatibus cõcepta, & in peccato originali nata est, quia ipsa in Adã peccauit.* Præter quæ testimonia Pattũ, affertur etiã Bernardus in epist. 174. ad Lugdunenses Canonicos, & Rup. lib. 1. in Cãtica circa principiũ, quos clarè oppositæ sententiæ fauto res esse, multi etiã ex nostris admittunt; de hoc tamen quid sentiendum sit inferiús proponam.

August. lib. 2. de peccator. mer. c. 24

In Ps. 34 conc. 2.

Amb. super Psal. 118.

Caietan.

Cathe. in opusc. de Immacu. Conc. 1. p. ca. 6.

Eus. Emi. ser. 2. de nat. Dñi.

Ber. Sen. serm. 51.

S. Anſ. lib. 2. cur Deus homo c. 16.

Berna in Epiſ. 174

Ru. li. 1. in cantic.

Tertia classis est aliorũ, qui de Virgine loquũtur, dicentes eã fuisse mundatam, sanctificatam, seu purgatã ab originali peccato, quæ locutiones supponere videntur culpam. Isti sũt Naz. orat. 38. & 42. qui Mariã vo-

Naz. ora 38. 42.

cat

eat *præpurgatam*. Sanctus Maximus in ſerm. de Aſſumptione eam dicit: *Sanctificatam, & mundatam*. Remigius in Pſ. 21. eam etiam *mundatam* appellat. Fauet Fulgentius ſerm. de laudibus Mariæ, dum dicit: *Cùm dixit* (ſcilicet Angelus:) *gratia plena, oſtendit ex integro iram ex cluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam*. Difficilius loquitur Chryſippus Preſbyter Ieroſolymitanus ſerm. de B. Virgine to. 7. Bibliothecæ: *Cum omnibus* (inquit) *ſurgat de lapſu, in quo illam conſtituit Euæ cognatio*. Similiter Ricar. Victor. lib. 2. de Emanue. cap. 26 Mariã *ab omni vitiorum contagio penitus purgatã* appellat. Refertur etiam Beda â Caietano dicto opuſculo cap. 4. quòd dixerit: *Spiritus Sanctus ſuperueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum ſorde purgauit*. Ea tamen nõ habet Beda in hom. in feſto Anũciationis, quæ eſt inter hyemales, licet aliqua dicat, quæ ſimilia videntur.

Remig. in Pſ. 21.
Fulg. ſer. de laud. Mariæ.
Chryſip. ſerm. de B. Virg.
Ricardus Victor. li. 2. de Emanue. c. 26
Caiet. dicto opuſc. cap. 4.
Beda in hom. in feſto Anũciation.

Hæc verò omnia facili negotio ruent. Vnde ad Patres primæ claſsis dico, Catholicũ quemlibet teneri aliquã expoſitionẽ his Patribus aſsignare. Videntur enim (vt cõſtat ex eorũ dictis) non ſolũ peccatum in Conceptione Mariæ cõcedere, ſed & in Natiuitate etiã & per vitã, quæ nullus Catholicus affirmare quibit, cũ oppoſitũ teneat Eccleſia. Quare iuxta dicta aſſero, eas vniuerſales propoſitiones dixiſſe, quia ſolus Chriſtus eſt, cui ex vi ſuæ Cõceptionis, naturæ, & natiuitatis debitũ eſt, nullũ habere peccatũ: reliqui autẽ omnes, etiam eius Mater tali debito ſunt cõſtricti. Quare ſi Chriſtifera Maria peccatũ originale euaſit, non ex debito, ſed ex ſpeciali priuilegio id obtinuit. Nec hæc expoſitio incongrua videatur cuipiã; ſi enim iuxta interpretationẽ Auguſtini, Theodoreti, & aliorũ, quos cap. præcedẽti attuli, potuit dici Adamo Gen. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, ex eo quòd tunc contraxit debitum, &

Auguſt. Theodor. Geneſ. 2.

tenetur, sed specialis modus redimendi, ac saluandi à peccato originali, Christo attribuitur respectu suæ Matris. Hæc insignes Dominicani Doctores, nostræquè de immaculata Conceptione thesis aduersarij Theologi, fatentur nobis.

Sed iam comprobemus intentum. Id autem manifestè pluribus sacræ Paginæ testimonijs lucescit. Et
Psal. 43. primò, Regius Psaltes expressit illud Psal. 43. dum dixit: *Qui redemisti seruum tuum de gladio maligno* (ibi enim Hebraicè punctus apponitur.) Ecce Dauid se redemptum à Deo fatetur, à gladioquè Goliath, vel Saulis, ereptum, inquem non incidit: sed incidisset, si Dei nõ
Psal. 85. præseruaretur manu. Insuper Psal. 85. *Eruisti* (inquit Psalmista) *animam meam ex inferno inferiori*, nõ in quem de facto descenderit, sed in quem incidisset, nisi Dei fauore fuisset protectus. Celebris quoque est Exod.
Exod. 13 13. locus, vbi sic habetur: *Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes. Cumquè interrogauerit te filius tuus, cras dicẽs, Quid est hoc? Respõdebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti de domo seruitutis.* Vbi quilibet, etiam post mille annos ab egressu Aegypti, dicitur redemptus, vel eductus de Aegypto, quia quamuis ibi numquam fuerit, ab ea tamen captiuitate in patribus suis fuit præseruatus, & ereptus. Mihi
Isai. 41. quoque testimonium aliud ex Isa. 41. superaddendũ videtur, vbi Deus dicitur *Redemptor tuus sanctus Israel.* Non modò ob ereptionem Israelis, postquam in aliquod incidisset dispendium, sed propter præseruationem à periculis & hostibus, vt manifestè ex antecedentibus capituli innotescit. Nec omittam etiam
Ruth 3. quòd Booz Ruth 3. secũdùm septuaginta Interpretũ translationem, ipsius Ruth redemptor appellatur, nõ quidem quia ab aliquo damno, in quod de facto ce-

cidis-

cidisset, eam eripuerit, sed quia illi nubendo, multa, quæ illi incommoda obuenire possent, penitus obuiasset. Sic autem est lectio septuaginta senum: *Verè redemptor ego sum, & quidem est redemptor propinquus super me, si redemerit te, bonum, redimat. Si autem noluerit redimere te, redimam te ego.* Item ad Galatas 3. Paulus ait: *Christus redemit nos de maledicto legis.* Cùm tamen constet nos, in propria persona numquam sub tali maledicto, ideſt, graui illo onere & iugo fuisse. Quæ omnia manifestè declarant, posse aliquem redemptum dici, solùm ob anticipatam præseruationē à damno.

Septuagi.

Ad Galat. 3.

Patrum quoque authoritate id libet confirmare. Et primus à recētioribus receptus est Dionysius, qui c. 8. de diuinis nominibus ante finē matori claritate, quàm apud antiquos Patres desiderare possumus, hanc docuit veritatem. Postquam enim iustitiam diuinam salutem omnium prædicat, eo quòd *defectentia ad deteriora præseruat*, subdit interiectis paucis: *Hāc salutem non præter intentionem Scripturæ sanctæ, vt bonitate cuncta saluante, quæ sunt omnia ab suorum prolapsione bonorum redimentem prædicare meritò possumus.* Et infrà: *Idcirco etiam redemptionem illam Theologi nominant, ex eo quòd non sinit, quæ verè sunt, ad id cadere, vt nō sint.* Quibus verbis clarissimum nostræ sententiæ antesignanum se præbet Dionysius. Eum verò sequitur Augustinus: in Psalm namque 85. mirificè nostrum approbat intentum, exemplisquè confirmat. Versans namque illud Psalm. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, inquit: *Eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit, quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere, nam si nō feceris*

Dion. c. 8 de diu. nomin.

Idem.

Augu. in Psal. 85.

feceris ægrotabis. Tu autem si feceris, & saluus eris, rectè dicis medico, Liberasti me ab ægritudine, nõ in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Subiungit alia, quæ, & ista clarissima adeò sunt pro nobis, vt neque expositione, nec ponderatione egeant, sed lectione solùm: quam si fortè ex aduersarijs aliqui habuissent, neutiquam modum redemptionis à nobis assignatum respuerent.

D. Bern. ser. 21. super Cãt. Adiunge quoque Bernardum, qui serm. 21. super Cãtic. ait: *Angelos fuisse sanguine Christi redemptos*, non à peccato, quod commiserint, sed ab eo, quod commississent, nisi Dei gratia præuenirentur.

L decẽ. ff. de verbo. oblig. L non vti que. ff. de excep. His etiam adiungamus rationes. Sumatur prima ex l. decem. ff. de verborum obligationibus, & in l. non vtique. ff. de exceptionibus, *Vbi miles ab alio milite liberatus, ne in hostium potestatem veniret, etiam si, numquã seruus eorum extitisset, manumissus* (Hispanè dicitur, *libertado*) *censetur.* Pariter ergo redemptus dici potest ille, qui, etsi neutiquam peccati captiuitatem incurrisset, obnoxius tamen illi erat incurrere, nisi à Deo Redemptore præseruatus euaderet. Secundò, quia quilibet fideliũ, qui reuera prędestinatus fuerit, potest dici à pœna æterna, ab inferno, igne, &c per Christũ redemptus, quo in sensu Magister in 3. distin. 19. ait: *Christum Dominum redemisse mũdum à morte æterna.* Sed fidelis prædestinatus, nec est, nec fuit, nec erit vnquã in inferno: nõ ergo ad veram redemptionem requiritur, quòd quis eripiatur de illo malo, in quod cecidit, sed sufficit eripiatur ab eo, in quòd caderet, si nõ adiuuaretur. Et hinc sumitur præcipua ratio: nam ratio redemptionis solùm dicit essentialiter ereptionem à malo, sed non solùm eripitur à malo, qui in illud prolapsus eleuatur, sed & ille, qui in illud, nisi adiutor adesset, laberetur. Ergo, &c. Quod etiam con-

Magist. in 3. d. 19.

cinnè

tinnè nimis, & aptè ad propositum confirmat exemplum vulgare ancillæ, cuius filius, antequam concipiatur, liberatur ab aliquo, ne in seruitutem actualē deueniat, quod, quia virgineam puritatem, simul cū perfectissima redemptione declarat, inferiùs proponam.

Quibus iam abundè satis prælibatis, asserendum nobis est, Deiparam Mariam altissimo modo à creaturis cæteris redemptam fuisse à Christo Domino, quantumuis originalis maculæ expers extiterit. Cōclusionem hanc nostri instituti defensores, vt certam supponunt. Eamquè subtilis approbauit Doctor in tertio distinctione tertia quæstione prima. Cuius ratio clara est ex dictis, quia redemptio liberatio est, seu ereptio à malo: sed magis liberatur à malo, qui in illud numquam cecidit, quàm ille, qui postquam lapsus est ab illo liberatur. Nam ille particeps damni fuit aliquando, iste verò numquam. Cùm ergo Deipara sanctissima, ex meritis Christi, à misero in originale lapsu præseruata fuerit (eò enim eius prædestinatio ante omnem creaturam à Deo facta fuit) altiori à cæteris creaturis modo redempta à Christo dici debet. Confirmat hoc aureum Augustini dictum super Genes. ad literam: *Maiorem gratiam impendi illi, cui conseruatur innocentia, quàm cui remittitur culpa.* Perfectius ergo redemptionis genus Mariæ adaptamus, dum eam meritis Christi liberatam credimus à misera peccati originalis seruitute, quàm si post illam contractam, ab ea ereptam fuisse diceremus. Quod ipsum penitus declarat; nam si aliquis ancillæ filium, quem paritura erat, qui (cùm partus sequatur ventrem) seruus nasci deberet, antequam nasceretur, imò nec conciperetur quidem, à seruitute liberaret,

Scot. in 3. d. 3. q. 1.

Aug. sup. Genes.

peccatum originale non contraxisset, redemptionis Christi particeps non fuisset. Id namque penitus negamus. Imò dicimus altiori, & præstantiori modo Christi redemptionem participasse, eo quòd, ne in peccatum originale, prout habebat debitum, laberetur, præseruata est. Vnde ad primum nego etiam antecedens, nimirum redemptionem præsupponere captiuitatem, hoc namque solùm verum est de redemptione non præseruatiua; non verò de ea, quam præseruatiuam vocamus: nisi per captiuitatem debitum captiuitatis percipere libeat. Ad testimonium Zozimi dico, intelligi posse de non præseruatiua redemptione. Nisi velis ibi per *seruum*, & *captiuum*, non modò intelligi eum, qui actu *seruus est*, & *captiuus*, sed eum etiam, cui debita erat captiuitas, & seruitus. *Zozim.*

Ad Leonem verò Papam respondeo, per *reatum* non solùm intelligere peccatum, seu culpam; sed, & obligationem etiam, & debitum culpæ, quod quidē omnibus adfuit, etiam Mariæ. Qui modus vsitatus est apud Theologos multos, qui per *reatum* intelligunt obligationem aliquam, seu debitum ad aliquid patiendum. Ad quartum tandem dico, Christum Dominum verè esse mortuum pro virgine, nego tamē inde sequi virginem actualiter, spirituali animæ morte, quod est peccatum, fuisse mortuam. Nam ad hoc, quòd Christus mortuus dicatur, Pauliquè consecutio efficax sit, sufficit, quod Maria, debitum, & obnoxietatem, ex vi suæ Conceptionis, contrahendi peccati mortē, habuisset; vt enim inferiùs defendemus, aliquale debitum originalis maculæ contraxit. Neque insolens est modus iste loquendi, vt mortuus dicatur aliquis, solùm propter debitum mortis, quamuis mortem actualem non contraxerit. Quod bene *Leo Papa.*

Valencia Anſel. de Conc. Vir. cap. 7. probat Valentia iam citatus ex Anſelmo de conceptu virginali capit. 7. & Sacræ ſcripturæ teſtimonijs. Sufficiet tamen nobis quòd illud Domini ad Adam Geneſ. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, (quod de morte corporis intelligitur) exponi debere, non de morte actuali, quam incurrerit Adamus immediatè poſt peccatum, ſed de debito, aut neceſſitate mortis incurrendæ; quemadmodum hunc locum ex Theodoreto q. 38. in Geneſ. & Auguſt. libro 13. de Ciuit. cap. 23. interpretatur Pererius tomo 1. Comment. in Geneſ. lib. 4.

B. Theod. q. 38. in Gen. Aug. lib. 13. de Ciuit. c. 23. Perer. to. 1. Comm. in Geneſ. lib. 4.

Patrum teſtimonia, quæ pro contraria ſententia afferuntur, nihil illi fauere, oſtenditur. Cap. 30.

SAnctorum multitudine noſtram obruere veritatẽ contrarij conari videntur. Sunt autem ex grauiſsimis Eccleſiæ Patribus, quos adducunt. Ne tamen, dũ eos quis legit, de noſtra ſententia, vel leuiter ambigat, penitius curãdum eſt ſanctos iſtos Patres, neutiquã nobis aduerſarios extare, exponere. Ad id autem aſſerendum multa me impellunt. Primũ eſt, quia etiam dato, & non conceſſo, plures ex illis oppoſitæ fauiſſe parti antiquis temporibus, in hoc tamen noſtro tempore, ita hæc veritas communita manet, vt non propter illos deſerenda eſſet. In hoc enim Gregorij Magni dictum hom. 26. in Ezechi. mihi arridet: *Scientiam ſpiritualium Patrum per incrementa temporum creſcere, ideoquè Apoſtolos, pluſquam prophetas, de diuinis myſterijs cognouiſſe.* Grauioribus, & magis ad Eccleſiã Dei (vtpotè ad fidei dogmata) ſpectantibus quæſtionibus

Gregori.

nibus aliqui ex antiquis Patribus intenti, de minoris ponderis quæstionibus parum curabant. Postquam verò iam Ecclesia pacem acquisiuit, his & alijs disputationibus, nobiles nouiores Patres, & Theologi ad hærentes, veritatem hanc enucleatiùs inuestigarunt. Vnde etsi diceremus oppositæ sententiæ aliquot ex Patribus, & Theologis antiquis fauisse, nihilominus Mantuani nostri versibus vti possemus, de illa loquendo:

Iam senio exangui frigens sua robora sensim *Mantua.*
Perdit: & amissa iam maiestate recedit
Sponte sua, ceditque nouo Latonia Phœbo.

Secundò mihi etiam pro liquido habetur, quòd si omnes sancti Patres, tam veterrimi, quam nouiores, in hoc nostro sæculo vixissent, eorũ nullus nostræ opinioni, vel leuiter restitisset. Ad id moueor ex dictis in superioribus. Cùm enim illi, ita Romanæ Ecclesiæ fuerint addicti, & dediti, vt nec latum vnguem ab eius decretis decedendum crederent, cùm immaculata Virginis Conceptio ipsius Romanæ Ecclesiæ præcepto solemniter celebretur, innumeris decoretur priuilegijs, laudibus eximijs extollatur, ita vt quidquid citra ipsius expressam definitionem facere potuerit, hoc totum Pontifices sanctissimè decreuerint; qualiter ego credam aliquẽ ex Patribus ipsi repugnaturum? Insuper si illorum vnus, Augustinus *Augustin.* nempe, cap. 24. citatus, tantum tribuit *opinioni, ac famæ populorũ, atque gẽtium*, vt propterea affirmet tenuisse fidẽ quomodo pijssimâ sententiâ de immaculatæ Mariæ Cõceptu nõ amplecteretur? Nũquid tot miracula, reuelationes tantæ, totq; grauissima illustriũ testimonia virorũ, Patres istos nõ mouerent? Accedit ad hoc, ita deuotũ animũ erga sanctissimã Deiparã hos

Patres habuisse, vt cuiuscumque priuilegij, si fundamentum aliquod videbant, participem fuisse declarabant. Cùm ergo ita his temporibus nostra fulcita sit sententia, vt prudenter existimari possit omnino verisimà, credere non assentiar ab vllo ex illis non recipiendam.

Augusti. Carthag. homi. 19.

Præterea ad Augustini, & aliorum Patrum mentē penetrandam, egregiè, & eruditè notauit Carthagena hom. 19. (quod & ego etiam aliquoties mecū pensitaui) moris esse sanctis Patribus, cum aliquem errorem hæreticorum impugnant, ita se cum illis gerere in suis dictis, & argumentationibus, vt in extremum omnino videantur incidere; adeò enim illis cura est ab Hæreticis discedere. Cuius quidem exemplū habemus in illis, qui contra Pelagium disputabāt: cùm

Pelagius.

enim Pelagius necessitatem gratiæ denegaret, ita acerrimè in eum irruebant Patres, vt nonnihil derogare viderentur libero arbitrio. E cōtra verò tem-

Luther.

pore Martini Lutheri libertatē arbitrij penitus tollentis, multi Catholici scriptores contra ipsum scribentes, ita in fauorem libertatis propenderūt, vt necessitatem gratiæ de medio tollere videantur, licet reuera, nec isti necessitatem gratiæ, nec illi libertatē arbitrij, abnegare præsumant. Sic in præsenti contigit Patribus contra Pelagium arguentibus, cū enim

Pelagius.

Pelagius peccatum originale pueris trāsfundi negaret, vt omnino ipsi os obstruerēt, vniuersales propositiones tradiderunt, quibus omnes præter Christum originale crimen, passos esse declararent. Cùm tamē nihil de Deipara sanctissima dicere voluerint, cùm

Augusti.

potiùs illorum vnus Augustinus, *cùm de peccatis agitur*, Mariā excēperit. Ecce ergo, quare vniuersales propositiones sanctorum nihil nobis obesse possunt, cū

illi

illi loquantur de lege communi, & ordinaria, nec virginē sanctissimā sub illa lege voluisse cōcludere.

Hæc verò generaliter dicta, quamuis ex se sufficerent, ad singula tamen testimonia, quæ nobis obijciūtur, respondere placet. Placuit tamen ea ad tres classes reuocare; in prima sunt Patres, qui ita in vniuersum affirmant, omnes homines peccatum originale contraxisse, vt solùm Christum ab ea regula, excipere videantur. Primus est Leo primus Pontifex Maxi. qui, vt capite præcedenti vidimus dixit, quòd *Christus nullum à reatu liberum reperit.* Et infrà: Solum Christum excipere videtur, dum dicit: *Alienum quippe est ab hac natiuitate, quod de omnibus legitur, Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Secūdus est Ambrosius, qui lib. 2. in Lucam de Circumcisione Christi sic loquitur: *Solus enim per omnia Dominus Iesus ex natis de fœmina, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit,* &c. & lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. *Omnes homines* (inquit) *sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habet lectum dicente Dauid, Ecce enim in iniquitatibus cōceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Tertius est Augustinus, qui lib. de perfectione iustitiæ cap. 11. ait: *Quod esse sine peccato de solo in hac vita vnigenito dictum est.* Quod idem docet de peccatorum meritis, & remissione cap. 29. & lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorū cap. 4. Quartus est Fulgētius lib. de fide ad Petrum cap. 2. de Christo dicens: *Solus igitur abstulit peccatum Conceptionis, atque natiuitatis humanæ, Deus vnigenitus,* &c. Tandem quintus est Gregorius lib. 11. Moralium cap. 26. alias 28. dicens de Christo: *Solum esse hominem de immundo semine non conceptum, qui sic in mundum venit ex virgine, vt nihil haberet de immunda Conceptione.*

Leo 1. Pa. — S. Amb. lib. 2. in Lucam. — Idem lib. 2. de pœnit. c. 2. — Aug. lib. de perfe. iustitiæ c. 11. & alibi. — Fulg. lib. de fid. ad Petr. c. 2. — S. Grego. li. 11. Moral. c. 26. alias 28.

Secunda

Secunda classis aliorum patrum est, qui ita de Virgine loquuntur, vt eam peccato originali infectam esse, videantur insinuare. Primus est Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 24. affirmans, quôd Christus *peccatum nullum habuit vnquam, neque sumpsit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati,* (vel vt alij legunt) *quamuis de materna carne peccati;* & Ps. 34. Concione 2. in illud: *Ego autem, cùm mihi molesti essent,* dicit quôd *Maria ex Adam mortua propter peccatum.* Secundò Ambros. in Ps. 118. ait: *Venit Dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Vbi, quâ uis aliqui cum Caietano in opusc. citato referant dixisse Ambrosium, carnem Christi *in Matre* fuisse peccato obnoxiam, illud tamen *in Matre* non habetur, vt rectè obseruarunt aliqui post Catherinum in opusculo de Immaculata Concept. p. 1. c. 6. Tertius allegatur a Caietano ibidem Eusebius Emissenus serm. 2. de Natali Domini per hæc verba: *Ab originalis nexu nemo liber extitit, neque ipsa Genitrix Redemptoris.* Quartus est Bernardinus Senensis serm. 51. sæpius citato, vbi docet per Sanctificationem Virginis, *remotum esse ab illa originale peccatum.* Sit quintus Anselm. qui lib 2. cur Deus homo c. 16. *Virgo* (inquit) *in iniquitatibus cõcepta, & in peccato originali nata est, quia ipsa in Adã peccauit.* Præter quæ testimonia Partũ, affertur etiã Bernardus in epist. 174. ad Lugdunenses Canonicos, & Rup. lib. 1. in Cãtica circa principiũ, quos clarè oppositæ sentẽtiæ fauto res esse, multi etiã ex nostris admittunt; de hoc tamen quid sentiendum sit inferiùs proponam.

August. lib. 2. de peccator. mer. c. 24. In Ps. 34 conc. 2. Amb. super Psal. 118. Caietan. Cathe. in opusc. de Immacu. Conc. 1. p. ca. 6. Eus. Emis. ser. 2. de nat. Dñi. Ber. Sen. serm. 51. S. Anse. lib. 2. cur Deus homo c. 16. Berna in Epis. 174 Rup. li. 1. in cantic.

Tertia classis est aliorũ, qui de Virgine loquũtur, dicentes eã fuisse mundatam, sanctificatam, seu purgatã ab originali peccato, quæ locutiones supponere videntur culpam. Isti sũt Naz. orat. 38. & 42. qui Mariã vo-

Naz. ora 38. 42.

cat

eat *præpurgatam*. Sanctus Maximus in serm. de Assumptione eam dicit: *Sanctificatam, & mundatam*. Remigius in Ps. 21. eam etiam *mundatam* appellat. Fauet Fulgentius serm. de laudibus Mariæ, dum dicit: *Cùm dixit* (scilicet Angelus:) *gratia plena, ostendit ex integro iram ex clusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam*. Difficilius loquitur Chrysippus Presbyter Ierosolymitanus serm. de B. Virgine to. 7. Bibliothecæ: *Cum omnibus* (inquit) *surgat de lapsu, in quo illam constituit Euæ cognatio*. Similiter Ricar. Victor. lib. 2. de Emanue. cap. 26 Mariã *ab omni vitiorum contagio penitus purgatã* appellat. Refertur etiam Beda â Caietano dicto opusculo cap. 4. quòd dixerit: *Spiritus Sanctus superueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde purgauit*. Ea tamen nõ habet Beda in hom. in festo Anũciationis, quæ est inter hyemales, licet aliqua dicat, quæ similia videntur.

Remig. in Ps. 21. Fulg. ser. de laud. Mariæ. Chrysip. serm. de B. Virg. Ricardus Victor. li. 2. de Emanue. c. 26 Caiet. dicto opusc. cap. 4. Beda in hom. in festo Anũciation.

Hæc verò omnia facili negotio ruent. Vnde ad Patres primæ classis dico, Catholicũ quemlibet teneri aliquã expositionẽ his Patribus assignare. Videntur enim (vt cõstat ex eorũ dictis) non solũ peccatum in Conceptione Mariæ cõcedere, sed & in Natiuitate etiã & per vitã, quæ nullus Catholicus affirmare quibit, cũ oppositũ teneat Ecclesia. Quare iuxta dicta assero, eas vniuersales propositiones dixisse, quia solus Christus est, cui ex vi suæ Cõceptionis, naturæ, & natiuitatis debitũ est, nullũ habere peccatũ: reliqui autẽ omnes, etiam eius Mater tali debito sunt cõstricti. Quare si Christifera Maria peccatũ originale euasit, non ex debito, sed ex speciali priuilegio id obtinuit. Nec hæc expositio incongrua videatur cuipiã; si enim iuxta interpretationẽ Augustini, Theodoreti, & aliorũ, quos cap. præcedẽti attuli, potuit dici Adamo Gen. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, ex eo quòd tunc contraxit debitum, &

Augustin. Theodor. Genes. 2.

obligationem mortis, cur hæc, & similia non potuerũt Patres dicere de Maria, solùm propter debitum,
Caietan. quod habuit originalis maculæ contrahendæ? Vnde cessat admiratio Caietani, hanc quasi irridentis solutionem: sed irridendus non est, qui solutionem loco Sacræ scripturæ à Patribus adhibitã, testimonijs sanctorum adhibet, præsertim cùm à grauissimis Theologis tradatur.

Ad secundę classis testimonia dico, plura ex eis nõ aliam præter traditam, solutionem desiderare, nimirum Deiparam Mariam debitum aliquale contrahẽ-
Augusti. di originalę incurrisse, ratione cuius Augustinus eius
Ambros. carnem, *carnẽ peccati*, & in *Adam mortuam*, & Ambro-
Eusebius sius *carnem peccato obnoxiam* appellare potuerunt. Euse-
Emisen. bius autem Emissenus aliam solutionem desiderat: verbis namque illis in argumento positis apponit aliud, quo suam mentem expresit. Adhibuit namq; particulam *per se*, dicẽs: *Ab originalis nexu, nemo per se liber extitit, neque ipsa genitrix Redemptoris*: quibus manifestè declarat suæ intentionis solùm esse, nempirem ex vi suæ naturæ ab *originalis nexu* immunem facere. Ber-
Bernardi nardini quoque verba, nullius ponderis mihi videntur, sicut enim medicus præseruantibus à morbo medicinis, infirmitatem, quæ ingruebat, auertens, dicere potuit remouisse infirmitatem, sic & Deus per gratiam sanctificantem impediens, ne peccatum originale sanctissimam Mariæ præoccuparet animam, dicere potuit remouisse peccatum originale, per sancti-
Anselm. ficationem ab illa. Difficilior videtur Anselmus. hęc tamen difficultas vincetur si aduertamus hæc verba
Bossus. non ipsius Anselmi, sed Bosi cuiusdam esse, in eo Dialogo interlocutoris vicemgerẽtis, illaquè dixisse obijciendo Anselmo, non asserendo. Quòd si Anselmus

selmus ipsi non respondet, nihil mirum : commune namque est sanctis, & Theologis, cùm aliqua sibi argumenta opponuntur, falsa plura silentio prætterire, non quia vera existimẽt, sed quia in alio solutionem constituunt, vel quia de illis nihil pro tunc curare cõtendunt. Cuius quidem mihi euidens exemplum est in eodem Anselmo dict. cap. 16. lib. 2. *Cur Deus homo.* Cùm enim Bossus idem virginis munditiem à pecca to *tribuerit fidei qua credidit in mortem filij sui*; ad hoc nihil respondet Anselmus. Quis tamen inferet inde verum esse id, quod supponere videtur Bossus, nimirũ tunc fuisse mundatam virginem, eò quòd ad illud nihil dicat Anselmus? Pariter in proposito dicendum est. *Anſel. Idẽ c. 16. lib. 2. cur Deus homo. Boſſus.*

De mente mellifui Bernardi laborant multi. Et primò, nõ modò aduersarij, sed ex ijs, qui nobiscum sentiunt, aliqui penitus inexplicabilem illum existimant: adeò namque putant in illa Epist. 174. ad Lugdunenses clarè oppositæ fauisse sententiæ, vt labor inutilis ab his reputetur Bernardi mẽtem exponere. Hi sunt inter alios Vazquez, & Suarez citatis locis. Verumtamẽ grauissimi alij Theologi, durum existimantes, Bernardum nobis aduersarium esse, conati sunt illi expositionem adhibere. Inter quos pius, & doctus Canisius lib. 1. de Maria cap. 7. contẽdit multis, ex eiusdem Bernardi scriptis, illum neutiquã nobis aduersari. Tùm, quia in serm. 2. de Assumptione Mariæ, dubitantis, ac pauidæ mẽtis in hac parte specimen præbet, dum dicit: *Quòd si originalem a parẽtibus maculam traxit*, vbi cõditionalis, *si*, ancipitem animũ Bernardi præsefert. Et post pauca subiungit: *Vt omnino pium est credere, proprium Mariæ delictum non habuit.* Tùm etiam, quia sermo. 4. de Salue Regina omnium cla- *Bernar. in epiſt. 174. Vazquez. Suarez. Caniſ. lib. 1. de Maria c. 7. Bernar. in ſermo. de aſſump. Mariæ. Idẽ ſer 4. de ſalue Regina.*

clarissimè nostræ patrocinatur thesi, vt suo loco vidimus. Quare putat Canisius, quem inter quàm plu-
Carthag. res sequitur Carthagena homilia citata, ideò Bernardum Canonicos Lugdunenses reprehendisse, quòd inconsulta Apostolica sede, & sine exemplo, vel præcepto Romanæ Ecclesiæ, nouæ celebritatis ritus introduceretur, festiuitatem Marianæ Conceptionis celebrando. Ideoquè hæc nouitas à Bernardo appellatur *præsumpta nouitas, mater temeritatis, soror superstitionis, & filia leuitatis.*

Mihi tamen non semel, aut bis hanc Bernardi epistolam legenti, occurrit primò dicendum, verè sanctum Doctorem aliquam Conceptionis Mariæ solemnitatem improbare, non solùm, quia sine sedis Apostolicæ licentia coleretur, sed & quia falsò coleretur, quæ nullius sanctitatis particeps extitit, sed aliquo modo cum peccato fuisse dici potuit. Cùm hoc tamē asserò, neutiquam festum Conceptionis, quod nos modò celebramus, aut veritatē per ipsum intentam, reprobari à Bernardo. Et quia hoc secūdum inferiùs probabo, primum modò sic confirmo ex pluri-
D. Berna. bus ipsius Bernardi verbis, quibus aliquam Conceptionem non sanctam fuisse declarat. Primò dum dicit: *Nam quid consequentiæ habet, vt quoniam sanctum præcesserit natalem conceptus, propterea reputetur & ipse (scilicet conceptus) sanctus.* Et infrà: *An non potiùs, quia præcesserit absque sanctitate conceptus?* Et inferiùs: *Vnde ergo*
Idem. *conceptionis sanctitas?* Rursusquè: *Quam obrem, etsi quibus, vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi.* Præterea subdit: *Vniuersos respicit ex Adam natos, quod vnus humiliter de se ipso, ac veraciter confitetur, In iniquitatibus, inquiens, conceptus sum,*
Idem. *& in peccatis concepit me mater mea.* Tandemquè con-

clu-

cludit: *Cum hæc ita se habeant, quæ nam iam erit festiuæ ratio Conceptionis?* Atque ita esse constabit cuilibet, eam Epistolam accuratè & seriò perlegenti.

Vt verò secundum, quod dixi, clariùs confirmem, videlicet nobis non aduersari Bernardum in hac parte: aduertat diligenter lector, duplicem nobis conceptionem accidere, seu dupliciter à matre fœtum concipi dici posse. Contingit prima, quando maternus vterus virile semen suscipit, proprioquè coagulat, vt postea suo tempore fœtum producat. Secunda conceptio est, cùm primum fœtus anima à Deo producta informatur, & animatur in vtero. Conceptio prima, per aliquos dies iuxta varia Medicorum, Physiologorumquè placita, quæ nobis necessarium non est referre, secundam præcedit. Hæc autem duplex hominis conceptio, adeò communi calculo omnium recipitur, vt eam denegare ignorantia reputetur. Vtraque ergo conceptio Deiparæ Mariæ, vtpotè quantum ad hoc, humano modo productæ, in vtero contigit matris Annæ. Bernardum ergo, cùm Deiparæ Conceptionis sanctitatem denegat, de prima loqui, non de secunda, ex pluribus ipsius verbis in ipsa epistola mihi pro comperto est.

Primò quidem, quia dum dicit Conceptionem Mariæ sanctam non fuisse, id probat: *Quia non valuit antea sancta esse, quàm esse, siquidem non erat, antequam conciperetur*: vbi luce clariùs indicat, se non loqui de secunda conceptione, sed de prima: nam si de secunda loqueretur, cùm tunc iam anima Virginis producta fuisset, non potuit dicere tunc non esse Mariam, neque tunc non valuisse sanctificari. Clariùs *Idem.*

suam

Idem. suam mentem exprimit subdens: *An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi cõceptioni immiscuit, vt simul, & sanctificata esset, & concepta?* Quæ verba, nisi cæci simus, manifestè declarant, de ea Conceptione Marię solùm loqui Bernardum, quæ fuit in maritali coniun-

Idem. ctione parentum. Inferiusquè adiungit: *Aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit?* Ex quo etiam manifesta ratione designat solùm illi Conceptioni Mariæ sanctitatem denegare, in qua non defuit libido, qualis est sola prima conceptio; in secunda namque conceptione libido non adest. Quam quidem verborum Bernardi expositionem, priùs à me excogitatam, postea traditam vidi à Catherino

Cathe. 1. p. opus. 7. 1. p. opus. 7. cap. 7. & Valencia dicta disp. 2. q. 1. punct. 2. Et quam

Val. disp. 2. q. 1. p. 2. uis Pater Vazquez inutilem hanc interpretationem appellet: ast ego vtilem, & veram prædicandam esse censeo. Neque ea quæ contra illam obijciuntur aliquoius ponderis sunt, si rectè intelligantur.

Vazquez *Oxe. c. 14* Non molatet, Patrem Oxeda in tractatu iam addu cto cap. 14. cõtendere probare epistolam hanc 174. ad Lugdunenses Canonicos, non esse Diui Bernardi. Et quamuis hoc aliquibus congruentijs probare nitatur, nihilominus non est cur eam, vt à S. Bernardo non conscriptam reijciamus, tum quia apud San-

S. Thom. ctum Thomam, Bonauenturam, Alẽsem, & antiquos

Bonauen. Scholasticos alios, oppositum inualuit: tum quia sty-

Alensis. lus Bernardum redolet, tum & maximè, quia quamuis inter opera ipsius Bernardi aliqua, vt apochrypha, & incerta sint ipsi adscripta; indubitatum tamẽ fuit apud omnes, hanc epistolam ipsius esse. Nec est cur ad has angustias coartemur, cùm facilem meo videri, & veram D. Bernardo solutionem tradiderimus.

Solùm

Digitized by Google

Solùm videntur aliquid momenti contra eam habere, ipsius Bernardi in dicta epistola hæc verba: *Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat, sed neque in ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inerat, restat, vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem.* Vbi non iam de prima conceptione, seu conceptu seminis, sed de secunda, quæ est conceptio humanitatis, loqui videtur. Verùenim uerò hæc clarè sic exponuntur. Cùm dicit *ante conceptum sui sanctificari minimè potuit*, loquitur de prima cõceptione, quasi diceret, impossibile esse antea Mariã sanctam esse, quam eius parentes illius generationi vacassent. Cùm verò subdit: *Sed neque in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat*, loquitur etiam de prima conceptione, quæ dicitur esse cum peccato, tũ quia est quasi instrumẽtum ad originale peccatum in anima traducendum, tũ etiam, quia, quãtum est ex seratione debiti, & exigentiæ naturalis in istud peccatũ inclinat, præsertim, quia pluries, inter coniuges etiã, talis conceptio non sine peccato, saltem veniali, fit. Cuius exemplum habemus in Concilio Tridentino sess. 5. affirmante, concupiscentiam ab Apostolo, & Ecclesia, peccatum appellari, non quia ipsa peccatũ sit, *sed quia ex peccato est, & in peccatum inclinat.* Pariter ergo in præsenti philosophandum erit. Deinde cùm subdit: *Restat, vt post conceptum in vtero iam existens, sanctificationem accepisse credatur*, loquitur etiam ibi de primo conceptu, post quem dicit *sanctificationem accepisse*, scilicet in secunda conceptione, de qua dicitur *excluso peccato sanctam fecisse natiuitatem*, quia peccatũ, quod in illo conceptionis instanti secundum naturæ debitum oriri debebat, penitus excluſit, & ita fecit

D. Berna.

Idem.

Idem.

Conc. Trid. sess. 5.

D. Berna.

Idem.

ſanctam natiuitatem, per quam intelligere poſſumus, tam natiuitatem in vtero, quàm extra vterum. Idem quoque quod de Bernardo dixi, de Ruperto accipi debet, ille enim, vel ſolùm primam Conceptionem Mariæ, quæ fit inter maritales amplexus, ſanctam eſſe denegat, quod indicat dum dicit, potuiſſe Mariam dicere, *In peccatis concepit me mater mea*: vel ſolùm loquitur de debito contrahendi originale, quod de deuotiſsimo viro, Deiparæque deditiſsimo credi oportet, maximè cùm in ipſis quoque verbis Deiparam non habuiſſe peccatum originale ſubindicet dicēs: *Ante faciem huius amoris peccatum, nec illud, nec aliud, ſtare potuit, ante faciem huius ignis ſtipula omnis interijt, vt totum fieret ſanctum habitaculum.*

Rupert.

Vnum tamen velim aduertat lector, pro hac epiſtola Bernardi, quod etſi in illa Bernardum nobis aduerſarium extare fateremur; nullo tamen probabilitatis veſtigio affirmari poteſt, idem aſſerturum ſi modò viueret. Quod ex vltimis verbis eius epiſtolæ elicio, dicit enim: *Quæ autem dixi, abſque præiudicio ſanè dicta ſint ſaniùs ſapientis Romanæ præſertim Eccleſiæ authoritati, atque examini, totum hoc, ſicut & cætera, quæ huiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo, ipſius, ſiquid aliquid aſpio, paratus indicio emendare.* Quomodo ergo ſi modo Conceptionis immaculatæ feſtum à Romana Eccleſia celebrari videret, ipſi repugnaturum Bernardū, aut oppoſitæ auxiliaturum ſententiæ credi poteſt?

D. Berna.

Ad tertiæ claſsis Patres reſpondeo, neutiquam eorum dicta ſententiæ noſtræ aduerſari. Dicūt enim Beatiſsimam Mariam ſanctificatam, & purgatam à peccato, non quia vllum contraxit, ſed quia reuera accepit gratiam præſeruantem, ſanctificantem, & purgantem ab omni peccato ſi adeſſet. Sicut enim mun-

Digitized by Google

mundum, & sanctum, nõ solùm dicitur id, quod, cùm priùs esset immundum, & pollutum, postea mũdum, & sanctum efficitur; verùm etiam id, quod numquam immundum fuit, & pollutum: ita quoque mundari, purgari, & sanctificari, de eo dici potest, quod numquam fuit immundum, aut pollutum. Debet autem huiusmodi solutio acceptari ab omnibus propter multa. Primò quidem, quia, vt ex ipsis Patribus constare poterit, non solùm loqui videntur de purgatione, emundatione, seu sanctificatione ab originali, sed etiam ab alijs peccatis. Constat autem secundùm veram, Catholicamquè doctrinam, nullum peccatum actionis, etiam veniale præcesisse. Cùm igitur dicitur Maria sanctificata, mundata, aut purgata, intelligi id debet ratione præseruatiui priuilegij, à quo habuit, vt nullum crimen admitteret. Quod indicat Nazianzenus, dum Mariam vocat *præpurgatam*; *Nazian.* particula namque *præ*, cùm antecessionem dicat, antecedentem quandam munditiem ante omnes sordes peccati prænotat. Secundò admitti debet hæc solutio, quia ipsemet Christus saluator Ioannis *Ioan. 10.* 10. sanctificatum se etiam declarat dicens: *Quem pater sanctificauit, & misit in mundum* & Ioannis *17. Pro Ioan. 17.* *eis ego sanctifico me ipsum*: Cùm tamen in eo nullum præextiterit peccati vestigium. Quid mirum ergo, vt pariter etiam Maria sanctificata in vtero, etsi nullum habuerit contagium peccati, dici possit? Tertiò, est hæc explicatio Patrum conformis Dionysio *Dion. c. 2* capite secundo de Ecclesiastic. Hierarc. vbi ait: *An-* *de Eccles.* *geli purgantur ab ignorantia*, quod explicat Lynconien- *Hierarc.* sis, inquiens: *Diuina scientia est purgans, non à sorde, quæ in* *Lyncon.* *ficit; sed ne insit obstans, quod genus purgationis est secundùm*

veritatem optimum. Sic ergo Maria *purgata*, & *mundata* dicetur, non à sorde aliqua inficiente, *sed ne insit* ali-
Idem. qua peccati macula, *quod genus purgationis* (Lyconiensi teste) *est secundùm veritatem optimum.*

Fulgent. Chrysipp. Restare solùm videtur difficiliora verba Fulgentij, & Chrysippi in eadem tertia classe reposita declarare. Illa verò non minùs facilè enodari possunt. Primùm quidem, quòd ait Fulgentius voce Angeli salutantis Mariam significatum fuisse *iram exclusam primæ sententiæ, & gratiam benedictionis restitutam*, de præseruatione facta in Conceptione virginis exponitur satis congruè & aptè. Cùm enim ratione peccati primi parentis ira Dei in Beatam virginem, quasi debito naturæ inferri posset, & deberet, gratiaquè benedictionis in Adamo collata ipsi denegari, eo ipso, quòd ab originali fuit præseruata, rectè dici potest *exclusam iram primæ sententiæ, & gratiam benedictionis ei restitutam.* Ad Chrysippum respondeo, virginem dici surrexisse *à lapsu, in quo illam constituit Euæ cognatio*, non quòd priùs lapsa in peccatũ re ipsa fuisset, sed quòd cognatione Euæ in periculo labendi fuisset constituta, à quo periculo præseruata, non ineptè surrexisse dici potuit. Quam solutionem meritò amplectitur
Vazquez Vazquez superiùs relatus.

Ex omnibus autem allatis manifestè liquescit, nullum esse Patrem adductum, ex antiquis, vel neotericis, qui nostræ sententiæ videatur oppositus. Omnes
S. Anto. de Padua. Gerardus Episcop. S. Vincēt. Ferrer. enim, qui pro contraria afferuntur, facillimam habẽt solutionem. Alios quoque referunt, vt nobis omnino aduersatios, videlicet Antonium de Padua, Gerardum Episcopum, & Vincentium Ferrerium. Sed hunc vltimum pro nobis dimicare ex dictis cap. 20. inuoteſcit. Primum verò, & secundum legere nõ po-

tui: sed nec credam ita locutos, quin aliquam ex adhibitis solutionibus permittant.

Rationibus, quæ in contrarium obijciuntur fit satis. Cap. 31.

DEbilia certè sunt, & lanea, tela argumentorum, præsertim ex rationibus petita, quibus nostram validissimam sententiam, quasi fortissimam arcem, in altissima rupe veritatis constitutam, emollire conantur: ideò omnia in hoc capite sigillatim euertã. Primam autem rationem ex eo construunt, quòd indecens videatur, & contra singularem Christi honorem, quòd illud priuilegium præseruationis ab originali, quo ipse fuit gauisus, puræ alij creaturæ tribuatur. Secundam verò à posteriori sic conficiunt: nam B. virgo, pœnas originali peccato à Deo præfinitas, & statutas, subiuit, qualis est mors, & ærumnæ aliæ temporales; ergo, & ipsum peccatum originale fuit experta. Similiter à priori sic formant rationem, quia B. virgo concepta fuit cum libidine maritalis complexus, ergo & habuit crimen originale, illud enim est causa istius. Insuper arguunt ab absurdo, quia si B. virgo originalis maculam non admisit, si ergo antequam Christus moreretur ipsa mortem obiret, statim ad cælum euolaret, & videret Deum, quod esse falsum constat ex eo, quia Christus morte sua ianuas cæleſtis regni occlusas aperuit. Denique ex alio capite obijciunt, quod potiùs decuisse videtur, vt Christus ex matre, quæ aliquando fuisset in peccato, nasceretur, quandoquidem propter peccatores venerat, vt (iuxta regulam Hieronymi in cap. 1. Matth.)

Primũ argumentũ.

Secundũ.

Tertium.

Quartũ.

Quintũ.

Hiero. in cap. 1. Matth.

Qui propter peccatores venerat, de peccatricibus nascens omnium peccata deleret.

Sed hæc ita facilia sunt, vt ex se ipsis propriam infirmitatem ostendant. Nihil enim prorsus (vt ad primum argumentum respondeam) singulari dignitati, & honori Christi derogare potest, quòd eius sanctissima Mater præseruatione originalis gaudeat, quin potiùs oppositum filij dignitati opponi, latiùs monstrauimus in antecedentibus. Sicut enim non derogat Christi maiestati, quòd eius Augustissima Maria ab omni peccato actionis immunis extitisset, aut quòd corporis corruptionem post mortem euitaret, aut quòd in hac vita existens, Dei aliquando in tuitiua visione frueretur, quæ propria filij videntur priuilegia: sic neque repugnabit eiusdem Christi excellentiæ, vt eius Mater ab originali crimine sit exempta. Præsertim, quia diuersis titulis filio, & Matri hæc immunitas conuenit, filio quidem ex se, natura sua, vi suæ conceptionis, & ex ipsa humanitatis ad verbum coniunctione; Matri verò solùm ex filij cõcessu. Vnde Patres, præsertim Sophronius in epistola de Assumptione Mariæ iam citatus dixit: *In Maria totius gratiæ, quæ in Christo est plenitudo venit, quamquã aliter.* Ideſt, filio per naturam, Matri verò per gratiã. Ad quod optimè accinit Vlpianus in l. Princeps. ff. de legibus, dicens: *Princeps legibus subditus non est, Augusta verò licet sit subdita, Princeps tamen eadem priuilegia illi concedit, quæ ipse habet.* Quæ quidem meritò nos de hoc priuilegio prædicare possumus.

Sophron.

Vlpian. in l. Princeps ff. de legibus.

Ad secundum, fateor aliquot ex effectibus originalis criminis primi Parentis Adami, in virgine permansisse: hinc tamen in efficaciter nimis sumitur argumentum ad probãdum in ea fuisse originale peccatum.

catum. Quia, ſicut in bona Philoſophia certum eſt, primarium effectum formæ ſine illa extare non poſſe, ſic, & indubitatum habetur, ſecundarios formæ effectus ab alia forma dimanare poſſe. Mortem autem, & ærumnas cæteras, peccati effectus ſecundarios eſſe, non negabit Theologus, & ita ex alio capite potuiſſe prouenire. Imò hinc ſumam efficax argumentum pro mea ſententia, magis vrgendo contrarium. Nam ſi in Maria ſanctiſsima fuit peccatum originale, ergo fuerunt in illa propinquiores effectus ipſius: at peccati fomes, inclinatio ad malum, inordinatuſquè motus, etiam primó primus, quæ proximiores effectus ſunt originalis peccati, quàm mors, & ærumnæ, in ipſa numquam extiterũt: ergo neque, & ipſum originale contagium. Oportuit autem effectus, merè pœnales peccati originalis in Maria permanſiſſe, tum ad meriti augmentum, tum etiam ad maiorem ſimilitudinem cum Chriſto, qui ſimiles pertulit, quod latè tractat Damaſcenus duabus orationibus de Aſſumptione. *Damaſce. duab. ora. de Aſſũptione.*

Ad tertium, aliqui refragantur aſſumptum, negare namque videntur, Deiparam ſanctiſsimam cum libidine à parentibus genitam, ad quod afferunt Angeli verba ad Ioachim Patrem virginis: *Deus clauſit ad tempus vterum vxoris tuæ Annæ, vt non libidinis foret quod naſceretur, ſed diuini eſſe muneris noſceretur.* Tum reuelationem Beatæ Brigittæ factam ex primo libro reuelationum capite nono, vt elicit Caniſius libro primo capite ſeptimo, quòd ſcilicet: *cùm parentes virginis ex Angelo intellexiſſent, filiam ſibi fore virginem, ex qua mundi ſalus procederet, nihil minus ipſis libuiſſe, quàm ad carnis redire commercium, quandoquidem in illa ætate carnis voluptati, ac libidini nuncium penitus remiſiſſent.* *B. Brigit. Caniſ. lib. 1. cap. 7.*

Ve-

Verùm eosdem Angeli admonitione, ac Dei potius, quàm carnis voluptate vlla permotos, & diuinæ demùm ex ratione habita, coniugali officio satisfeciſſe. Quod fortè Rudolphus Agricola Friſius, cùm Annæ ſedulus eſſet, in carmine ipſius celebrauit, dicens:

Rudolph. Agric.

Salue ſancta parens, & tu nata inclyta ſalue:
Quas caro, quas pietas, has quoque iungit honor.

Sed neceſſarium non eſt, antecedens in argumento aſſumptum negare: præſertim, cùm illud affirmare videatur Bernardus dicta epiſtol. 174. Quare quidquid de illo ſit, de quo modò diſputare non libet, conſequentia vt falſa reijcienda eſt. Etſi namque daretur genitam fuiſſe Mariam ex parentum libidine, adhuc tamen inferri inde non poſſet, vt illatio neceſſaria, originale peccatum contraxiſſe. Propria namque huius peccati cauſa, non eſt libido parẽtum, ſed propagatio ex Adamo, opera viri, & fœminæ facta. Vt recte annotauit Vazquez dicta diſputatione capit. 13. Solùm meo videri inferri inde poterat, aliquale debitum contractionis habuiſſe, de quo in ſequẽtibus.

Bernard. Epiſ. 174

Vazquez cap. 13.

Quarto argumento non eodem modo ſatisfaciũt Theologi. Mihi tamen aliqua dicẽda ſunt: primũ eſt, me prorſus neſcire, qua fundamenti ſpecie, hoc argumentum cõtra nos attulerint aduerſarij, niſi enim oculis velamen imponamus, idem etiam contra aduerſarios athletas, dimicare conſpiciemus. Ipſi enim (vt reuera ſunt pij, Catholiciq; Theologi) etſi virginem Matrem, peccati originalis ſordibus infectã eſſe fateantur, annuunt tamen in vtero materno ſanctificatam fuiſſe. Si verò hæc ita ſunt, idem argumentum contra eoſdem conficio: Quidnam accideret, ſi ante Chriſtum moreretur Maria? Quonam eius ſanctiſſima anima tenderet, cælum ne, an Abrahæ ſinũ?

Eadem certè, quia nos difficultate premuntur. Ab ea tamen me expedio, dico secundò; quòd si legem ordinariam, & communem attendamus, ea hypothesi data, quòd ante Christi mortem obiret Maria, in Abrahæ sinum descensura esset. Hæc enim est communis hominum lex, vt nullus ante Christum cœli ianuã, Adami peccato occlusam, intret. Vnde Christi victoriæ effectus fuit illam aperire, testibus Ambrosio, & Augustino in hymno *Te Deum*, cùm dicunt. *Ambrosius.* *Augustinus.* *Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cælorum.* Quam doctrinam confirmat Suarez loco citato ex D. Thoma, Alensi, alijsque Doctoribus. *Suarez.* *D. Thom.*

Quòd si petas, an ex speciali priuilegio tribueretur in eo casu Mariæ, diuinæ essentiæ visio. Inclinat in negatiuam partem Suarez. Mihi tamen affirmatiua benignior videtur: cui adhærere videntur Scotus, Cancellarius Gerson, & deuotissima Parisiensiũ Schola, ipso Suarez referẽte. Nec huius maior ratio reddi debet, quàm communis omnium priuilegiorũ Mariæ radix, Maternitatis nimirum dignitas, ex qua quidquid Deo nõ repugnet, eidéquè virgini cõgruere posit, nec dedeceat, concedere non grauabor. Insuper, si secundum aliquorum piam, & probabilem opinionem, adhuc viuenti Mariæ, hoc priuilegium fuit concessum, vt Dei essentiam intuitiuè aliquando videret, cur non idem post mortem ipsi concedendum erit? Et verè id decens Mariæ videtur, cũ enim iam vitæ suæ cursum fælicissimè peregisset, clamare poterat cum Dauide Psalm. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, & etiam: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Maximè, cùm, iuxta Sapientis dictum Prouerbiorum 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Congruum quoque, & consentaneum ex parte *Suarez.* *Alensis.* *Suarez.* *Scotus.* *Gerson.* *Suarez.* *Psal. 119* *Prou. 13.*

Dei

Amb. lib. 1. de Abrahã c. 3 Dei est, qui (vt Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. dixit:) *Non est Jerus ad remunerandum Dominus, & eiso promittit, & multa largitur.*

Ad vltimum negamus magis decuisse Christum ex Matre peccatrice, quàm omnino à peccato im-

Anselm. muni, cõcipi, & nasci, cùm clamet Anselmus millies repetitus: *Decuisse virginem ea puritate nitere, qua maior*

Hieron. *sub Deo nequeat intelligi.* Hieronymus autem citato loco, solùm assignat causam, quare permiserit Christus in Genealogia sua peccatores extitisse, vt scilicet ostenderet benignitatem suam erga homines, qui cùm propter peccatores venerat, ab eisdem descendere non abhorruit. Vnde, & si non dedeceat Christum ex remotioribus parentibus peccatoribus nasci, dedecet tamen illum ex matre peccatrice natum fuisse; remotiores namque parentes, vtpotè nobis remotissimi, non eam coniunctionem nobiscum petunt, quam proximi à quibus geniti sumus. Vnde meritò Ouidius Metamorphos. 13. proauos alienos à nobis putat:

Ouid. Metam. 13. *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi*
Vix ea nostra voco.

Sene. lib. Tragœd. De quibus etiam Seneca in lib. Tragœdiarum.

Genus qui laudat suum, aliena laudat.

Propinquitas verò filij ad Patrem, vel matrem, adeò stricta est, vt quasi pro eadem persona reputentur, & infamia & gloria vnius in alterum redundet. Quare

Fulbert. meritò Fulbertus cap. 25. allatus dixit: *Filij gloriam cum matre non tam communem iudico, quàm eandem.*

Habetur hinc præterea, ex horum argumentorum facili enodatione, sententiam nostram, nullo modo, aut nulla specie, nullouè probabilitatis vestigio, alicuius censuræ nota inuri posse. Vnde toto cælo aberrasse

aberrasse conspicitur Matthiam Illyricum Centu. 9. c. 10. affirmantem: *Sententiam Doctoris Idiotæ, quam de B Mariæ Conceptione protulit, erroneam esse,* & Tilmanum Heshusium in libro de Sexcentis erroribus Pontificiorum 3. tit. & Kemnitium in Examine Conc. Trid. sess. 5. dum asserunt, opinionem de immaculata Conceptione contra verbum Dei à Pontificijs defendi. Quin etiã innotescit inde, falsò, & sine rationis vesti gio affirmasse, quemdam Bartholomæum de Spinis: *Repugnare fidei Catholicæ opinionem negantem Mariæ originale peccatum,* quẽ meritò Catherinus in dicto opusculo redarguit, quòd, non obstantibus harum spinarũ aculeis, viget, & floret in Ecclesia Conceptio immaculata Virginis: *Sicut lilium inter spinas.* Contra hos tamẽ omnes Sixtus 4. in extrauaganti *Graue nimis,* quin etiam Conc. Trident. sess. 5. se opponunt, quibus qui Catholici sint respondere non valebunt. Hæretici verò, vt impudentes homines, & iuxta sui cerebri captum insanientes, relinquẽdi sunt. Insuper liquescit clarè quàm inconsideratè quidam, quem nec nomino, asserere ausus fuit, opinionẽ de immaculata Virginis Conceptione à *lanarijs, talaribus sutoribus, & artificibus defendi,* cum ex dictis in superioribus constet à sanctissimis Patribus, grauissimis Doctoribus, Principibus nobilissimis, viris, & fœminis illustrissimis, totis præcordijs fuisse receptam.

Matthias Illyricus Centur. 9 cap. 10. Idiota. Tilmanus Heshu. Kemnitius in Exam. Conc. Trident. sess. 5 Barth. de Spinis. Sixt. 4. Conc. Trident.

An saltem Maria in Adam peccasse dicatur, debitumquè contrahendi originale habuisse. Cap. 32.

MVtilum, & truncatum Apologeticum hunc librum de Deiparæ immaculato conceptu æsti-

mabit aliquis, si dum eius immunitatem ab originali requiro, simul etiam an debitum illius admiserit, non inuestigem. Id igitur in præsenti faciam. Et, quia in superioribus non leuiter, sed accuratè, & qua potui diligentia, Mariam originali crimine orbam fuisse demonstrauimus, iam in sequentibus (etsi breuiùs) nequaquam tamen minori cura, & solicitudine (paucos in hoc antesignanos habens) quid de debito contrahendi tale peccatum, piè sit sentiendum, ostendam. Vbi etiam an de facto in communi Parente Adamo peccauerit disputabo. Pro vna namque, & eadem re communiter vtrumque habetur. Id autem methodico, & scholastico modo discutiam, cùm iuxta doctrinam Aristotelis in suis Metaphysicis, *quærentes veritatem sine disputatione similes sunt, quòd re ignorantibus.* Quin etiam melius disputatione veritatem indagari, docet textus. in lege prima §. mixta ff. de muneribus, & lege secunda §. ex legibus ff. de origine iuris.

Arist. in Metaph.

Lege 1. §. mixta ff. de mune.

Lege 2. §. ex legibus ff. de origine iur.

Primò igitur prænoret lector, peccatum communi diuisione ab scholasticis in peccatum *in fieri*, & in peccatum *in facto esse* secerni. Appellant illud, *ipsummet actum peccati, peccaminosum & malum, quo homo actualiter, & formaliter appellatur peccans*, siue eius malitia in positiuo aliquo, reali, aut rationis, siue solùm in priuatione debitæ rectitudinis, vt ego probabilissimum puto, consistat: de hoc enim modò non quæro, nam quidquid circa hoc dicatur, eadem difficultas nostra manebit. Peccatum verò in facto esse appellant illud Theologi, *à quo*, iam transacto actu peccati, *homo peccator esse, aut in statu peccati versari* dicitur. Est namque peccatum hoc modo, effectus peccati in fieri; imò, quod præcipuè animam inficit;

Et

Et ideo communiter, *macula peccati* à Theologis nuncupatur. Quam maculam, consequenter ad ea, quæ capite primo huius libri diximus, priuationem esse gratiæ, seu iustitiæ originalis existimamus, iuxta probabiliorem Theologorum opinionem, quam potiùs supponere, quàm probare modo contendimus. Et quamuis communiter hæc diuisio, ad solum peccatum actuale restringi videatur, nihilominus sine dubio ad peccatum etiam originale extendi debet, ita vt in ipso sit peccatum *in fieri*, & peccatum *in facto esse*. Illud primum appello ego, actum ipsum malum, & peccaminosum, quo Adamus Protoparens ligni veriti cibum comedendo, diuinum præceptum fuit transgressus, cuius peccati omnes nos, quatenus in ipso, vt primo capite, virtualiter continebamur, participes fuimus, ita vt verè dicere potuerit Paulus ad Romanos 5. *Omnes in Adam peccauerunt*, & primæ Corinthiorum 5. *omnes in Adam moriuntur*, quia videlicet, ipsum etiam originale peccatum, aliquo modo commisimus. Peccatum verò originale in facto esse, est macula illa peccati, seu priuatio iustitiæ, cum qua omnes homines concipiuntur. Et quia in præcedentibus capitibus, Deiparam Beatissimam, ab hoc peccato in facto esse, excipiendam esse longiùs confirmauimus, nunc in sequentibus an etiam ab ipso originali in fieri, fuerit exempta, ita vt in Adamo non peccauerit, examinandum duxi.

Ad Rom. 5. *1. Corin. 15.*

Pro quo vlteriùs animaduerti debet, radicales duas conditiones requiri, ad hoc quòd aliquis ex posteris Adami, ipsius peccati particeps nominetur, & sit: non solùm quoad hoc, quòd in propria

persona illud contrahat, sed etiam, vt in illo peccasse dici possit. Prima est, *quòd in illo, vt in capite naturæ continetur, & secundùm naturalem, & seminalem propagationem ab eo procedat.* Quæ conditio communi Theologorum calculo approbatur, nemine (quod sciam) discrepante. Sufficiat nũc pro ea duo Theologorum lumina referre S. Thom. 1.2. quæst. 81. præsertim art. 4. & Scotum in 2. dist. 32. §. *Quantum ad tertium.* Vnde propter hanc rationem, quia Christus non processit ab Adamo secundùm seminalem rationem, sed secundùm corpulentam substantiam, vt Theologi aiunt, non solùm ex vi vnionis Hypostaticæ, sed ex vi etiam suæ generationis, immunis fuit ab originali contagio. Similiter, si aliquis ex humano semine viri, aut mulieris, miraculosè à Deo generaretur, quia non fieret per naturalem generationem, originalis peccati particeps non esset. Ac tandem, propter hãc etiam causam tradit ipse S. Thom. dicto art. 4. *Quòd si aliquis ex humana carne miraculosè à Deo formaretur, originale crimen non contraheret*, quod probat in argumento *Sed contra* ex Augustin. 10. super Genes. ad literam cap. 19. & 20. Et ratio huius reddi potest, quia peccatum originale, ea ratione, qua peccatum est, aliquid voluntarij debet participare: ergo debet esse voluntarium, in se, vel voluntarium in alio, quod sit caput aliorum. Sed alijs hominibus ab Adamo, non est ipsius peccatum voluntarium voluntate propria: oportet ergo, quòd sit volũtarium voluntate alicuius, qui sit caput aliorum, atque ita, si aliquis non contineretur in Adamo, vt in primo, & naturali capite, ipsius peccatum, nec quoad fieri, nec quoad factum esse, participaret.

S. Thom. 1.2.q.81 art.4.

Scot. in 2. dist. 32. §. quantum ad 3.

D. Thom.

Aug. 10. sup. Gen. 19. & 20.

Secunda conditio prorsus etiam necessaria, vt alii quis.

Digitized by Google

quis Adamicum peccatum contrahere, & commisisse dicatur, est *contineri sub pacto illo, quod Deus cũ Adamo habuit, de transfundenda iustitia in posteros; si non peccasset, si vero peccasset, quòd cæteri ex posteris peccassent etiam, & peccatum originale contraxissent.* Recipiunt hãc conditionem Theologi plurimi, & ex recentioribus Suarez tomo 2. in 3. part. disp. 3. sectio. 2. & in re, est communis sententia Theologorum contra Sotum 1. de natura, & gratia cap. 10. affirmantium, vt posteri Adæ ipsius peccati sint participes, non satis esse, vt in illo, tanquam in primo parente, & naturali principio, sint contenti, sed oportere etiam, vt Deus speciali pacto, & lege, voluerit Adam morale caput aliorum constituere, quodammodo in eius voluntate aliorum voluntates ponendo, vt veluti omnium hominum nomine præceptum impositum aut seruaret, aut trãsgrederetur: ita vt eo in diuina obedientia perseuerante omnes posteri, quasi hæreditario iure, iustitiam, & gratiam à Deo obtinerent, illo autẽ peccante, omnes essent Deo inuisi, & inimici.

Suar. to. 2. in 3. p. disp. 3. sectio. 2.

Sot. 1. de natur. & gra. c. 10.

Ex vtraque ergo hac duplici conditione dimanat, omnes nos peccati originalis in propria persona maculam cõtraxisse. Per naturalem namque, & seminalem propagationem ab Adamo procedimus, & sub pacto Dei cum ipso contracto cõtenti sumus: diuersimodè tamẽ ex duplici hac radice id procedit; ex prima nãque solùm radicaliter, & remotè, ex posteriori autẽ proximè, & immediatè id oritur. Quod sic explicatur: nam prima conditio se habet tãquam fundamentum secundæ, prius enim est, omnes homines intelligi ab Adam per seminalem ptopagationem processuros, quàm quòd Deus cum illo pepigisset, quòd si peccaret, omnes etiam peccassent

Notatu dignum.

in illo

in illo, sin verò præceptum non transgrederetur, iustitiam, & sanctitatem pro omnibus seruaret. Deinde, quia ex vi secundę cõditionis, scilicet, pacti initi, habuit voluntas Adami, quòd esset etiam omniũ nostrum voluntas: ergo proximiùs prouenit ex hoc pacto, quòd peccati ipsius reddamur participes: à nullo nãque proximiùs, & immediatiùs procedit peccatũ, quã ab eo, à quo rationẽ voluntarij mendicat. Quare ex secunda hac conditione proximè, & immediatè procedet, omnes nos in Adamo peccasse, nam ex vi illius pacti factum est, vt dixi, voluntatem Adami, esse etiam quodãmodò nostram; vnde, quia ipse peccauit, nos quoque peccauimus in illo.

Notabile Vnde etiam (& est maximè aduertendum) duplici debito adstricti concipimur omnes ad contrahẽdum originalẽ maculam in proprijs personis. Primũ est radicale, & remotum, in eo consistens, quòd per seminalem propagationem ab Adam ortũ ducamus: ex eo enim prouenit, vt sicut Adæ filij, & membra sumus, ita eodem, quo ipse, qui caput est, crimine inficiamur. In moralibus namque, & naturalibus, malum, vel bonum capitis in membra, & inferiora, quasi debito quodam proportionis, redundat. Secundum debitum est proximum, & immediatum, ortum videlicet ex eo, quòd, quia in pacto à Deo cum Adamo inito comprehensi sumus, peccante eo, pactũque trangrediente, nos etiam cũ illo peccauerimus, atque per consequens debitum proximum contrahendi tale peccatum in proprijs personis, cũm conciperemur, haberemus. Difficultas ergo præsens est, an Maria sanctissima habuerit debitum aliquod originale contagium in propria persona admittendi, in Adamo vè peccauerit.

De quo (vt verum dicam) plurium Theologorum sententia fuit: *Deiparam sanctissimam debitum contrahendi originale peccatum habuisse, & in Adamo peccasse.* Hanc amplectuntur non solùm hi; qui ipsam ab originali peccato non liberant, sed & alij etiam, qui nobiscum oppositum sentiunt; specialiter Thomistæ 3. par. circa q. 27. vbi Suarez, & Vazquez, quibus adde Cordubam lib. 1. q. 44. Ex quibus aliqui, tam seuerè de opinione cõtraria censent, vt illi aliquam notam, seu censuram adhibeant: alij verò mitius se gerunt, sic enim suam sententiam defendunt, vt oppositæ nullam notam inurant. Illorum placita, & dicta posteà videbimus, nunc autem huius sententiæ fundamenta, tã, quę ab eius authoribus sunt proposita, tam quæ pro illa afferri possunt, in medium proponam. *Thomistæ 3. p. circa q. 27. Suarez. Vazquez Cordub. lib. 1. q. 44.*

Sit primum ex regulis generalibus sacræ Scripturæ deprompta, ad Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Et cap. 5. *In quo* (scilicet Adamo) *omnes peccauerunt.* Et infra: *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Et 2. Corinthiorum 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Et 1. ad Corinthios 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ex quibus locis arguitur sic: Huiusmodi loquutiones sacræ Scripturæ vniuersales sunt, neminem excipientes; sub illis ergo Deipara clauditur, atque ita peccauit, & mortua est in Adam, debitumque contrahendi originale incurrit. *Ad Rom. 3. & 5. 2. ad Corinth. 5. 1. ad Corinth. 15*

Secundum sit ex Patribus, & omissis illis, qui beatam Virginem sub originalis contractione claudere videntur, specialius etiam alij, eam peccasse,

Loup

seu mortuam esse in Adam, atque obnoxiam fuisse peccato originali declarare videntur. Leo Papa primus serm. 1. de Christi natiuitate affirmat: *nullum à reatu liberum reperisse* Christum; Augustinus in Ps. 34. asserit, *Mariam ex Adam mortuam esse propter peccatum*; Anselmus lib. de conceptu Virginali, & peccato originis cap. 7. *in Adam omnes peccauimus, quando ipse peccauit*, & lib. 2. Cur Deus homo cap. 16. clarè affirmat, *quòd Maria in peccato originali nata est, quia ipsa in Adam peccauit.* Plures alios prætereo, qui solum Christum ab hac Adami culpa immunem esse concedunt. Confirmatur insuper hæc ratio ad hominem contra doctrinam â nobis in superioribus traditam, quia Sacræ Scripturæ, & Patrum authoritates, quæ nobis aduersari videbantur, capitibus præcedentibus diluimus, dicendo eas intelligi de debito peccati originalis, ratione cuius Maria Sanctissima fuit obnoxia tali peccato, etiam si in propria persona illud non admiserit. Si ergo negamus Mariæ tale debitum, viam exponendi hoc modo ista testimonia penitus præcludimus.

Leo Papa 1. serm. 1. August. in Ps. 34. Anse. de Concept. Virg. c. 7 Idem lib. 2. Cur Deus homo c. 16.

Tertium fundamentum huius sententiæ est, quia indubitata veritas esse debet, â qua nulli recedere licet, Mariam verè â Christo redemptam fuisse, quia Christus fuit vniuersalis Redemptor generis humani, & pro omnibus mortuus ad Rom 5. 2. Corinth. 5. 1. ad Timoteum 2. & aliâs millies. Quare ab hac generali regula aliquē excipere, cōtra fidem esse censet Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 27. & 28. & alibi sæpe. Atsi B. Virgo nec in se, nec in Adamo peccauit, nec debitū incurrēdi peccatum cōtraxit, redēptione nō indigeret, quia & si redemptio actualem casum, seu captiuitatem non requirat, exigit tamen vt minimum, obligationē, periculum, seu obnoxietatē cadendi in illū:

Ad Ro. 5. 2. Corinth. 5. 1. ad Timoth. 2. August. lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 27. 28.

quod

quòd nos etiã fasi sumus capitibus præcedentibus. Vrgeri etiam potest hoc argumentum magis, nã vel B. virgo in se ipsa habuit debitũ peccati originalis, vel solùm in primo parente: si primum, habeo intentũ; tale enim debitũ nõ erat aliud, quã actualiter peccasse: si secundũ; ergo in se ipsa nõ indigebat redẽptione, quia eatenus aliquis redẽptione indiget, quatenus cecidit in peccatũ, vel erat in periculo cadẽdi.

Insuper quartò, nam B. virgo verè mortua est corporaliter propter peccatũ: teste enim Paulo ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransijt.* Sed non est mortua propter peccatũ originale, quia illud non habuit, ergo mortua est propterea quòd illius peccati particeps fuit, simul cum Adamo peccãdo, atque ita debitum contractionis originalis habuit. Vnde Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum capit. 4. *Pati* (inquit) *mortem sine meritis mortis, de vno solo mediatore Catholica fides nouit.* *Ad Ro. 5* *Aug. lib. 4. contra duas epis. Pelag. c. 4*

Præterea vrget Vazquez, quia verè Adamus accepit iustitiam transfundendam, non solùm pro alijs posteris, sed etiam pro B. Virgine, ita vt contẽta fuerit sub lege, & pacto de transfundenda iustitia: ergo etiam contenta fuit sub pacto, & lege de transfundendo peccato. Probatur hæc consequentia, quia cùm hæc iustitia non esset transfundenda si Adamus peccaret, si virgo sanctissima sub priori lege de transfundenda iustitia continebatur, non potuit à posteriori de transfundenda carentia iustitiæ excipi: ac per consequens de transfundẽdo peccato. Quod argumentum adeò efficax reputat Vazquez, vt ex eo sententiam Catherini erroris velit conuincere. Quod confirmat, nam si B. virgo à posteriori lege *Vazquez.* *Idem.* *Catherin.*

de transfundendo peccato fuit exempta, & ideò ab hoc peccato præseruata: sequitur, vt etiamsi in pura natura sine gratia iustificante conciperetur, non cõtraheret peccatum originale: quia, vt contraheret illud, deberet contineri sub lege illa posteriori de transfundendo peccato. Consequens autem est absurdum, quia absurdũ est asserere (inquit Vazquez) Beatam Virginem sine gratia iustificante potuisse à peccato originis præseruari.

His non obstantibus secunda sententia defendit, *Virginem nec peccasse in Adamo, nec debitum* (intelligo proximum) *contrahendi peccatum originis in propria persona incurrisse.* Hanc sententiam plures Theologi docent, quorum primus est Ambrosius Catherinus, qui eam absolutè, & eruditè tuetur in opusculo de peccato originali, cap. vltimo. §. *Vide & octauò.* & libr. de cõceptione Mariæ ad Synodum Tridentinam parte 1. cap. 1. & super illud Pauli, *Omnes in Adam peccauerunt.* Eandem etiam amplectitur Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 10. (quidquid aliqui contendãt contrarium) ait enim, *Christum, & beatam Virginem peccati Adami non fuisse participes, ideoque immortales, & impassibiles esse debuissent. licèt propter aliquas causas mortui essent.* In quo clarè indicat, non sõlùm Mariam peccatum originale non incurrisse, sed etiam quòd neque in Adamo peccauit; aliàs nullo pacto vir doctus affirmare posset Adamici peccati nõ fuisse participem, nec debuisse mortem pati. Refertur quoque pro ea Ioannes Viguerius Dominicanus de institutionib. Theologicis cap. 18. §. 5. in quo tamen nihil tale aduertere potui.

Catherinus de pec cat. origi. cap. vlti.

Galatinus lib. 7. de arcanis c. 10

Viguerius ca. 18. de instituti. Theolog. §. 5.

Et quamuis hi sõlùm authores pro hac sententia communiter afferantur; omissis pro nunc Patribus, è quo-

è quorum authoritatibus in sequenti capite munietur, placuit insuper alios illis adiungere, qui eam variis locis, tractatibus, seu opusculis amplectuntur. Sunt hi Bollanus in tract. de conceptione, qui extat Romæ in bibliotheca sancti Petri Montis aurei. Præsentatus Mendez Dominicanus in suo Mariali lib. 3. cap. 34. §. 2. & 4. vbi historiam Hester latè prosequēs probat non fuisse constitutam legem pro beata Virgine, Ioannes Suarius Frāciscanus in lib. vocato Cōciones 23. in Apocalypsim, vbi meliorem sibi affirmat videri opinionem eorum, qui dicunt virginem in Adamo non peccasse. Ad idem est doctissimus Salmeron in cap 5. ad Rom. vbi ostendit Mariam absolutam fuisse ab originali, quia pactum ad illam nō se extendit. Nouissimè id defendit noster Carmelita Loaisa in primo tract. conceptionis. punct. 2. Pro ea etiam parte sunt Turrianus in epistola ad Iacobum Amiotum, & doctor Didacus Perez de Valdiuia in libello de conceptione Deiparæ à capit. 8. & alij plures.

Bollanus. Mendez in Maria. lib. 3. ca. 34. §. 2. & 4. Suarius in conc. 23. in Apocalyp. Salmeron in cap. 5. ad Rom. Turrian. in epistol. ad Iacob. Amiotū. Valdiuia in libello de conceptio. Deipare, c. 8.

Præter istos, etiam plures alios possumus referre, quorum alij Mariam exceptam esse ab illa generali Apostoli regula: *Omnes in Adam peccauerunt*: contendunt, quæ, cùm iuxta proprietatem sermonis, tum iuxta Patrum, & Theologorum expositionem, vel solùm, vel præcipuè denotet omnes in Adamo peccasse, si ab ea excipitur Maria, manifestè fit in Adamo non peccasse. Hi sunt Albertus Magnus relatus à Canisio, & à nobis suprà capit. 2. Iosephus Angles in 2. dist. 31. q. 1. appendice 6. & Barradas tom. 1. lib. 6. cap. 3. § *à lege filium*. Alij verò sentētiam hanc probabilem, vel ad minus non improbabilem asserunt, ex quibus est Cosmas Magallianus in 1. ad Thimot.

Albertus Magnus Canisius. Iosephus Angles. Barradas. Cosmas Magallianus.

Quin etiam eam in publico Theologorum cœtu doctor Henricus de Villegas sacrorum Bibliorum interpres, & perdoctus Theologus Pater Albornoz in Collegio Societatis Iesu publicè defenderunt. Et quod omnibus magni pretij haberi debet, sapientissimus Theologus Decanus, & primarius professor doctor Ludouicus Monteſsinos à me consultus, eam, vt probabilem reputauit. *D. Henricus de Villegas. P. Albornoz. D. Ludouicus Montesinos.*

Nec grauetur lector, dum huius partis patronos adscribo insignes duos, Christianissimosquè Poetas huic opinioni fauentes, lepidissimis versibus audire. Alter est celebris Vidas in hymno ad Matrem Virginem, sic loquens. *Vidas.*

—— Postquam diuino fœdere rupto,
Primus in orbe parens hominum se perdidit ipse,
Sequè, suumquè genus veniens corrupit in æuum,
Sola malo exorta es, veteriquè imperuia noxæ.

Si enim Maria sanctissima veteri imperuia noxæ orta est: ergo non peccauit in Adam; aliàs illi culpæ obnoxia diceretur à Vida. Alter est insignis noster Mantuanus iam adductus sic de Maria canens: *Mantuanus.*

Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi infestare luto, mortalibus æquas,
Cui Pater æthereus mentem subiecit, & astra?

Per has autem sordes non minùs intelligere possumus peccatum originale in propria persona contractum, quàm actualiter in Adamo peccasse, atque ita vtrumque denegat Mariæ.

Antequam autem, quid in hac difficultate affirmandum sit, latiùs proponam, hoc vnum in hoc capite probare contendam, neutiquam sci-

etiam, fuit reperta: ideoquè, vt publicè defenderetur, permissa. Accidit enim abhinc paucos menses, quòd cùm à Franciscanis Theologis insignis conuentus, & vrbis Toletanæ in publicis conclusionibus defendendum proponeretur, *Beatam Virginem non habuisse debitum peccati originalis*, (quod de debito proximo explicabant) scrupulosi aliqui, bono zelo sine dubio, hanc opinionem non securam arbitrantes, ad sanctissimæ Inquisitionis tribunal detulere. A quo, dum causa examinatur, Theologi Complutenses consuluntur, quibus annuentibus ipsius opinionis probabilitati, aliisquè expensis (qua consilij maturitate, tam sanctus, & sublimis senatus procedere solet) ipsius decreto, & permissione, annuente maximè, imò, vt audiui, de cuëtu exultante illustrissimo, & reuerëdissimo domino D. Bernardo de Roxas Cardinale, Toletano Antistite, & sanctæ Inquisitionis præside maximo, hæc opinio publicè, nimioquè applausu, fuit defensa Toleti. Quare de eius iam probabili veritate, defensabilitatequè dubitare tam alti senatus authoritati derogare videtur. *D. Bernardus de Roxas Card. Tolet.*

Nec minori ponderatione dignum est, quòd cùm in opusculis Catherini, aliqua sanctæ Inquisitionis iussu, & per nouum expurgatorium, fuerint expuncta: vnde fit opera istius authoris à grauissimis Theologis lecta, & perlecta fuisse. Nihilominus hanc opinionem, quam clarè defendit intactam & incolumẽ, Ecclesia hucusque reliquit. Vnde plusquam moraliter euidenter colligitur, toto cælo à nota aliqua erroris, seu censuræ deuiare. *Catherinus.*

Quin etiam debilitas fundamentorum illorum, qui illi aliquam notam impingunt, idipsum persuadet. Corduba namque iam relatus ideò contendit, hanc *Corduba.*

S. Th. 1. 2. q 81. art. 3. hanc sententiam esse hæreticam quia S. Th. 1.2. q. 81. art. 3 dixerit de fide esse omnes ab Adamo procedentes secundùm seminalem propagationem, obnoxios esse peccato originali. Hoc verò fundamento nihil pro

Corduba. bat Corduba, nam ibidem Angelicus Doctor solùm contendit omnes homines, præter solum Christum, peccatum originale contrahere, de quo quid sentiendum

S. Thom. sit ex dictis in superioribus satis liquescit. Vnde S. Th. ibi nullum verbum habet de debito contrahendi peccatum originale, & ita non est ad propositum eius autho-

Caietan. ritatem in casu præsenti afferre. Similiter Caietanus ideò probat hanc secundam sententiam esse contra fi-

Suarez. dem, & Suarez esse errorem, quia aduersatur dictis Sacræ Scripturæ. Veruntamen hoc fundamentum nul-

Vazq. lum esse, contendit Vazquez in 3.p. disp. 115. cap. 3. & nos in solutione argumentorum eisdem locis satisfaciẽdo, non aduersari isti sententiæ facilè demonstrabimus.

Idem. Præterea Vazquez iam citatus reiectis aliorum fundamentis, ideò contendit hanc sententiam erroris conuincere, propter quintam rationem â nobis pro prima opinione adductam. Sed hoc etiam fundamentum, futile prorsus existimo. Tum, quia illius rationis solutionem facilem in sequentibus assignabimus: tum etiam quia, adhuc dato, quòd vni, aut etiam multis rationibus aduersaretur, non ideo dicere deberet vir doctus esse erroneam. Erronea namque sententia non eò dicitur talis, quia aliquibus rationibus eius falsitas comprobetur, sed quia ita falsa est, vt aliquo modo fidei, aut fidei principijs aduersetur, quod nõ probatur illa ratione. Restat ergo iam, vt sententiam nostram in medium proferamus.

(2)

Dei-

Deiparam Mariam, nec peccasse in Adamo, nec debitum proximum incurrendi originale habuisse, authoritatibus probatur. Cap. 33.

DVo in hoc capite mihi præstanda sunt, primum quidem breuiùs, & succinctiùs, secundum verò magis extensè proponam: faciliùs primum, non ita facilè secundum. Primò ergo assero, *Deiparam Mariam, debitum remotum, & radicale contrahendi originale crimen, in propria persona habuisse, debitumque peccandi in Adamo, nisi præseruaretur, in illa fuisse.* Hoc est ita certum, vt nullatenus de eo, si rectè intelligatur, vel dubitari possit. Et (vt vno verbo dicam) hoc, & non aliud, argumenti, primæ opinionis, quæ contrarijs efficacissima videntur elicitur. Insuper (vt etiam semel dicam) fortè hoc solum, scholastici antiqui, adminus plurimi ex illis, qui hanc sunt versati controuersiam, intendebant, cùm Mariam Sanctissimam obnoxiam peccato originali contrahendo concedebant. Et ne sine testibus loquar, duos, ex nostraquè familia Carmelitica antiquos Theologos in medium producam. Sit primus Ioannes Bacco, qui lib. 3. quodlib q. 12. part. 3. probat Mariam Sanctissimam non potuisse de potentia ordinaria præseruari, quin contraheret necessitatem ad originale *quia fuit filia Adæ, & per concubitum genita.* Secundus est Michael de Bononia, qui in Ps. 29. etsi concedat, Mariam formaliter non contraxisse peccatum originale, nihilhominus asserit contraxisse illud causaliter, id est habuisse debitum illud contrahendi, quia scilicet *fuit per seminalem propagationem concepta.* Quo etiã sensu intelligo opinionẽ Aureoli ob eodẽ Bacco relatã

Prima cõclusio.

Ioan. Bac. 3. quodlib. q. 12. p. 3.

Michael Bononia in Ps. 29

dicentis: quòd Maria *contraxit de iure originale in conceptione feminis, sed non de facto in conceptione animationis.* Vbi debitum contrahendi peccatum originale Mariam, non ponunt in eo, quòd in Adamo peccauerit, sed in eo, quòd ab ipso per seminalem propagationem processerit: quod etiam fortè plures ex recentioribus solùm intendunt. Et quod maiori pōderatione dignū est, D. Anselmus de Conceptu virginali c. 7. necessitatē cōtrahendi peccatū originale, nō in alio collocare videtur, quā in eo quòd ab Adamo procedamus. Ait enim: *Quia de illo futuri eramus tunc facta est illa necessitas, vt, cū essemus, peccaremus.* Idest, vt cō traheremus originale, vt explicat Valēcia vbi suprà.

D. Anſel. de Conceptu virginali c. 7.

Valencia.

Et quidem tale debitum remotum originalis criminis habuisse Mariam, ex dictis capite præcedenti liquescit. Ipsa namque per seminalem propagationem à parentibus est genita: ergo verè habuit saltem radicale debitum contrahendi originale in proprio individuo. Consequentia nota est, quia prima radix, & origo vnde homines tale peccatum contrahunt, naturalis, & feminalis generatio est, ex mare, & fœmina, vt iam probaui. Vnde hanc conclusionem negare nullus poterit, nisi qui ausus fuerit asserere virginem sanctissimam non fuisse ex naturali, & seminali maris, & fœminæ coniunctione progenitam, vt putridè effutire non est veritus Philippus quidam Paracelsus à Canisio lib. 1. capit. 3. relatus, affirmans: *Mariam filiam fuisse Abrahami iuxta promissionem, at non ex Adamo, neque ex eius semine,* & rursus: *Virgo Maria* (inquit) *pura fuit absque carne, & sanguine Adam, & Euæ.* Hoc tamen ridiculum commentum patres Ecclesiæ, totaquè cōgregatio fidelium, penitus irridet. Ex hac etiam radice, debitum quoque proximū peccandi in

Philippus Paracel. Caniſ. lib. 1. cap. 3.

Adamo habuisse sic probo: nã ex eo quòd in Adami lumbis continebatur, & ab ipso per seminalem propagationẽ erat processura, obnoxia, & subiecta fuit ad hoc, quod in pacto cũ Adamo inito clauderetur, & ad hoc, quôd volũtas ipsius virginis, in ipso quasi poneretur, sicut generaliter cæteris Adami posteris hoc contigit. Sed si voluntas virginis in Adami poneretur voluntate, verè Maria peccaret in illo: verè ergo habuit debitum peccandi proximum, licet, quia præseruata est, vt postea videbimus, de facto non deliquerit. Declaraturquè hoc exemplo: si Princeps aliquis, aliquo tributo, lege, vel impositione, vicinos omnes cuiusdã ciuitatis astringeret, quadã fœmina sola exẽpta, verè fœmina ista obnoxia, & subiecta tali impositioni mansisse diceretur: quia cũ esset pars, & mẽbrum illius ciuitatis, quòd similibus etiã legibus, & impositionibus, ac alij conciues, obstringeretur, subdita erat. Pariter etiam de beata Virgine philosophari debemus, vt quia filia Adami erat, & per cõsequens humanæ naturæ membrum, & pars, obnoxia esset, vt peccato toti naturæ communi inficeretur.

Assero secũdò: *Beatissimam Virginẽ debitũ proximũ cõtrahẽdi peccatũ originis nõ habuisse, neq; in Adamo peccasse.* *Secunda conclusio.* Hãc conclusionẽ tuẽtur authôres secũdæ sentẽtiæ iã adducti, cui nimis etiã nostri Theologi Cõplutenses adnærẽt. Et quia nõ habuisse proximũ debitũ oritur ex eo, quòd nõ peccauerit in Adamo, ideò hoc vltimum latè probabo. Et vt eius maximam probabilitatem ostendam, in Dei, & eius genitricis honorem, ferè eodem genere argumẽtorum, quo in toto libro Deiparam à peccato originali liberam demõstraui, eodem etiã, paucis, & quoad materiam mutatis, probare contẽdam, neutiquam in Adamo peccasse. Hic

autem ferè solùm attingam loca, & argumenta præcedētibus capitibus adducta, quæ ingeniosus Theologus poterit suo loco penitius inspicere.

Expendam igitur priùs loca Sacræ scripturæ pro nostra sententia adducta, quæ non minus probant Mariam non peccasse, quàm non contraxisse originale peccatum. Primò ex illo Geneſis 3. dicto ad serpentem: *Ipsa* (scilicet Maria) *conteret caput tuum*, nam per hęc verba, vt cap. 3. probaui, denotatur Deipara sanctissimam omnimodam de serpente, qui Diabolus est, victoriam reportaturam, præsertim quoad peccatum originale. Si autem illud commisisset, verequè in Adamo tale crimen perpetrasset, nō video, qualiter hanc victoriam cōsecuta fuerit, cùm potiùs Diabolus Adamum decipiendo, superandoquè, etiā Mariam decepisset, & superasset. Similiter secundò, quæ capit. 4. de Iobi 3. testimonio dixi, nostro deseruiunt proposito: si enim, vt ibi probaui, in hoc maledicitur peccatum originale à Iobo, vt *expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis aurorę*, ideſt, quòd neque Christum, neque Mariam tangat, dici nō potest non tetigisse Mariam, si, vt aduersarij volunt, in Adamo peccauit; cùm saltem in eo non modò tetigisset, sed infecisset, & inquinasset illam. Rursus tertiò locus ille Psalm. 84. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob*, de quo latè cap. 5. egimus, maximè quoque vtilis est intento: nam si Maria peccauit in Adamo: ergo fuit maledicta in illo, ergo in illo verè, & actualiter commisit, & patrauit originale crimen: quomodò ergo stat cum hoc dici de Deo: *Benedixisti Domine terram tuam* (scilicet Mariam) *& auertisti captiuitatem Iacob* (scilicet peccatum originale) ab ea? Quomodò enim auertitur originale ab eo, qui

Genes. 3.

Iob. 3.

Psal. 84.

Digitized by Google

qui illud actualiter fecit? Pari etiam pietate, quæ ex Psalm. 86. adduximus, noſtro cohærent propoſito: ſi etenim neque in Adamo peccauit Maria, non ſaluatur congruentiùs, fundamenta Mariæ, eſſe *in montibus ſanctis*, cùm primum ſecundùm naturam Mariæ fundamentum, Protoparens fuerit, in quo fuit contenta: meliuſquè verificatur, *glorioſa dicta* eſſe de illa, ſi glorioſum hoc priuilegium illi concedamus: concinniuſquè dicetur: *Sicut lætantium omnium* fuiſſe habitationem Marię, cùm in ea numquam fuerit luctuoſa materia peccati. *Pſal.* 86.

Præterea hæc ſententia roboratur, ex illo Pſal. 88. *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis*, quod cap. 7. de Maria explicauimus: ſi enim Maria eſt Sol, & Luna perfecta, nullum obſcuritatis, aut vmbræ veſtigium (hoc eſt peccatum etiam in fieri) cõcedere ipſi debemus: ſi verò peccaſſet in Adamo, cùm vt ſic peccatrix eſſet, & peccato actuali infecta, hæc congruè exponi non poſſent. Multoquè certius eſt, non poſſe vocari *teſtẽ in cælo fidelẽ*, cùm enim peccatum hoc commiſiſſet, ſaltem in alio, Deo non poſſet omnino fidelis appellari, ſicut neque ſponſa virum offendens fidelis appellatur, quin potiùs illud Oſeæ 6. *Omnes ſicut Adã tranſgreſſi ſunt pactum*, de ipſa affirmari poſſet. Item ex loco Ezech. 43. cap. 8. recitato fulciri poteſt intentũ, cùm enim dicatur: *Iſta eſt lex domus* (quæ eſt Maria) *omnis finis eius in circuitu ſanctum ſanctorum eſt*, hæc verificari nequeunt, ſi in Adamo peccauit, quia ex ea parte, non eſſet ſancta, ſed peccatrix: quomodo ergo *omnis finis eius in circuitu ſanctum ſanctorum eſt*? Præterea omnia ferè teſtimonia ex Cãtico Canticorum deprõpta, & c. 9. noſtro propoſito adducta, huic etiã famu- *Oſeæ* 6. *Ezec.* 43. *Cant. Cãticor.*

famulantur. Nã neque Maria *Pulchra*, aut *tota Pulchra*, *Proxima Deo*, *Soror*, *Immaculata*, *& Electa genitrici ſuæ* (ſcilicet gratiæ) dici rectè poteſt, ſi in Adamo peccauit, vt ſic enim poſſet à nobis è contra appellari deformis, remota à Deo, maculata, & imperfecta, &c. hæc enim omnia affert ſecum quodcumque peccatũ deſtruens amicitiam Dei. Multoquè minus de ea affirmari poſſent, quæ ſponſus dixit Cant. 4. *Macula nõ eſt in te*. Sicut enim aliquis infamis, ignobilis, & proditor dicitur, propter infamiam, & proditionem à parentibus commiſſam, ſic Maria, ſi particeps fuit Adamici peccati, in ipſo maculata, infamis, & ignobilis dici poſſet.

Cantic. 4.

Cantic. 8. Clariſsimequè meo videri Cant. 8. locus in illo capite allatus, hanc opinionem cõfirmat, vt doctos aliquos aduertiſſe video. Dicitur enim ibi de Maria: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuũ, ſub arbore malo ſuſcitauite, ibi violata eſt genitrix tua, pone me, vt ſignaculum, &c.* Quæ verba, pijs Theologis noſtram digito indicabunt ſententiam: vocatur enim virgo *delicijs affluens*, quia, vt dignitate maternitatis decoranda, erat à Deo electa: *Innixa ſuper dilectũ ſuum*, quia hoc habuit ex meritis Chriſti: inſuper dicitur, *ſub arbore malo ſuſcitata*, quia ab illius arboris peccaminoſo eſu, cuius fructum comedendo Adam, & Eua, peccauerunt, abſtinuit Maria, ita vt nullo pacto tale peccatum admiſerit. Ideoquè additur: *Ibi eſt violata genitrix tua*, vt oſtendatur, quòd eo peccato, quo violata eſt, & corrupta Eua, Maria ſanctiſsima fuit immunis. Vnde optimè Guillelmi antiqui huius loci expoſitoris verba id declarant: *Ibi eſt corrupta mater tua, vbi tu ſuſcitata, ideſt, à corruptione liberata*: neſcio autẽ à qua corruptione fuerit ibi Maria liberata, niſi à pec-

Guillel.

cato

cato cōmuni toti naturæ. Demum facili discursu omnia alia, quæ c. 10. & 11. adduximus, de varijs figuris testamenti veteris Mariam designantibus, & de varijs epithetis ipsi in Sacra scriptura concessis, ad propositum accomodari possunt: cùm enim omnia illa maximam, & excellentissimam super omnes creaturas sanctitatem Mariæ clarè deprimant, credi debet indicare etiam hoc priuilegiū sanctitatis, quòd nec in Adamo Deum offenderit, criminis eius particeps essendo. Idem dico de verbis Angeli Lucæ 1. *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu, &c.* quæ capit. 12. tractauimus: cùm enim ex illis colligant Patres ibi adducti, & alij plures, omnia priuilegia, dona gratiæ, charismataque cuncta in Dei genitrice extitisse, cùm hoc priuilegium, quod intendimus possibile fuerit a Deo Mariæ communicari, piè credi potest fuisse de facto communicatum. *Lucæ 1.*

Secundò etiam principaliter probo meam sentētiam, ex Ecclesiæ dictis, & determinationibus. Ad quæ expendam primò in tertia Synodo Ephesina vocari Mariam *Immaculatam*, & in sexta in Epistola Sophronij *ab omni contagione, seu labe liberam*, in septima quoque *irreprehensibilem, & immaculatam*, & in Francofordiensi Concilio (vt fertur) appellari *Immaculatam, prorsusque puram*: quo etiam nomine *Immaculata* à Concilio Tridentino sessione quinta de peccato originali, & à pluribus alijs Pontificibus, tā in officijs festi Conceptionis, quàm alijs locis, vt videre est in c. 13. insignitur. Quis autem non videt epitheta hæc nō ita commodè de Maria intelligi posse, si, vt contrariæ opinioni placet, ideò debitū originalis habuit, quia in Adamo peccauit? Si enim contigit ita, ergo maculata, labefactata, reprehensibilis, & impura *Concil. Ephes. Sophro. in 6. Synodo 7. Synod. Concil. Fracosor. Conc. Triden. sess. 5.*

pura fuit in Adamo. Quomodò ergo illa epitheta, concilia, & Pontifices, Deiparæ tribuerunt?

Conc. Triden. ſeſ. 5 Maximè quoque ex Concilij Tridentini doctrina in ſeſ. 5. dicta, & decreto de peccato originali noſtra roboratur ſententia. Cùm enim Concilium generalem pro omnibus tradidiſſet doctrinam, poſt alia in §. 2. aliqua ſpecialiter dicit: primum eſt: *Adæ prævaricationem non ſibi ſoli, ſed eius propagini nocuiſſe*: ſecũdum eſt, *acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam non ſibi ſoli, ſed nobis etiam perdidiſſe*: tertium eſt, *hoc peccatum, quod mors animæ eſt, in omne genus humanum tranſfudiſſe*: quartum eſt, *oppoſitum affirmantes contradicere Paulo, cùm ad Ad Ro. 5.* *Roman. 5. dixit, Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Tandem poſt hæc, & alia in §. 5. hęc dicit: *Declarat hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere, in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, B. & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem.* Ex quibus verbis ſic argumentor: concilium excipit, & eximit à doctrina, quam de peccato originali tradidit, Deiparam ſanctiſsimam: ſed in hac doctrina, non ſolùm habetur: *Omnes nos in propria perſona contrahere originalem maculam*, ſed etiam *in Adamo peccaſſe, & Adæ prævaricationem nobis nocuiſſe, & iuſtitiam, & ſanctitatem, non ſibi ſoli, ſed nobis etiam perdidiſſe*, vt conſtat ex adductis verbis. Ergo ab omnibus iſtis eximit Mariam, ac per conſequens ita excipietur, quòd neque in Adamo peccauerit, nec Adæ prævaricatio illi nocuerit, neque illi Adamus ſanctitatem, & iuſtitiam perdiderit, quæ omnia clarè exprimunt ſententiam, quam defendimus. Vnde grauiſsimos Theologos vidi, apud quos hæc ponderatio plurimum valuit ad huius ſententiæ defenſionem.

Nec

Nec valet si dicas, exceptionem Concilij solùm esse quantum ad contractionem peccati originalis, non verò quantum ad contractionem debiti proximi, aut peccati in Adam; cuius signum videtur esse, quod ibidem Concilium remittit se ad constitutiones Sixti Quarti, *Sixtus 4.* in quibus solùm est sermo de peccati originalis contractione. Verumtamen non ob hæc, argumenti nostri vires infringuntur. Primò, nam illud in suo permanet vigore, nam Concilium eximit Mariam, non ab vno, aut altero, quod in decreto dictum erat, sed generaliter dixit, *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto Beatam Mariam*, in quo decreto vtrumque dicitur, & omnes homines peccasse, & perdidisse iustitiam in Adamo & eius peccatum contraxisse: ergo ab vtroque excipitur Beata Virgò. Insuper si Concilium tantum eximere voluit Mariam â contractione originalis, sequitur diminutè nimis, & obscurè processisse, quod nullatenus affirmari potest. Sequela probatur, quia debebat dicere Concilium in suo decreto, non comprehendere Dei Genitricem, quantum ad hoc solum, quod est contrahere originalem maculam in propria persona. Tandem id ita mihi persuadet, quòd cùm doctissimus Catherinus *Catheri.* Sacræ Tridentinæ Synodo præsens adesset, cùm hanc opinionem defendisset, credidit certè consonam, & cõformem nimis Concilij doctrinæ, maximè quia cum patribus alijs in Concilio assistentibus sermonem habebat. Nec obstat, quòd Concilium ad constitutiones Sixti Quarti se referat. Quia in eo quod attinet ad contractionem peccati originalis B. Virginis in propria persona, rectè potuit ad extrauagantes Pontificias, & pœnas ibi contentas se referre: quantum ad aliud verò, scilicet, quòd neque in Adamo peccauerit, ad nullum se remittit Concilium; sed tamen voluit exemptionem Vir-

ginis facere, quantum ad hoc, sicut quantum ad primum.

Officium Concept.

Præcipuè etiam, dum Ecclesiæ authoritates pro hac opinione expendimus, ponderari debet eam ferè clarè in Officio Conceptionis à summis Pontificibus approbato declarari. Ibi enim est illud responsorium, *Omnes moriemini, quia in Adam peccauistis.* Cuius vniuersalis regulæ exceptio fuit facta quoad Mariam, dum de ea subiungitur, *Quid habes Esther eleuata in populis? Non morieris:* ratioque traditur, *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Quod magis exprimitur per hæc, *Non extinguetur in nocte lucerna tua, non timebis à frigore niuis.* Quæ omnia si rectè ponderentur, nostram clarè subindicare sententiam liquescet. Cùm enim Maria, quia est vera Esther Regina in populis eleuata, à generali regula, *Omnes moriemini, quia in Adã peccauistis* excipiatur, signum est, neque in Adamo mortuam, aut peccatricem fuisse. Quod indicat etiam illud *Non morieris*, clariùsque exprimitur, dum dicitur, non pro illa, sed pro omnibus alijs legem constitutam esse: ex quo mihi pro comperto est (id quod etiam in inferioribus probabo) pactum illud cum Adamo initum, neutiquam ad Mariam pertinuisse, atque ita, nullatenus in eo peccasse. Quod argumentum apud graues alios Theologos plurimũ valuisse, aliquando perspexi.

Ex Patribus pluribus probatur sententia nostra, Caput 34.

TErtiò principaliter fulcitur nostra sententia ex dictis Sanctorum Patrum eo ordine, quo eos in superioribus capitibus adduxi. Et primus ex allatis capite 16.

S. Andr.

sit

sit Sanctus Andreas, qui, vt vidimus, dixit: *Sicut de immaculata terra, & nunquam maledicta factus fuerat primus homo, ita ex semper Immaculata Virgine, &c.* vbi Virginem Sanctissimam, *Immaculatam & nunquam maledictam* appellat: si autem in Adamo peccasset, in eo maledicta dici posset, ac per consequens absolutè maledicta appellaretur: etenim ille, qui in patre est maledictus, absolutè talis nuncupatur, vt patet in posteris Cham, & aliorum, & communiter apud Iurisconsultos recipitur. Si ergo Maria in Adam peccasset, similibus malis addicta esset. Secundus sit Iacobus Apostolus eo capite à nobis recitatus, vbi inter alia encomia Mariam appellat, *Omnibus modis irreprehensam*, si autem in Adam peccauisset, sicut ipse fuit a Deo reprehensus, & punitus illis verbis: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, spinas, & tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui. &c.* sic & Maria in illo punita, & reprehensa esset, ac per consequens non posset illam *Omnibus modis irreprehensam* appellare Apostolus. [redacted] Ex eodem etiam capite decimosexto ponderari debent Ignatij illa verba, vbi Mariam compellat *Omnium gratiarum abundantem*, Vnde sequitur habuisse hec priuilegium, vt neque Adamici peccati particeps vocati possit. Et rursus *in Maria humanæ naturæ, natura Sanctitatis Angelicæ sociatur*: sicut ergo in Angelis Sanctis nunquam tale accidit contagium, vt in alio peccatores dici possint, pariter de Christifera Maria asseren dum erit.

Genes. 9.

S. Iacob.

Genes. 3.

Ignatius.

Ex capite etiam 17. maximoperê ponderari debent
Origenes antiquissimi Origenis verba ibi adducta, quæ mihi clarissimê meam sententiam denotare videntur: illis autem affirmat, *Mariam fuisse, quæ neque persuassione Serpentis decepta est, nec eius venenossis afflatibus infecta.* Dico autem hæc verba clarê nostram indicare sententiam, quia ex illis euidenter sequi videtur non peccasse in Adamo, nam si ita esset, quemadmodum Eua persuasione Serpentis decepta est, sic esset & Maria, quatenus in lumbis ipsius continebatur. Roboratur autem hoc argumentum, quia cûm hoc affirmat Origenes de B. Virgine, non ideo id dicit, quia in propria persona, & indiuiduo *persuasione Serpentis non fuisset decepta, aut venenosis afflatibus infecta*, aliâs hoc ipsum de quocumque ex nostris affirmare posset. Aliquid ergo peculiarè concedit Mariæ, quod nobis concedi nequit: atque ita manifestê sequitur loqui de illa, quatenus continebatur in primis parẽtibus, vnde fit, neque in illis peccasse. Expendi etiam
Hypolit. possunt, & meritisimê Hipolyti verba eo capite adducta, [redacted] Matrem honorauit, si [redacted] que in Adamo peccaret, ipsi non concessit. Pari quoque pietate ex eodem cap. 17. expendi poterit congruê
S. Cypr. ad propositum Cypriani dictum, quôd *Maria natura cõmunicabat, non culpa*: rursusquè, *Mariæ plenitudo gratiæ de*
S. Atha. *bebatur*, & illud Athanasij *Mariam iterum, & semper, & vndequaque Beatissimam esse.* Nec prætermittenda sunt
S. Ephr. Ephrem Syri verba compellantis Mariam, *sublimiorem cælicolis, puriorem Solis radijs, & splendoribus, honoratiorẽ Cherubim, & sanctiorem Seraphim &c.* Simulquê alia

Chry

Chrysostomi encomia: hæc enim omnia si non parcè ni *S. Chrys.*
mis, & cum affectu ad contrariam sententiam ponderentur, maximè fauere nostræ liquescit.

Rursus ex capite 18. afferam primùm Sophronium, *Sophron.*
cuius verba egregiè nobis adstipulantur: *In Maria* (inquit) *totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter:* Cùm ergo in Christo fuerit hæc gratia, vt etiam si filius Adæ sit, Adæ tamen præuaricationis particeps non extitit, sic de Maria secundùm Sophronij mentem sentire debemus, *Quamquam aliter* (vt dicit Sophronius) quia Christo id competit ex natura sua, cum non secundum seminalem rationem, sicut Maria, in Adamo fuerit contentus; Mariæ verò per gratiam. Subdit etiam Sophronius: *Quidquid maledictionis infusum est* *Idem.*
per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ: ergo maledictio illa per Euæ peccatum infusa, quòd scilicet in Ada
mo peccaremus omnes, ad Mariam non peruenit. Qui *Idem.*
bus consonant alia eiusdem Sophronij verba, videlicet, quòd *Beata Virgo vltra Angelorum, & Archangelorum dignitatem transcenderit;* & etiam, quòd *Quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit; & ideo immaculata, quia in nullo corrupta;* quæ omnia si oppositæ sententiæ adhæreas, explicare rectè non poteris. Nec minùs fauet Hieronymus *Hieron.*
ibidem relatus, quia ab eo compellatur Maria, *Virgo liberior nullum habens fruticem, nullum germen ex latere,* & rursus *nubes illa* (scilicet Maria) *numquam fuit in tenebris, sed semper in luce:* ex quibus, luce etiam clariùs, constat Hieronymum nostræ causæ extare patronum. Ad quod etiam deseruiunt nostri Patriarchæ Ioannis *Ioan. Pa.*
verba ibidem ponderata. S. *Aug.*

Ad Augustinum iam eodem capite â nobis relatum *1. de nat.*
veniamus, qui sicut Deiparam â peccato originali im- *& gra. c.*

munem 36.

munem facit, sic etiam, neque in Adamo deliquisse confitetur. Primò ex illis verbis ex primo de natura & gratia capite 36. *De qua* (videlicet Maria) *propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agimus, habere volo quæstionem.* Vbi esse sermonem, tam de actualibus, quàm de originalibus ibidem probaui. Ex eis quoque concludi, nec in Adamo peccasse, colligitur ex omnibus congruentijs ibi adductis, præsertim ex illis verbis, *propter honorem Domini:* sicut enim honor Christi læderetur, si eius Mater contraxisset originale peccatum, sic etiam si in Adamo peccasset. Vnde optimè connectuntur hic eiusdem Augustini verba ibidem relata: *Si potuit inquinari, Manichæe, cùm ipsam faceret, potui & ego inquinari, cùm ex ea nascerer;* vbi æqua lance videtur cõparare Augusti nus innocentiam Christi cum innocentia Mariæ, & ita, quemadmodum Christus, neque in alio peccauit, sic idem de Maria dicere poterimus. Expendi etiam debent Augustiniana etiam alia, ibique recitata: *Magnifica illum virgo beatissima, qui te ab omni peccato super omnes præseruauit.* Et infrà: *Præseruata, & incorrupta ab omni labe peccati*, quæ omnia non expositione, sed pia lectione indigent. Quin etiam ex eodem Augustino ponderari debet, quòd Maria sit, quæ caput serpentis contriuit, si autem, vel in Adamo peccasset, potiùs dicere possemus, serpentem contriuisse Mariam.

Idem August.

Idem August.

Ex cæteris quoque patribus eodem capite 18. à nobis relatis, maximè audiendus est Maximus, qui clarè meo videri nostram indicat sententiam, dum Mariam comparat auro fulgenti in luto, & rosæ rubenti in spina, quamuis enim humanum genus

S. Maximus.

vene-

veneno serpentis fuerit vitiatum, tamen (vt inquit:) *Hoc operante diuina prouidentia, ex radice vitiata, sine vitio prodijt Virgo Maria*, ideſt, quamuis totum genus humanum in Adamo peccauerit, ſola tamen Maria huius peccati expers extitit. Idem etiam docuit Sedulius Presbyter, dum Deiparam molli roſæ inter ſpinas ortæ comparat, affirmans nihil habuiſſe, quod lædat honorem his verſibus: *Sedulius.*

Et velut in ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremquè obſcurat honore.

Si verò Maria in Adamo peccaſſet, dici non poſſet nihil habuiſſe, quod lædat eius honorem, maximè namque eius honor inde læderetur. Sicut enim inter homines infamis dicitur ille, qui etiam in ſuis parentibus publicè punitus fuit, quod dicitur Hiſpanè: *Su padre (alio al tablado de la Inquiſicion con ſambenito*, ſic etiam Maria, ſi in Adamo peccaſſet, ibi quoque maxima ignominia, & infamia fuiſſet affecta. Maximè etiam ex noſtro Cyrillo expendam illa verba ibi adducta: *Propter filium temerarium eſt in Maria Virgine ponere culpam aliquam peccati*, quæ ſonare videntur noſtram ſententiam, tum quia à beata Virgine excludit omne peccatum, tum etiam, quia hoc dicit eſſe *propter filium*, honori namque filij non ſolùm pertinet, Mariam à peccati originalis macula liberare, ſed etiam à proximo debito illius. Expendatur etiam inſigne illud, & inuſitatum epithetum à Theodoreto Mariæ conceſſum *Immaculatiſſimam*, quod quidem cùm (me quoque non dicente) veſtigium omne, ſignum, & indicium maculæ, ab ipſa deneget, etiam actualiter in Adamo *S Cyril.* *Theodo.*

Cardinal. mo peccasse denegabit. Tandem ex illo capite illu-
Arator. strissimi Aratoris sententiam, nostræ adhærere, ex illis versibus conspicitur:

A nato formata suo mala criminis Euæ
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus.

Si namque opposita sententia vera est, qualiter *mala criminis Euæ fugauit?* Meliùs namque dicere possemus, ea penitus hausisse: rursusquè qualiter affirmare possemus, nullam esse iniuriam in Maria, si huius criminis particeps extitit?

Insuper ex patribus 19. capite relatis, primus oc-
Sophroni. currit Hierosolymitanus Patriarcha Sophronius, qui nostræ fautor est sententiæ, dum Mariam vocat: *Ab omni contagione corporis, & animæ liberatam, seu liberam:* nam nullatenus talis dici posset, quæ contagiosi peccati primi parentis particeps fuit, sicut neque filij liberi sunt à contagijs infamibus parentum, si illorum participes extiterunt. Sed secundus ex illo capite, qui meo videri, clarissimè nostræ adstipulatur
S. Illeph. sententiæ est sanctissimus Illephonsus noster Toletanus antistes: in libro namque aduersus eos, qui de perpetua virginitate sanctæ Mariæ disputant; adeò clarè loquitur, vt superfluum existimem, singula eius verba referre. In summa ergo intentum illius ferè in toto libro est, Matrem sanctissimam liberam esse à communibus ærumnis, & cruciatibus fœminarum, in concipiendo, & pariendo, declarare; quia immunis fuit à peccato, & maledictione primorum parētum. Vnde in eo ait, *Mariam ab omni contagione primi originis esse alienam.* Et infrà: *E. Virgo reliquarum exemplum fuit, quæ nec Adam ad se admisit, nec sub maledicto in doloribus, & angustijs enixa*, & rursus: *Nullis coinquinata sordibus,*
Idem. *nullis vexata Euæ cruciatibus.* Clariùs in fine libri, quasi

totius

totius summam colligens, sic dicit: *Nullas adscribant Sacratissimæ Matri contumelias, non gemitus, non dolores, non ærumnas, non illas viscerum vexationes, non illas diræ tristissimæ corruptiones, quia hæc omnia (sicut sæpe dictum est) in prima origine illata sunt, vindictæ, & retributiones iustissimæ primæ prævaricationis. A quibus omnibus Beata Virgo Maria, quantum est aliena à culpa, tantùm proculdubio libera fuit à doloribus, & pœna.* Videatur totus liber, in quo non solùm euidentissimè docet immunitatem Mariæ ab originali, sed etiam clarè indicat hanc nostram sententiam. Hoc idem indicat Isidorus in eo capite relatus, cùm Mariam vocat *à corruptelæ contagio seruatam.* *S. Isidor.*

Ex reliquis quoque Patribus eodem capite 19. à nobis relatis, optimè fauet Germanus, dum dicit Dei Genitricem nulli penitus culpæ affinem, hoc enim verificari nequiret, si originalem culpam in Adamo cõmisisset: tunc enim, maximè affinis culpæ isti dici posset. Insuper, quamuis plura ex Damasceno eodem capite adducto, & huic proposito congrua afferri possent, quæ mihi tamen congruentiora videntur, sunt illa: *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit;* verè enim in opposita sententia oppositũ affirmari deberet: nã si Maria in primis parentibus deliquit: quemadmodum ad illos serpens aditum habuit, pariter ad illam aditum habuisset. Expendo quoque ex eodem illud: *Animã meam tibi charam accipe, quã à peccati labe puram seruasti,* quod non minùs indicat nostrã sententiam. Ex sapientissimo quoque Idiota põderari possunt ferè omnia illius verba, à nobis ibidem relata, quæ huic parti fauere, omnes, qui illa piè expenderint, animaduertent. *Germanus.* *S. Dam.* *Idem.* *D. Idiot.*

Denique ex Patribus, qui à nobis capite 20. sunt allati confirmare meritò possumus nostram sententiã.

S. Bruno. Primò enim ex sancto Brunone Carthusiensium patre, fauent nimis illa verba de Maria: *Hæc est intorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni prætereà contagione peccati libera*, quæ non satis congruè ab oppositæ sententiæ fautoribus intelligi poterunt. Deinde, ex illustrissimo Petro Damiano, etsi singula eius verba eo capite adducta, ponderari queant, præsertim cùm nihil sanctitatis, gratiæ, & iustitiæ, virgini defuisse testetur, duo tamen præcipuè pōderari oportet. Primum est, quod ait: *De tortuosa generis humani radice, omnem ignorare nodositatem Mariam*, quæ pulchrè indicant, non peccasse in Adamo, aliàs iam de tortuosa generis humani radice aliquam nodositatem habuisset. Pulchriùs tamen id indicat secundum: ait enim, Mariam esse *Reconciliatorium aureum, in quo Deus se post tumultus Angelorum, & hominum inclinauit, & requiem inuenit.* Quæ verba pulcherrimè, & artificiosè nostrum intentum comprobant. Considerasse namque Deum videtur Damianus, postquam Lucifer, & Angeli in cælis, homines cum Adamo in terris, grauissimè Deum offenderunt: quos omnes exosos, & inimicos habens per peccatum, ad solam Mariam respexit, in eaquè tanquam in spōsa fidelissima, nec leuiter illi inimica, requieuit. Ex quo sic argumentor: si Maria peccauit in Adamo, ergo quemadmodū cæteri homines in eo contra Deum deliquerunt, ita & Maria, qualiter ergo post tumultus hominum in ea requiem inuenit?

Petr. Damian.

Anselmum quoque eo capite à nobis adductum, egregium fautorem nostræ esse sententiæ dubitet nullus. Primò enim cap illo 18. de Conceptu virginali, celeberrimum illud de Maria testimonium protulit: *Decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelli-*

Anselm. de Conceptu virg. c. 18

intelligi virgo illa niteret. Quæ verba euidentissimè fa-
uent nostro instituto, nam si peccasset Maria in Ada
mo, non niteret ea puritate, qua maior sub Deo ne-
quit intelligi, quia quantumuis aliàs pura esset, tamẽ
purior intelligi posset, si neque in illo tale crimen
perpetrasset. Expendo secundò illud ex lib. de Excel
lentia virginis cap. 12. *Omnia tibi secum possibilia esse do-* *Idem de*
nauit: nam, cùm nullus negare possit, hoc priuilegiũ, *Excellen.*
quod intendimus possibile esse à Deo Mariæ conce *virg. c. 12.*
di, negare etiam nequibit, nisi Anselmum respuat, de
facto esse concessum Mariæ, cùm iuxta mentem il-
lius, omnia possibilia Deus ipsi donauit. Expendan-
tur etiam eiusdem Anselmi verba ex concione 2. de
Conceptione virginis. Insuper eo capit. 20. adduxi-
mus Bernardum pro immaculata Mariæ Conceptio *D. Bernd.*
ne dimicantem, nunc verò, vt probem illum etiam
immunem à peccato actuali in Adamo eam credidis-
se, assumo illa verba Bernardi ibi adducta, quòd sci-
licet Maria, *quantum sine personali vnione creaturæ con-*
ditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa: cùm er-
go nõ peccasse in Adamo creaturæ (etiam citra vnio
nem hypostaticam) communicari possit, hoc de fa-
cto, iuxta melliflui Doctoris mentem, Mariæ contí-
gisse existimandum est.

Denique ex eodem capit. 20. testimonia aliorum
ponderari possunt, vt vtilia proposito. Primò illud
Petri Comestoris: *In Maria plus viguisse gratiam, quàm* *Petr. Co-*
naturam; vt inde cognoscamus, quòd quamuis se cun- *mestor.*
dùm naturam filia sit Adæ, & ideò eius macula infi-
cienda, attamen per gratiam præuenta est, nõ solùm
à peccato originali, sed etiam à debito proximo il-
lius. Verba etiam sancti patris Dominici, quemad- *S. Domi-*
modum similia ex Diuo Andrea, & Brunone, pon- *nicus.*

Laurent. derata sunt, expendi debent. Præterea Laurentius
Iustin. Iustinianus nimis fauet proposito, dum Mariam *Sub peccati lege conditam* negat, quæ lex, meo videri, non est alia, quàm ea, quam habuit Adamus, de transfundendo peccato in posteros: insuper dum asserit: *Mariam iugum damnationis Diaboli euasisse*; atque dum vocat *alienam à chyrographo damnationis*, & rursus, *ab omni peccati labe extraneam*, quæ omnia, si rectè, vt decet, intelligantur, sententiam nostram clarè pronunciant.

Idem.

Demum ex pluribus testimonijs illorum, quæ cap. 22. attulimus, confirmari potest nostrum institutum, præsertim ex regulis iuris à nobis ibi adductis, quæ non minùs probant Deiparam non peccasse in Adamo, quàm non contraxisse peccatum originis. Qualis est illa ex l. sacris: *Mater gaudet priuilegio filij*, & in l. Bene à Zenone: *Augusta gaudet priuilegio Principis*, & in l. Princeps: *Imperator eadem priuilegia tribuit Augustæ, quæ & ipse habet*. Cùm ergo hoc priuilegium immunitatis ab Adamico peccato, habuerit Christus, hoc etiam credi debet communicasse virgini, licet diuersimodè, quia Christo per naturam, Mariæ verò per præseruatiuam gratiam.

L. sacris.
L. Bene à Zeno.
L. Princeps.

Rationibus probatur nostra sententia. Caput. 35.

PLuribus, nec inefficacibus rationibus nostram cōfirmare possemus sententiam, quarum aliquæ speciales sunt huic instituto, aliæ verò iam sunt adductę in superioribus, dum probauimus ipsam Dei Matrō, non contraxisse originale peccatum; quas huic nostræ sententiæ accommodabimus. Ex prioribus autem prima, & quasi à priori ab authoribus huius sen-

ten-

tentiæ allata, in hunc modum efformari potest. Nam ad hoc, vt quis dicatur in Adam peccauisse, non sufficit contentum fuisse in illo, tanquam in principio, & naturali capite, sed necesse etiã est, quod fuerit in eo, vt in principio, & capite morali comprehẽsus, ita vt in pacto Dei cum Adamo de contrahẽdo peccato à posteris eius, peccante ipso, fuerit contentus. At B. virgo excepta fuit ab isto pacto, & per consequens non fuit in Adamo tanquã in morali capite, & principio: non ergo peccauit in illo. Maior huius argumenti apud omnes est certa, & ideò, vt talis à nobis supposita supra cap. 32. consequentia etiam est legitima, vnde solùm minor restat probãda. Quam hac ratione sic confirmo: Verè possibile fuit ab hoc pacto Deipara sanctissimam excludere, ita vt à nullo Theologo negari id possit, cũ legislator, qui ex mera sua voluntate legem vniuersalẽ cõstituit, possit pro libito excipere quemcumque voluerit: sed ex alia parte decens fuit ita contigisse, ergo credi debet factũ esse. Discursus huius solùm minor subsumpta probanda restat: quamuis autem, tam ex adductis, quàm ex adducẽdis in hoc capite manifestè probetur, simulq; insinuetur ab Ecclesia clarè, dũ in Officio Conceptionis, vt suprà c. 33. retuli, dicatur: *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*, nihilominus speciali hac ratione, & exemplo manifestè rem declarante, mihi moraliter euidens apparet.

Pro eo autem suppono, quod iterum dixi, & c. 26. probaui, videlicet Christi, & eius matris prædestinationẽ, ante omne peccatũ, tã originale, quã actuale factam fuisse, ita vt priùs Dei voluntatẽ erga vtrũque versari cognoscamus, quã diuinus intellectus aliquod in hominibus, aut Angelis peccatũ præuiderit. *Notabile.*

Vnde

Vnde fit prædestinationem Virginis ad Maternitatis dignitatem præcessisse voluntatem pacti, quod Deus cum Adamo habuit de iustitia originali in posteros transfundenda ipso non peccante, sin minus, omnes sine illa concipiendos. Quo posito sic procedo, probando illam minorem. Nam antequam Adamus, & posteri in illo peccarent, Deusquè cum eo pactum dictum inijsset, virgo sanctissima electa fuit ad Christi Maternitatis dignitatem: ergo decès fuit sub illo pacto non comprehendi. Hæc consequentia mihi nota est, quia cùm Maria pro illo signo ad Dei Maternitatem fuerit electa, certissimum est ad maxima quoque priuilegia, dona, charismataquè, & abundantiam gratiæ fuisse prædestinatam, vtpotè, quæ supra creaturas cæteras etiam producibiles dilectissima à Deo erat. Ex quo certum esse videtur, nõ fuisse cum omnibus alijs hominibus in Adamico pacto inclusa, nec id decuisse fieri: tum, quia hoc esset cæteris alijs Dei Matrem æquare: tum & præcipuè, quia esset hoc eam euidenti periculo exponere, quòd in Adamo peccasset, & per consequens non digna Dei Mater esset, cùm sciret Deus conditionata scientia Adamum tale pactum transgressurum, si illi imponeret præceptum.

Quod ipsum hoc exemplo moraliter possibili declaratur. Si Rex aliquis, alicuius sibi subditi Principis filiam in sponsam adoptasset, simulquè illius patri aliquam dignitatem, & officium tradidisset, videlicet, vt prouinciam aliquam, arcem, vel vrbem, in custodiam, & regimen haberet, eo pacto, & conditione, vt si sibi fidelis in eo munere extitisset, ad eius posteros illud officium, & dignitas transiret: sintamen crimen læsæ Maiestatis committeret, omnes eius filij, & posteri,

steri, vt rei talis criminis haberentur, perpetuæque infamiæ condemnati manerent: quis non credat à tali pacto, & lege excepturũ Regem filiam illius Principis, quam sibi in sponsam elegerat, ita vt quamuis pater deliquisset, nihilominus nulla nota, & infamia ad illam inde proueniret? Cùm enim eam maximè diligeret, posibileque iudicaret illius patrem, non rectè in eo munere obeundo se habiturum, nollet eã talis infamiæ, & notæ periculo exponere. Pariter ergo in præsenti casu de Maria sanctissima philosophãdum est, vt scilicet, quia eam ante pactum cum Adamo initum in Spiritus sancti spõlam, & filij Matrem præassumpsisset, ne eã exponeret periculo infamiæ, quam in Adamo peccans admisisset, à tali pacto, & lege eam penitus excluserit. Quod exemplũ, & aptissimum est ad propositum, & altissimum modum prẽseruationis Mariæ à peccato Adami sufficientissimè declarat.

Secundò etiam ex alio capite, nostræ sententiæ decentiam probare possumus: quia nihil magis odiosum, & abominabile in naturalibus, polyticis, & moralibus reperitur, quàm esse proximè obnoxium, vel debitorem alicuius culpæ, seu mali. Noxius enim, seu obnoxius à *noxa* deriuatur, quæ à *nocendo* trahit originem; vnde propriè obnoxius (vt ait Festus) dicitur ille: *Qui pœnæ obligatus est ob delictum.* Quis ergo credat Deiparam sanctissimam proximè obnoxiam esse peccato originali, quæ Regina cælorum, & omniũ creaturarum habetur? Imò quemadmodũ apud nos, non solùm ignominiosum est tributum soluere, sed & talis tributi debitorem esse, vt in iure est manifestum, & ex communi hominum æstimatione cõstat, ita similiter ignominiosum esset Mariæ, non solùm origi- *Secunda ratio.*

originale crimen contrahere, sed & proximum debitum, & obnoxietatem illius habere. Neque omnino libera, immunis, & exempta à culpa dici posset, sicut neque ille, qui alicuius tributi soluendi obligationi est addictus, omnino liber, & immunis à tali tributo compellatur.

Iam verò rationes ferè omnes, quibus in præcedentibus capitibus, Mariam liberam esse à iugo originalis peccati demonstraui, nostro intento fœliciter accommodemus. Et omissis duabus prioribus, quæ nobis deseruire nequeunt, tertiam sic efformo.

Tertia. Nam virgo sanctissima est verè Mater Christi: congruum ergo est, & decens, vt Adamici peccati omnino fuerit expers, & vt à pacto cum illo inito penitus fuerit exclusa. Consequentiam hanc probant singula in cap. 25. adducta. Primò, quia ex Maternitate Mariæ oritur, quòd sit proximior, & propinquior Deo creaturis cunctis, ita vt in aliquo sensu verificari possit Petri Damiani dictum: *Deus est idem cum ipsa,* *Petr. Damia.* & Augustini sententia: *Caro Christi est caro Mariæ.* Si *Augusti.* autem in Adamo peccasset, remotissima, & valde distans à Deo potiùs dici posset, claudiquè sub Pro- *Isai. 59.* phetico illo Isai. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Secundò etiam, quia cùm ex Mariæ Maternitate plurimi Patres eam ab originali crimine exemptam esse declarauerint, quin constans doctrina Patrum ex ea, innumera ipsius priuilegia, dona, charismataquè, eliciat, non video, cur etiam priuilegium hoc, quod in præsenti inquirimus, ex eadem Maternitate non colligatur. Tertiò, nam vt Pau- *Ad Heb. 1.* lus ad Hebræos ait de Christo: *Tantò melior Angelis factus effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit:* Sic de Maria etiam, quia hoc insigni nomine Matris

Dei

Dei præfulget, dicere poterimus, tantò meliorem Angelis effectam, quantò differentius præillis nomen hæreditauit: atque ita, ſicut Angeli ſancti omni no expertes fuerunt peccati in ſe ipſis, & in alio, potiori iure idem de Dei Matre cenſendum erit. Tandem quartò, quia ſi eſſe Mariam Dei Matrē, eſt principium fœcundiſsimum, vnde omnes concluſiones in fauorē virginis poſsibiles deduci poſſunt, cur non ex eodē elicietur priuilegiū hoc, quod intendimus?

Similiter quarta ratio eodem cap. 25. adducta in tentum confirmat. Nam Beatiſsima Maria ad generis humani redemptionem ſaltem remotè & indirectè cooperata eſt, vt ibidem ex Patribus, & ratione probaui: ex quo deduco non commiſiſſe peccatum vllum, neque in Adamo. Conſequentiam hanc probo, tùm ex ratione Pauli ad Hebræos 7. qui propter ſimilem cauſam probat, decere Chriſtum fuiſſe *ſanctum, innocētem, & impollutum*: tum etiam, quia ſi Deipara Maria cooperata fuit redemptioni generis humani, maximè hoc fuit, quantum ad captiuitatem propter primi Parentis peccatum inductam, quod docet Auguſtinus ſermo. 35. de ſanctis, de Maria dicens: *Hæc primæ Matris damna reſoluit, hac homini perdito redemptionem adduxit* Decebat ergo, vt ipſa talis peccati particeps non eſſet. *Quarta.* *Ad Heb. 7.* *Aug. ſer. 35. de ſanctis.*

Præterea aliæ etiam rationes ex dicto capite 25. excerptæ, æquè pro hac parte militant. Nam cùm Beatiſsima virgo Maria Chriſti Mater ſit, decens profectò Chriſti dignitati fuit, ſi rem rectè penſitemus, vt eam à peccato iſto in Adamo præſeruaret: contrarium namque, indecorum nimis, & opprobrioſum Chriſto videretur. Cùm enim propter hanc rationem, leuem etiam, & venialem

culpam â Maria deneget Ecclesia, nescio cur propter eandem, grauius hoc crimen denegare non possimus. De quo non ignobilis Poeta sic:

Poeta quidam.

Immunem sponsam voluit sine crimine Ieui,
Sic illi voluit maius abesse nefas.

Præterea, cùm Mater Dei sit maximè supra creaturas cæteras à Deo dilecta, & honorificata, beneficijsquè gratificata credi debet. Quis ergo pius Theologus honorem istum, & beneficium, quod Deus Matri potuit conferre, & quod alteri maiori incompossibile non est, non contulisse credat? Ad quod maximè deseruit illud

Luc. 11. Christi Lucæ 11. *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester,* &c. Cùm igitur nullus, quamtumuis iniquus filius, simili honore, amore, & beneficio matrem, si posset, non decorasset, cur credam filium Virginis hoc non feciſſe? Præsertim, quia cùm propter hoc peccatum Dei Genitrix captiuitatem in Adamo contraxisset, & aliquo modo sub Diaboli seruitute in Protoparente maneret, penitus ignoro, qualiter non indecorum fuerit Christo, eius sanctissimam Matrem, Diaboli captiuam, & ancillam aliquando fuisse.

Insuper rationes capite 26. factæ etiam hanc sententiam bellè corroborant. Nona quidem, nam simili argumento probare eam possumus in hunc modú. Quia vel Deus non potuit Matrem suam â peccato Adami, & pacto cum illo inito excipere, vel si potuit, tamen facere noluit, vel tandem potuit, & voluit. Primum affirmari non potest, tum ex dictis, tum quia ratione naturali oppositum conuincitur, ex eo quod in eo nulla repugnantia clauditur. Secundum quo-

Aug. in sermo. de Assump. que falsum esse argumenta adducta, & adducenda confirmant, præsertim Augustinianum illud in ser-

mone

mone de Assumptione: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum.* Restat ergo quòd solum tertium sit verum. Decima etiam ratio ex prædestinatione Virginis petita, iam est adducta, & adeo efficax mihi videtur, vt vix credam Theologum vllum affirmantem, prædestinatam esse ante vllum peccatum præuisum, vt probabilissimè plures defendunt, negare posse nostram sententiam. Vndecimum quoque argumentum efficacissimè nobis fauet, cùm enim propter sanctissimæ Dei Genitricis dignitatem, à pluribus, & communibus regulis odiosis excipiatur, & inter eas plures sint, quæ minoris in infinitum æstimationis sunt, quàm hoc priuilegium immunitatis ab Adamici peccati participatione, non poterit sufficientem rationem assignare Theologus, quare cùm ab illis excipiatur, excepta etiã non sit ab illa Apostolica regula ad Romanos 5. *Omnes in Adam peccauerũt*, ita vt affirmare possimus, neque in Adamo peccasse, nec proximum debitum originalis criminis contrahendi habuisse. *Ad Rom. 5.*

Accedit etiam ad idem duodecimi argumenti discursus, cùm enim nullum emolumentum, aut vtilitas, ex eo, quòd Beata Virgo in Adamo peccauerit Deo, Virgini ipsi, aut Ecclesiæ aduenerit, Deusquè nulla permittat mala, nisi inde (iuxta Sanctorum doctrinam) plurima eliciat bona, consequens est tale peccatum nunquam permisisse. Et quidem nobis nullam vtilitatem inde prouenire, luce clariùs existimo, ita vt nisi sine fundamento oppositum affirmari nequeat; quin potiùs ex nostra sententia non parum vtilitatis hominibus accidere constat, quia dum tam puram cogitamus Dei Genitricem

tricem, vt neque in Adamo peccauerit, in ipsius deuotionem, maximumque Christi amorem, qui ita miro, & artificioso modo, ipsam præseruauit, accendimur, & excitamur. Deo autem & virgini nullam ex opposita sententia vtilitatem aduenire pro comperto est, quia si aliqua ea esset, maximè, quòd Christus Mariam redemerit, ipsaquè à Christo redempta dicatur. At, vt ex dicendis constabit, altissimo modo B. Virgo à Christo redempta fuit, etiam si neque in Adamo peccauerit: cùm enim non peccasse in eo, effectus fuerit meritorum Christi, per quæ præseruata est à tali lapsu, meritò vt sic dicetur redempta. Nõ ergo est necessarium, hoc peccatum in virgine ponere, vt eam redemptam esse à Christo fateamur. Quod & illi, cum quibus disputamus, præsertim Vazquez, & Suarez suprà cap. 32. adducti nobis concedunt.

Tandem ex rationibus, & argumentis cap. 27. pro positis, non minùs efficaciter munitur nostra sententia. Est autem tertiumdecimum argumentum ex eo petitum, quòd, vt ex Ecclesiæ, Cõciliorum, Patrum, sanctorum & Theologorum doctrina manifestũ est, B. Virgo Maria super omnes choros cælestium spirituum, sanctitate extollitur, ex quo optima consecutione elicitur, nullo pacto, aut in Adamo peccasse. Si enim Angeli, Archangeli, cæteriquè spiritus beati, non modò in se, sed & in alio etiam nullius peccati, quodcumque illud sit, participes extiterunt, quomodo sanctior est illis Maria? Quomodo superior prædicatur? Aut quomodo illorum Regina, & Imperatrix appellari potest? Quo argumento nobilẽ quendam Theologum sic vidi nostram sententiam docuisse, vt cùm oppositam tueretur, illam postea in publico grauissimorum Theologorũ cœtu in virginis ho-

Digitized by Google

honorem retractaret. Similiter aliæ duæ rationes in eo capite adductæ ex clara virginis nobilitate, pulchritudineque depromptæ, non minùs adstruunt intentum. Si enim ob sanctissimæ Matris dignitatem naturalibus his dotibus exornari debuit, vt nobilissima, pulcherrimaque supra creaturas cunctas censeatur, quis illi supernaturale hoc priuilegium negare velit? Plurima præterea, quæ ad hoc propositum eo capite adduxi, ponderẽtur, & quàm efficaciter illud persuadeant liquescet; nunc verò ad argumentorum contrariorum solutiones pergam.

Argumentis contrarijs fit satis. Cap. 36.

PRæcipuum fundamentum sententiæ nostræ versatur in eo, vt ostendamus argumenta illi aduersantia valida non esse, quod si fiat, cùm tot, ac tam efficacibus nostra pars muniatur, nulli Theologo non arridebit. Primo igitur argumento, quod iure validissimum omnium reputari debet, cũ ex Sacræ scripturæ testimonijs sit desumptum, pluribus satisfacere possumus. Vt igitur illud soluamus, aliqua ex ijs, quæ cap. 28. notauimus, annotare conuenit. Primum est, sanctorum doctrina ibi recitata, nimirum vniuersales propositiones, quas sacra Pagina proponit, nõ semper esse vniuersaliter accipiendas, sed quandoque *Figuram esse vniuersalem, non tamen sententiam*, vt dixit Photius Constantinopolitanus Patriarcha in responsione ad Amphilochium. Secundum est, innumeras esse Sacræ scripturæ propositiones, quæ tamen ad Beatam virginem extendi non possunt, cùm, vel ab Ecclesia, vel Concilijs, vel Patribus, vel Theologis

Phot. Patriarch. in respon. ad Amph.

gis ab illis excipiatur, quarum plurimas eo cap. 18. & alijs antecedentibus adduximus; & patet de illis, in quibus dicitur omnes actualiter peccasse, omnes nasci in peccato, omnes in terrā esse cōuertēdos, & alia huiusmodi, quæ nō referā, & in prōptu erūt docto Theologo.

Vaz. disp. 115. c. 3.

Hoc posito, fatetur Vazquez dicta disp. 115. cap. 3. testimonijs, quæ in hoc argumento adducuntur, non satis confutari nostam sententiam, & prætermissis his quibus probat ea inefficacia esse, ex alijs capitibus ea facile soluere possumus. Primô quidem ex dictis, quòd quamuis vniuersalem locutionē ea testimonia cō tineant, hoc tamē non obstat, quominus ex speciali privilegio ad Mariam non extendātur, vtpotè, quæ ab innumeris alijs regulis vniuersalibus Sacræ Scripturæ eximi tur. Deberi autē Virginē ab his generalibus propositionibus, in quibus dicitur omnes in Adamo peccasse, aut in eo mortuos esse, eximi, authoritates Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ, Conciliorum, & patrum, rationesquè in præcedentibus adductæ, satis probabiliter suadent,

Vaz. n. 23.

neque omnino negat Vazquez numero 23. Vel secundô respondere possumus ea omnia testimonia, intelligēda esse de debito, quod habuit B. Virgo ad peccādum in Adamo, & vt in illo moreretur, si relinqueretur suæ naturæ; cū enim ei et secundùm naturam Adæ filiæ eiusdem criminis particeps esset, nisi à Deo specialiter præseruaretur. Esse autē hanc expositionem probabilissimam,

Anſel. de Concep. Virg. c. 7.

ex Patrum doctrina cōstat, nam Diuus Anselmus de cōceptu Virginali cap. 7 ait: *Omnes in Adam peccauimus quia ille peccauit, non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondū eramus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc sicut ista est illa necessitas, vt, cū essemus, peccaremus.* Vbi Anselmus, affirmat omnes peccasse in Adamo, quia de illo futuri eramus, & in hoc ponere videtur debitū nostri peccati

ti originalis. Quid ergo mirum, vt locutiones sacræ Scripturæ affirmantes, omnes in Adam peccauisse intelligantur, quantum attinet ad beatam Virginem, ratione debiti, quod habuit talis peccati, quia scilicet, futura erat filia Adami ab eo per seminalem propagationem processura? Similiter testimonia illa, quæ asserunt, omnes in Adami fuisse mortuos, etiamsi ad Mariam extendantur, intelligi posse ratione debiti, quod habuit, nisi præseruaretur: constat ex doctrina Augustini, & Theodoreti cap. 29. adducta: illud enim cōminatorium Dei verbum ad Adam, Genes. 2. *Inquocumque die comederis ex eo, morte morieris*: ratione debiti mortis explicant. Quare ergo locutiones sacræ Scripturæ vniuersaliter affirmantes, omnes in Adam mortuos esse, quatenus ad Virginem extēduntur, non licebit eas exponere de debito, quod habuit talis mortis. *Augustinus.* *Theodoretus.* *Genes. 2.*

Ad Patres in secundo argumento adductos hæc secunda solutio applicari debet. Et quidem Leonis Papæ verba applicata Mariæ, optimè explicantur de debito remoto, quod habuit, etenim nomen *reatus*, non semper significat culpam, sed debitum aliquod, vel culpæ, vel pœnæ, adeò vt Budæus relatus à Calepino, in verbo *reatus*, dixerit: *Errore nimio hæc opinio inter vo stræ ætatis Iurisperitos inualuit, vt reatus pro crimine exaudiatur.* Quod idem dico de verbis Augustini adducts, &, vt constat ex dictis 5. præcedenti hæc expositio illi satis congrua est. Idem etiam manifestè constat dici debere ad Anselmum, vt ipse in primo loco esse explicauit; quare in secundo etiam ex libro secundo, *Cur Deus homo.* capit. 16. eandem expositionem admittet. Præterquàm quòd ista verba non sunt Anselmi, sed Bosi illius interlocutoris in illo dialogo, vt dixi, cap 30. Vnde etiam constat, Patres omnes si qui alij sunt, affirmātes, solū Christū immunem esse à culpa Adami intelligendos *Leo Papa* *Budæus.* *Calepinus verb.* reatus. *Augustinus.* *Anselmus.* *Item lib. 2 cur Deus homo. cap. 16.* *Bosius.*

Digitized by Google

ligendos esse, quia solus ipse est, qui neque proximũ, neque remotum, neque vllum debitũ illius habuit. Beata namque virgo, & cæteri omnes debitum talis culpæ habuerunt, licet Deipara solùm remoti debiti particeps extiterit. Ex quo etiam patet solutio ad cõ firmationem: constat namque ex dictis, quòd cùm in superioribus, Sacræ scripturæ, & Patrum authoritates, quæ videbantur in B. Virgine peccatum originale ponere, exposuimus de debito, quod habuit illud contrahendi, intelligendum est id de debito remoto à nobis assignato, orto ex eo, quòd Maria per seminalem propagationem ab Adamo processerit: neque aliud est necessarium ad illa omnia testimonia exponenda.

Ad tertium argumentum, nõ solùm negamus virginem Beatissimam redemptam dici non posse, si in Adamo non peccauit; sed etiam asserimus altissimo redemptionis modo à Christo præseruatiua redemptione fuisse redemptam, etsi non peccauerit: ad quod videantur, quæ suprà cap. 29. longè annotauimus, illa namque huic proposito deseruiunt. Ponderariquè debent illa Hymni Ecclesiæ in festo Conceptionis ibi adducta:

Nullum redemit Filius
Ex omni gente dignius
Qui te seruauit prouidè
Mundam paterno scelere.

Vbi clarè denotari videtur, quod quamuis à peccato Adami immunis fuerit, nihilominus perfectiùs cæteris à Christo dicatur redẽpta. Quod bellè Illustrissimus Cusanus lib. 8. annotauit, dum Christum vocat præliberatorem, ideſt, præredemptorem, Mariæ, sic enim ait: *Præliberatorem enim virgo sancta habuit, cæteri libera-*

Card. Cusanus.

liberatorem, & postliberatorem, Christus enim sic omnium liberator, quod & Virginis liberator, & præliberator, cæterorum vero liberator, & post liberator. In quibus altissimum redemptionis, & liberationis modum à Deo Mariæ concessum satis declarat. Vnde ad argumentum patet, quòd ad hoc, quòd Deipara dicatur redempta sufficit, quod debitum peccandi in Adamo, & debitum remotum originalis criminis, etiam in propria persona, habuerit, ratione cuius, si à Deo ex Christi meritis præseruata non esset, & in Adamo peccaret, & in propria persona originale crimen admitteret. Per quod etiam confirmationi fit satis. Nec valet aliquorum obiectio dicentium, inde sequi Angelos etiã dici posse redemptos. Nam quidquid sit de hoc, de quo Theologi alias, diuersissima ratio est B. Virginis, ac Angelorum: illa namque, cùm filia Adami sit, & ab eo per seminalem, & naturalem propagationẽ procedens, ac per consequens in eo quantum ad naturam contenta, habuit debitum peccandi in illo: & ita quòd ab hoc peccato præseruetur, redemptio quædam fuit ex meritis Christi: Angeli autem nihil horum habuerunt, & ita non mirum quòd à Christo redempti non dicantur.

Sed adhuc petet aliquis, an hoc debitum peccandi in Adamo, quod habuit Maria, sit tale, vt ratione illius dici possit eam fuisse obligatam ad tale peccatũ perpetrandum? Respondeo, quamuis fortè sit quæstio tantùm de nomine, congruentiùs tamen virginis dignitati esse, huiusmodi debitum, quod habuit ad peccandum in Adamo, ex eo quòd ab eo, vt à cõmuni parente processerit, non appellari debitũ obligationis, sed obnoxietatis, subiectionis, & capacitatis, ita vt nisi à Deo præseruaretur, tale crimen ad-

mitteret. Quod sic explico, & confirmo exemplo illo in capit. 33. adducto: nam si Princeps aliquis, omnes in vna ciuitate commorantes tributo aliquo soluendo astringeret, vna sola fœmina illius ciuitatis excepta, reuera illa non diceretur habuisse debitum obligationis talis tributi, quia non erat obligata ad hoc, vt illud tributum ipsi imponeretur, nec post ipsius impositionem adstricta manebat, nihilominus diceretur obnoxia, subiecta, & capax illius, quia nisi à Principe exciperetur, ex vi vniuersalis legis, qua omnes alij illius ciuitatis vicini adstricti fuerant, ipsa quoque adstringeretur. Sic quoque in nostro casu de Deipara sanctissima est philosophandum, vt scilicet, non dicatur habuisse debitum obligationis, aut peccandi in Adamo, aut quod sub pacto cum illo inito clauderetur, sed dicatur fuisse obnoxia, subiecta, & capax talis delicti, taliter, quòd, nisi talis particularis exemptio, circa illam facta fuisset, comprehenderetur in pacto illo, sicut cæteri posteri, ac per consequens peccante Adamo, peccaret & ipsa.

Ad quartum argumentum, meo videri, facilis est solutio; concedo namque B. Virginem mortuam esse propter peccatum, nõ quidem proprium, sed alienum, scilicet peccatum Adami; ex eo namque, iuxta doctrinam sanctorum maximè Augustini lib. 13. de Ciuit. cap. 19. manauit, vt omnes Adami posteri mortales nascerentur. Neque locus Apostoli cõtrarium persuadet, solùm enim dicit, *per peccatũ introijsse mortem in mundũ*. Quare Beatissima Virgo mortua est nõ propter aliquod peccatum proprium, cùm neque in Adamo peccauerit, neque in propria persona illud admiserit, sed dici potest occasionaliter mortua propter peccatum Adæ, ex quo omnes homines immortali-

talitatem perdiderunt. Formaliter autem mors virginis ex conditione humanæ naturæ ex Adamo procedentis, & compositæ ex qualitatibus contrarijs sumpsit exordium. Quam solutionem tradunt aliqui relati à Carthagena dicta homil. 15. & clarissimè doctus Canisius lib. 5. de Deipara capit. 2. Ad Augustini authoritatem, omissa solutione Vazquez, respondeo, ipsum per merita mortis intelligere idem, quod debitum mortis, & ita etiam B. Maria mortua est propter merita mortis, quia scilicet cum ab Adamo processerit, habuit ab eo naturam corruptibilē, & mortalem, & ita habuit debitum mortis, quod quidem nō est peccatum aliquod ipsius, sed naturæ corruptibilitas, & mortalitas ab eo mendicata. *Carthag. hom. 15. Cani. lib. 5. de Dei- par. c. 2. Augusti. Vazquez.*

Ad quintum argumentum, admisso etiam antecedenti, de quo nolo contendere, nego consequentiā: ad cuius probationem notauit bene Carthagena vbi suprà, illud pactum Dei cum Adamo includere duo in ordine ad posteros, alterum fauorabile, nimirum, quòd persistente illo in iustitia ipsi essent illam habituri: alterum odiosum, quatenus illo præuaricante, omnes essent in eo peccaturi, imò & in propria persona peccatum originale contracturi: B. ergo virgo in illo pacto excepta fuit quantum ad odiosum, non quantum ad fauorabile. Vnde ad probationem consequentiæ, dico, quòd quamuis hæc iustitia originalis non esset transfundenda in virginem, si Adamus peccaret, non sequitur, quòd eo peccante, sicut de facto cōtigit, illius peccati particeps esset B. Virgo, quia in pacto cum Adamo inito excepta est, saltem quantum ad hoc. *Solutio.*

Quòd si dicas, peccatum originale non est aliud, quam carentia iustitiæ, peccante Adamo transfun- *Obiectio.*

sed quia in casu, quod esset B. Virgo in pura natura Concepta, nullo pacto posset habere peccatum originale: repugnant namque hæc duo, nempe aliquem produci in pura natura, & in originali peccato. Quod sic probo, nam homini in pura natura solùm sunt debita ea, quæ ad naturam pertinent, aliàs si aliquid supra naturam, aut supernaturale esset debitum, iam esset homo ille elevatus, & per consequens esset iam extra statum puræ naturæ: ergo non est debita illi homini gratia, aut iustitia originalis. Sed peccatum originis est carentia iustitiæ, aut gratiæ debitæ: ergo repugnat esse hominem in pura natura, & concipi in peccato originali. Vnde impossibile erit, quod B. Virgo conciperetur in pura natura, & cum peccato originis.

Hæc & omnia mea, iudicio Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, nec non sanctæ Inquisitionis æquissimo tribunali libenter subijcio; paratus siquid eius doctrinæ, minimo apice aduersum quoquo modo scriptum sit, corrigere, emendare, abradere, ac penitus abolere.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX CAPITVM IN hoc opere contentorum.

Cap. 1. *Quidditas peccati originalis præscribitur, fol. 1.*

Cap. 2. *Sententia adstruens Deiparæ immunem à peccato Conceptionem proponitur, vt innumeris Theologis arridens, Carmelitis præsertim, fol. 4.*

Cap. 3. *Firmissimo ex Geneſis 3. testimonio nostra roboratur sententia, fol. 11.*

Cap 4. *Ex Iob 3. testimonio veritas tradita bellè fulcitur, fol. 15.*

Cap. 5. *Ex Psalm. 84 testimonio veritas intenta deducitur, fol. 19.*

Cap. 6. *Ex Psalm. 86. comprobatus intentum, fol. 22.*

Cap. 7. *Ex Psal. 88. fundatur thesis allata, fol. 25.*

Cap. 8. *Ex loco Ezechielis 43. fulcitur intentum, fol. 30.*

Cap 9. *Ex libro Cantici Canticorum depromitur nostra sententia, fol. 35.*

Cap. 10. *Ex varijs testamenti veteris figuris immunitas Mariana roboratur, fol. 42.*

Cap. 11. *Ex alijs epithetis Dei Matri in sacra Pagina conceſsis, eius immunitas roboratur, fol. 47.*

Cap. 12. *Ex verbis Angelicis ad Mariam Luc. 1. eius immunitas ab originali maximè confirmatur, fol. 52.*

Cap. 13. *Eccleſiæ Pontificum, & Conciliorum authoritatibus nostra roboratur sententia, fol. 55.*

Cap. 14.

Digitized by Google

Cap. 14. *Ex reuelationibus â Deo factis sancta, & immaculata Conceptio Deiparæ roboratur, fol. 62.*

Cap. 15. *Ex variis miraculis cõprobatur assumptũ. fol. 76.*

Cap. 16. *Ex Christi Apostolorum testimonio, ecrumquè Discipulorum dictis, qui in primo, & secundo annorum centenario post Christum vixere, confirmatur nostra sententia, fol. 70.*

Cap. 17. *Ex Patribus, qui vsque ad quadringentos annos post Christum floruere, approbatur sententia, fol. 73.*

Cap. 18 *Ex alijs Patribus, qui in duabus alijs annorum centurijs floruere, fulcitur intentum, fol. 77.*

Cap. 19. *Ex cæteris Patribus, qui ante millesimum Christi annum claruere, confirmatur proposita sententia, fo. 83.*

Cap. 20. *Ex reliquis Patribus, qui post mille annos Christi nati vixere, munitur nostra sententia, fol 86.*

Cap. 21. *Quòd Angelicus Doctor Sanctus Thomas nostræ sententiæ fautor sit iure censendus, quod idem affirmatur de Diuo Bonaventura fol. 92.*

Cap. 22. *Illustria aliorum testimonia proposito congrua afferuntur, fol. 96.*

Cap. 23. *A prauis etiam, & suspectis hominibus Mariam â peccato originali liberam decantari, fol. 100.*

Cap. 24. *Duabus rationibus immaculatæ Christi parentis Conceptio probatur, fol. 104.*

Cap. 25. *Alijs rationibus eadem confirmatur thesis, fol. 109.*

Cap. 26. *Theologicis alijs argumentis stabilitur nostrum intentum, fol. 115.*

Cap. 27

Cap. 27. Efficacia alia superadduntur argumenta, fol. 120.
Cap 28. Quod nullum sacræ Paginæ testimonium oppositæ sententiæ deseruiat, fol. 123.
Cap. 29. Quod Beatissima Virgo Maria perfectissimè dicatur per Christum redempta, etiam si maculam originalem non habuerit, fol. 126.
Cap. 30. Patrum testimonia, quæ pro contraria sententia afferuntur nihil illi fauere ostenditur, fol. 130.
Cap. 31. Rationibus, quæ in contrarium obiciuntur fit satis, fol. 138.
Cap. 32. An saltem Maria in Adam peccasse dicatur, debitumque contrahendi originale habuisse, fol. 141.
Cap. 33. Deiparam Mariam, nec peccasse in Adamo, nec debitum proximum incurrendi originale habuisse, authoritatibus probatur, fol. 149.
Cap. 34. Ex Patribus probatur sententia, fol. 153.
Cap 35. Rationibus probatur nostra sententia, fol. 158.
Cap. 36. Argumentis contrarijs fit satis, fol. 163.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM notabilium, quæ in hoc libro cõtinentur. Prior numerus folium designat, secundus paginam.

A.

Ambrosij verba pro B. Virgine, 77.1
Andreæ verba pro eadem, 71.2
Anselmi plura de Virginis immaculata Conceptione. 88.1
Aratoris carmina pro Maria, 83.1
Athanasij dicta pro eadem, 75.1
Augustinus maximè fauet purissimæ Conceptioni Mariæ, 79.1
Augustiniani plures eam defendunt, 8.1
Arca testamenti, 45.1
Auri encomia, 33.1
Auroræ encomia, 19.1

B.

Balsami proprietates, 51.2
Basilij verba pro Maria, 75.2
Bernardus non aduersatur, sed fauet Conceptioni Mariæ, 89.1. & 134.1

Cap. 27. Efficacia alia superadduntur argumenta, fol. 120.
Cap 28. Quod nullum sacræ Paginæ testimonium oppositæ sententiæ deseruiat, fol. 123.
Cap. 29. Quod Beatissima Virgo Maria perfectissimè dicatur per Christum redempta, etiam si maculam originalem non habuerit, fol. 126.
Cap. 30. Patrum testimonia, quæ pro contraria sententia afferuntur nihil illi fauere ostenditur, fol. 130.
Cap. 31. Rationibus, quæ in contrarium obiciuntur fit satis, fol. 138.
Cap. 32. An saltem Maria in Adam peccasse dicatur, debitumque contrahendi originale habuisse, fol. 141.
Cap. 33. Deiparam Mariam, nec peccasse in Adamo, nec debitum proximum incurrendi originale habuisse, authoritatibus probatur, fol. 149.
Cap. 34. Ex Patribus probatur sententia, fol. 153.
Cap 35. Rationibus probatur nostra sententia, fol. 158.
Cap. 36. Argumentis contrarijs fit satis, fol. 163.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM notabilium, quæ in hoc libro cõtinentur. Prior numerus folium designat, secundus paginam.

A.

Ambrosij verba pro B. Virgine, 77.1
Andreæ verba pro eadem, 71.2
Anselmi plura de Virginis immaculata Conceptione. 88.1
Aratoris carmina pro Maria, 83.1
Athanasij dicta pro eadem, 75.1
Augustinus maximè fauet purissimæ Conceptioni Mariæ, 79.1
Augustiniani plures eam defendunt, 8.1
Arca testamenti, 45.1
Auri encomia, 33.1
Auroræ encomia, 19.1

B.

Balsami proprietates, 5 1.2
Basilij verba pro Maria, 75.2
Bernardus non aduersatur, sed fauet Conceptioni Mariæ, 89.1. & 134.1

Bernardinus quoque fauet ipsi Conceptioni, 91.1
Bonauentura non est illi contrarius, sed adiutor, 95.1
Brigittæ reuelatio pro purissima Conceptione, 65.2
Brunonis verba pro ipsa, 87.1
Buceri, & Bullingeri verba pro Virgine, 102.1

C.

Caluini verba pro Maria, 102.1
Carmelitæ plurimi tuentur immunitatem Conceptionis Mariæ, 5.2. Per illos deriuatur hæc veritas 6.2. Primi in honorem illius templum erexerunt, 7.1. à pluribus annis Conceptionis festum celebrant, 7.2.
Cedri natura, 47.2
Christus lux, 17.1
Cinnamomi natura, 51.1
Columbæ proprietates, 36.2. Laudes, 39.1
Conceptionis immaculatæ veritas fere ab omnibus recipitur, 108.1
Concilia, quæ illi adstipulantur, 56. 2. & deinceps.
Cypressus, 48.1
Cypriani verba pro B. Virgine, 74.2
Cyrilli Alexandrini dicta pro eadem, 82.1

D.

Debitum duplex contrahendi originale peccatum, 143.2

Deus ex malis elicit bona, 119.1. Dei pactum cum Adamo duo claudebat, 166.1
Dominicani plures tuentur immaculatam Conceptionem Mariæ, 9. 1. Oppositum delinquunt ibid.
Dominici verba pro B. Virgine, 90.1

E.

Eboris proprietates, 34.2
Ecclesiæ officium favet opinioni negantis Mariam peccasse in Adamo, 153.2
Eliæ fuit revelata Conceptio pura Mariæ, 6.2
Ephrem mira encomia pro Maria, 76.2
Erasmi verba pro pura Conceptione Virginis, 103. 2.
Errant qui nostram sententiam condemnare audent 141.1

F.

Fæminæ celebres fauentes puræ Conceptioni Virginis, 98.1
Festum Conceptionis à plurimis Ecclesijs, & antiquitus colitur, 104.2. Ex eius celebratione rectè infertur immaculatam esse, 105.1.
Filiorum, & parentum amor, 114.2
Franciscani quam plurimi immaculatam Mariæ Conceptionem tuentur, 8.1
Fulberti salutatio ad Mariam, 86.2

G.

Germani Constantinopolitani verba pro Maria, 85.1
Gregorij Neocæsariensis verba pro ipsa, 74.1
Gregorij Nysseni verba pro eadem, 76.1

H.

Hebræorum placita pro matre Messiæ, 102.2
Hieronymus fauet puræ Conceptioni Mariæ, 78.1
Hippolyti verba pro Dei genitrice, 74.2
Humilitas perfecta, 120.1

I.

Iacobi verba pro Virgine, 72.1
Idiotæ mira encomia de Maria, 86.1
Ignatij verba in laudem B. Virginis, 72.1
Illefonsi insignia dicta pro Virginis Conceptione, 84.1
Imperatores fauentes puræ Cõceptioni Mariæ, 98.1
Ioannis Chrysostomi verba pro Maria, 77.1
Ioannis Patriarchæ dicta pro eadem, 80.1
Ioannis Damasceni mira dicta pro ipsa, 85.1
Iridis descriptio, 29.1
Isidori officium de Virgine, 83.2
Iuo Carnotensis, 88.1
Iurisconsultorum decreta fauentia Conceptioni Mariæ, 99.2.

Lau-

L.

Laurentij Iustiniani mira pro Maria, 91.1
Ludouicus Bertram defensor immaculatæ Conceptionis, 91.2
Lunæ excellentiæ, 27.2. Positiones, 28.2
Lutheri verba pro Conceptione Virginis. 101.2

M.

Mahometis, & Mahometanorum verba pro Virgine, 101.1
Maria non contraxit peccatum originale. Defenditur per totum librum. Est mulier, quæ contriuit caput serpentis, 12.1. Vindicauit Euam, 14 1. Est aurora, 17.2. Vocatur terra, 20.1. Ciuitas Dei, 22.2. Filia spiritualiter Chore, 23.1. Thronus Dei, 26. 1. Sol. 26. 2. Luna, 27.2. Testis fidelis, 29.1. Iris, ibidem. Domus Dei, 30.2. Lilium, 37. 1. Filia gratiæ, 40.1. Paradisus, 42.1. Figurata per Euã, 44.1. Terra sacerdotalis, 44.2. Arca testamenti, 45. Thronus Salomonis, 46.1. Cedrus, 47.2. Cypressus, 48.1. Palma, 48. 2. Rosa, 49. 1. Oliua, 49. 2. Platanus, 50. 1. Cinnamomũ, 51. Balsamũ, 51. 2. Prædestinata est ante omne peccatum præuisum, 117.1. Excipitur à pluribus regulis communibus, 118.1. Superior est spiritibus cælestibus, 121.1. Eius pulchritudo, 122.2. Est perfectissimè à Christo redempta, 127. & deinceps. Non peccauit in Adam, 150.1. Quamuis habuerit debitum remotum originalis non habuit debitum proximum, ibi, & 149. 1. nihilominus dicitur perfectè redempta a Christo. 164.
Maternitas virginis facit illam proximã Deo, 110. 1

Digitized by Google

Rectè infert eius immunitatem ab originali, 110. 2. Est donum excellentissimum, 111.1. Est quasi quoddam fæcūdissimum principium, 111.2. Ex ea habuit Maria, vt aliquo pacto dicatur cooperatal redemptioni hominum, 112.1
Maximi verba in laudem Virginis, 81.1
Miracula pro eius Conceptione, 68. 1. & deinceps. 1
Musca turpe animal, 32.1

N.

Natura similitudinem filiorum cum parentibus quærit, 113.2. Et quòd illis tribuatur honor, ibi.
Nomen matris dicit magnam reuerentiam, 114.1
Nobilitas vera, 122.1

O.

Oleum, 50.1
Oliua, 49.2
Origenis verba pro B. Virgine, 74.1

P.

Palatium vnde dictum, 30.2
Palmæ encomia, 48.2
Paradisus Domini, 42.2
Patres antiqui non aduersantur immaculatæ Conceptioni Mariæ, 132.1
Patres fauentes opinioni neganti peccasse in Adam, 154.1
Peccatum duplex. 141.2
Peccatum originale negatur à Pelagio, 1.1. Concedi-
tur

Digitized by Google

ditur à Catholicis, ibi. Non est ipsa natura humana, 2.1. Neque cõcupiscentia, ibi. 2. Neque ipsum actuale peccatum Adami, 3.1. Neque aliqua qualitas, ibi. 2. Est priuatio iustitiæ originalis, 41. Denotatur per caput serpentis, 13.2. Et per noctem, 16.1. Et per captiuitatem Iacob, 21.1. Duæ conditiones requiruntur vt contrahatur, 142.1
Petri Comestoris verba pro Virgine, 89.2
Petri Damiani verba pro ipsa, 87.1
Platamis, 50, 1
Pontifices fauentes Conceptioni Mariæ, 59.2
Pyropi natura, 34.1

Q.

Quæstio de immaculata Conceptione antiqua est inter Theologos, 5.1
Querimonia Boethij, 32.1
Quo sensu dicatur Maria purgata, & sanctificata ab originali, 137.1

R.

Rationes probantes Mariam non peccasse in Adam, 159.1.
Reatus quid significet, 164.1
Redemptionis duplex modus, 127.1
Reges fauentes Conceptioni Mariæ, 97.1
Religio Monialium Conceptionis, 61.1
Rosæ epitheta, 49.1

S.

Scripturæ Sacræ loca indicantia, Mariam non peccasse in Adamo, 150.2.

Sedu-

Sedulij carmina pro Virgine,81.2
Sensus mysticus validus ad arguendum cum de illo constat,55.2
Sententia affirmans B.Virginem non peccasse, in Adamo non potest censurari,147.2. Defenditur.
Societas Iesu tota defendit immaculatam Conceptionem Deigenitricis,9.2
Solis encomia, 26.2. Et ipsius domus architectura, 32.2.& deinceps.
Sophronij verba pro B.Virgine,78.1.& 83.2
Sybillarum dicta pro ea,103.1

T.

Terra vnde Adam est conditus,43.2. Terræ encomia,20.1
Templi Salomonici insignia,32.1
Theodoreti verba pro Maria,82.1
Thesiphontis verba pro ipsa,72.1
Theologi plures defendunt B. Mariam non peccasse in Adamo,145.2.&.& deinceps.
Thomas Aquinas non aduersatur, sed fauet opinioni neganti in Maria fuisse peccatum originis, 92. 1.& deinceps.
Thus est proprium Deo,38.1

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

V.

Vellus Gedeomis,45.2
Vincentius Ferrer fauet immaculatæ Conceptioni, 90.1
Vniuersitates illam defendentes,98.1
Vniuersales aliquot propositiones Sacræ scripturæ non sunt semper vniuersaliter vsurpandæ,125.1

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

272

142
58
72
170

Digitized by Google

Digitized by Google